A 1221

8750

an korn - - j ſchober 9 grob

an gerſten - j ſchober 12 grob

alſo ſtedt zinſs 35 lb j dr:

D

Bibl. Osler. has 2 works

... not

HARVARD
MEDICAL LIBRARY

VERITAS

VERITATEM PER MEDICINAM QUÆRAMUS

IN THE
Francis A. Countway
Library of Medicine
BOSTON

LITHOLOGIA
HISTORICO-MEDICA,
HOC EST
CALCVLI HVMANI
CONSIDERATIO
PHYSICO-MEDICO-CVRIOSA,
QVA
NON SOLVM IPSIVS GENERATIO, LOCI NATALES, AC VIAE DIVERSA PARITER ET COPIA, COLOR ET FIGVRA, SVBSTANTIA ET SVPERFICIES, SED ETIAM IN CORPORE HVMANO EFFECTVS MORBOSI ET SYMPTOMATA
ITEM
EIVSDEM EXCRETIO ET EX VRETHRA EXCISIO LITHOTOMIA ET NEPHROTOMIA
PORRO
CALCVLI IPSIVS ANALYSIS CHYMICA ET VSVS MEDICVS PARITER AC VSVS LITHONTRIPTICORVM ET ANTINEPHRITICORVM
NEC NON
VARIA DE CALCVLIS BRVTORVM IN SPECIE LAPIDIS BEZOAR; RARIS ATQVE SELECTIS OBSERVATIONIBVS
CVM INDICE LOCVPLETISSIMO
PROPONVNTVR ET EXPONVNTVR
A

D. MARTINO SCHVRIGIO,
PHYSICO-DRESDENSI.

DRESDAE ET LIPSIAE
APVD FRIDERICVM HEKEL, MDCCXLIV.

PRAEFATIVNCVLA.

Quamvis plures ab antiquioribus philoſophis inter macro- & microcoſmum factæ comparationes omnino ſint ludicræ & inanes, in lapidum tamen & calculorum geneſi aliqualis convenientia deprehenditur, eo tamen diſcrimine, ut lapides in macrocoſmo ſecundum naturam fiant, calculi vero in corpore animali nonniſi morborum effectus ſint. Calculos autem in omnibus fere noſtri corporis partibus generari, plures autores ratione & experientia probarunt. Qua ratione autem hæc generatio calculorum fiat, inter ſe non conveniunt, ſed varias adducunt cauſas, dum alii ab hac, alii ab illa cauſa calculos gigni affirmant. Quapropter in hoc Tractatu præſenti ſub nomine Lithologiæ Calculorum conſiderationem phyſico-medico-curioſam proponere decrevi, in cujus primo capite Petrificationem ſeu calculorum generationem atque diverſas autorum ſententias explicabo.

Secundum vero caput continet calculorum locos natales & vias; tertium agit de calculorum magnitudine mole & pondere; quartum de eorum copia & multitudine; quintum de eorum colore, in ſpecie de calculis ſplendentibus; ſextum de eorum figuris; ſeptimum eorum ſubſtantiam, duritiem & ſuperficiem, variaque huc pertinentia exhibet, nempe calculos be-

zoardicos humanos, inſaccatos ſeu cyſticos, prægnantes v. g. acus & globulos, aliasque res in calculis repertas &c. octavum deſcribit effectus calculorum morboſos in corpore humano, nempe cephalalgiam, ſomnolentiam, delirium, vertiginem, convulſiones, raucedinem, cœcitatem, apoplexiam, aſthma, tuſſim, phthiſin, hæmoptyſin &c. ubi ſimul de calculo infantum & lethali agitur; nonum de calculis brutorum & in ſpecie de lapide bezoar ejusque adulteratione & virtutibus agit; decimum deſcribit calculorum ſigna; undecimum tractat calculi excretionem & ex urethra exciſionem; duodecimum agit de Lithotomia, ubi non ſolum modus calculum explorandi, & catheteris applicatio docetur, ſed etiam varii modi ſectionis, lithotomi celebres, quin & quorundam lithotomorum rum fraudes adducuntur; decimum tertium exhibet Nephrotomiam; cui ſuccedit decimum quartum quod de calculorum analyſi chymica agit, ubi & duo proceſſus olei Ludi deſcribuntur; decimum quintum exhibet uſum medicum calculi; decimum ſextum tandem de Lithontripticis prolixe agens huic Tractatui finem imponit.

LITHOLOGIÆ
CAPUT I.
DE PETRIFICATIONE
ſeu
Calculi Generatione.

§. 1.

SEdimentum illud mucilaginoſum, quod in vaſis urinariis ſeu matulis a lotio remanet, nonnunquam in calculoſam vel gypſeam ſubſtantiam concreſcere, in Vrologia noſtra vidimus, in hoc autem Tractatu de Calculis, in ipſo corpore humano jamjam concretis, agere animus eſt. Vocari ſcilicet Calculus ſolet a nomine Calx, quod nonnullis idem eſt ac lapillus ſeu calculus, vid. Chriſtian. Becmann. *de Origin. latin. lingu. p. m. 333.* vel juxta Joh. Baptiſt. Verduccium *dans la Suite de la Pathologie de Chirurgie Tom. II. cap. 35. pag. m. 95.* Calculi denominatio ideo a Calce derivatur, parceque la Pierre dans ſes commencemens eſt comme une chaux, qui s'endurcit dans la ſuite.

Calculi *Etymologia.*

§. 2.

Calculus an dicendus Lapis?

Multis etiam Autoribus humanus Calculus nomine lapidum venire legitur, quam tamen denominationem alii tolerare nolunt; ſiquidem ſecundum Friderici Hoffmanni verba *Clav. Schrœder. Lib. III. cap. 4. §. 43. p. m. 143.* Lapides animales & vegetabiles proprie ſic dicti lapides non ſunt, ſed minerales tales habentur; animales lapides potius oſſa ſaxea, quia cremantur, quam petra ſunt. Imo Calculum humanum oſſibus magis, quam lapidibus appropinquare annumerarique oportere, tum ex analyſi chymica, tum ex pondere ſpecifico probari ſcribit Guilhelmus Musgrave *de Arthrit. anomal. cap. 9. p. m. 149.* E contra Gothofredus Steinius *Lithograph. curioſ. §. 7. p. m. 5.* vocabulum Lapides ideo retinere amat, quia græcum vocabulum λίθος aptius vertatur lapis, quam calculus; Interim tamen per totum Tractatum Lapides & Calculos pro ſynonymis habet dictus Autor.

§. 3.

Lithogeneſia.

Audit hæc Calculi Generatio græce Λιθογενεσία, & communiter Λιθίασις, a verbo λιθιᾶν, quo veteres non niſi de illis, quibus Calculus in veſica moleſtus eſt, non autem de Renum Calculo laborantibus, uſos fuiſſe, equidem refert Joannes Gorræus *Definit. medic. fol. m. 201. b.* Hippocrates tamen hinc inde λιθιᾶν τὴν κύστιν, καὶ λιθιᾶν τὸν νεφρὸν conjungit, ſicque vocabulum hoc tam de renum, quam veſicæ affectu promiſcue uſurpat: De utriusque autem tum renum tum veſicæ Calculi materia, cauſis & generatione ſolliciti negare non poſſumus, hanc doctrinam, juxta Johann. Conr. Peyeri *Exercitat. anat. med. II. pag. 9.* tantæ indaginis vel potius obſcuritatis eſſe, ut e centum Autoribus vix duos de Calculi materia & generationis

modo

modo idem ſtatuentes reperias. Quod etiam confirmat Chriſtianus Langius *Patholog. animat. Animadverſ. ad Cap. 43. §. 9. p. m. 415.* Calculi, inquiens, generandi materiæ & efficientis conſiderationem magna omnino difficultate & multa obſcuritate implicatam apud Autores deprehendi, qui integras hac de re Bibliothecas conſcripſerunt; Secundum Theodor. Craan. *de Homin. cap. 38.* vexatiſſima eſt quæſtio inter medicos, quomodo Calculus Renum & Veſicæ gignatur. Ex tanta tamen ſententiarum copia aliquot ſolummodo adducere liceat.

§. 4.

Nonnulli ſcilicet cum veteribus Pituitam ſeu lympham craſſam, lentam, viſcoſam & glutinoſam pro Calculi materia, calorem vero igneum pro cauſa efficiente agnoſcunt; Alii pituitam tartaream atque terreſtrem, quæ ſale & acido acrioribus, poſt prælium aliquod cum terreſtribus partibus concentratis ſive coaleſcentibus indureſcit, vel etiam lapideſcit. vid. Florent. Schuyl *pro Veter. Medicin. p. m. 117.* ubi pergit: aliquando pituita loco alicui calido incluſa vaporibus aqueis efferveſcentia & calore ex ea diſcuſſis, particularum ſuarum contrariarum coagulatione & exſiccatione indureſcit. Johannes Baptiſta Contolus brevem Inſtructionem medicam de Glutine in corporibus humanis producto, ejusque effectibus, Calculo & Arthritide edidit, in qua hic Medicus Bononienſis calculorum productionem excrementitio glutini craſſiori per renum caruncu las, vel ſub filamentorum, vel globulorum etiam, intus concavorum & ad ſpeculi uſtorii calorem concrepantium transcolato atque in veſica cum urinæ amurca lapideas cruſtas, tunicis cepæ analogas, acidi medio compaginanti fert acceptam. vid. Act. Erudit. Lipſ. *An. 1698. Menſ. Mart. p. 137.* Secundum Theodor. Craanen *Tract.* *A pituita.*

de Homin. Cap. 138. p. m. 694. generantur exiguæ arenulæ ex terra glutinoſa, viſcoſa, renibus inhærente, & poſtea agglutinata ſpiritu quodam, vel fermento gorgonio, lapidifico, lapilli generantur. Hoc fit in veſica & renibus; hoc fit in inteſtinis, aliisque partibus, ut veſicula fellis, pulmonibus, glandula pini; in inteſtinis non ita mira hæc res videri debet, cum arenulæ copioſæ una cum cibis aſſumantur, quæ glutine & viſcida materia interveniente coëunt & lapillos formant. Si certi fontes & certæ aquæ res injectas per fermentum coagulans & lapidificum, non quidem in momento, ſed tractu aliquo temporis, res exacte penetrando, in ſaxa vel lapides convertunt, quidni idem fieri poſſet in corpore noſtro? præſertim ſi limoſa & terreſtris materia ſit in renibus vel veſica, & tale concurrat aliquod fermentum, quod hanc materiam in ſaxa convertat. Qui Calculo laborant frequenter emingunt viſcidum limum, qui fundum matulæ petit ejusque lateribus adhæret, qui exſiccus tum lapidis refert duritiem. Obſervavit etiam Thomas Williſius *Tract. de Vrin. Cap. 5. p. m. 235.* nonnullos Calculo veſicæ laborantes, qui, poſtquam urinam depoſuerant, cum magno conatu & dolore ſuccum craſſiorem & viſcidum, illico in materiam ſquammoſam indureſcentem, excernere ſoliti ſint. Hujus odor fuit lixivialis, & conſiſtentia, qualis lixivii ad ſpiſſitudinem evaporati, cujus ſcilicet liquor craſſior factus & frigori expoſitus, protinus in duritiem ſalinam obrigeſcit: Sic Eques quidam calculoſus, poſt uſum pillularum ex terebinthina, cum urina emiſit materiam albam mucilaginoſam, quæ ſubito ab aëre externo in ſubflavum calculum obriguit, uti annotavit Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 64. p. 152.* Glutinoſum quid ad Calculi generationem requiri, ſequentibus verbis Guilelmus Harveus in Epiſtola ad Johannem Beverovicium defendit: Hippocrates ad Cal-

Calculi generationem præter copiam terreſtris materiæ & ſalis ſoluti, a te aſſignatam, glutinoſum quidpiam in Theophorbi puero ab ipſo obſervatum, deſiderat *Epid. V.* Rodericus Caſtrenſis ex Paracelſo mucilaginem tartaream, viſcidum quidem illud & glutinoſum arenarum vinculum: quod in calculoſis & ipſe tu mecum aliisque ſæpe vidiſti. Veſicæ vocas alimentum; at iſti materialem Calculi cauſam. Vbi enim per ſe in aëre expoſitum, una nocte, & quandoque citius, in arenoſam, friabilem, imo lapideam materiam concreſcere obſervatum eſt; & ego experimentum feci, & novi fœminam nobiliſſimam calculoſam, quæ ex tali mucilaginoſa materia, in ſua propria urina ſubſidente, pillulas concinnare propriis manibus ſolebat, easque per ſe in ſcatula reſervatas in calculos abire ſponte & docuit & oſtentavit. vid. Joh. Beverovic. *Spicileg. de Calcul. p. m. 193. ſeq.* Ipſe etiam ſutoris cujusdam memini, qui melancholico-hypochondriacus ſæpius cum urina materiam albam mucilaginoſam in magna quantitate emittebat, quæ intra breve temporis ſpatium per ſe ita inſpiſſabatur, ut globuli minores & majores, ultraque pugni magnitudinem, in gypſeam & calculoſam duritiem degenerantes, inde formari poſſent. Talis calculi extra corpus ex mucilagine in momento & quaſi ex tempore generati, & inter raro contingentia merito numerandi, exemplum etiam refert Johannes Henricus Brechtfeld in Thom. Bartholin *Act. Hafnienſ. Vol. III. Obſ. 70. p. 115.* ſcilicet contigit Anno 1674. Menſe Majo Nicopiæ in Flaſtria, in filiola bimula civis & coriarii ejusdem urbis, quæ, cum aliquot diebus peſſime habuiſſet, doloremque ejulando prodidiſſet, cum urina emiſit materiam albam mucilaginoſam, quæ ſtatim ab aëre externo in ſubflavum oblongum riguit Calculum, quem poſtea ſervavit pharmacopæus loci Chriſtophorus Hartmannus, duritie quemvis *Obſervatio.*

 alium

alium æquantem: Porro Calculi compagem pro fundamento materiam aliquam mucidam & glutinoſam habere, ex eo probat Georgius Erneſtus Stahl *Diſputat. de nov. Calcul. Ren. Patholog. cap. I. p. 5.* quod in emiſſione recens excretus Calculus manifeſto majorem molem præ ſe ferat, quam poſt moram aliquam in aëre ſicco deſiccatus.

§. 5.

A particulis terreſtribus. Quamvis autem ejusmodi Obſervationibus eorum ſententia, qui ex ſola pituita quemvis Calculum naſci poſſe arbitrantur, confirmari poſſe videatur, aliis tamen in Calculi geneſi materiale, præter mucilaginem, eſt aliquid terreſtre, unde Hermannus Conringius *Diſputat. de Calcul. Renum & Veſic. An. 1656. Helmſtad. habit. §. 7.* ſolam pituitam hoc vix præſtare poſſe dubitat, quoniam nec a calore, nec a frigore in Calculum niſi difficillime adigitur. Conſtat enim, pergit idem, Calculus ex materia terreſtri, quæ pituitæ adeo quidem copioſe raro ineſt, ut ex ea lapis generari poſſet. Accedit, quod pituitoſi calculo renum & veſicæ non ſint obnoxii atque in renibus & veſica pituitæ parum admodum ſoleat coacervari. Etſi igitur alibi in cerebro & aſpera arteria ex pituita interdum calculi concreſcant, de materia tamen illorum calculorum, qui in renibus & veſica concreſcunt, alia ratio eſt. Hæc Conringius. Fridericus Hoffmannus *Annotat. in Petr. Poter. Obſervat. Cent. III. cap. 72. p. m. 361.* ſcribit: Calculi generatio fit, quando particulæ viſcoſo-ramoſo-terreſtres ciborum a ſalibus ventriculi non rite dividuntur, unde poſtea ſerum tartari terreſtrioris copia onuſtum, alluens poros canaliculoſos renum, ibidem efficit ſtagnationem particularum. Eodem modo ut videmus in liquoribus calide filtrandis, v. g. lixiviis & aliis craſſioribus, ubi filtro magna copia limi onuſto, vel liquore frigido facto, hic diutius ſtagnans

vel

vel plane non deſtillat, vel ſatis lente, aut multum de ſale iterum cryſtalliſato in filtro relinquit. Id quod manifeſto videmus in renibus calculoſorum, ubi circa pedem anſerinum dictum, tartareæ lamellæ conſpiciuntur, quæ poſtmodum ſeminium perpetuum calculi ſuggerunt. Juxta Georg. Wolfg. Wedel. *Patholog. med. dogmat. Sect. II. cap. 4. p. m. 217.* Calculi materiale eſt terra ſeu tartarus, formale vero eſt coagulatio, & quidem in corpore vivente. Et Daniel Beckherus *Microcoſm. med. Lib. I. cap. 15. p. 95.* Materiam tartaream a ſanguine ſecretam inque ſero delitescentem & ad concretionem in renibus & veſica aptiorem, ad petrificationem requirit. De Calculi generatione ita ſentit Johannes Dolæus *Epiſt. III. ad Waldſchm. p. 223.* Calculus ex tartaro lapideſcente generatur, quod inde certum eſt, quia lapides ſeu Calculi, quos repererunt in corpore ſeu vivo, ſeu mortuo, cum in retorta ad ignem uruntur in oleum fœtidum & ſalem, ut tartarus, cum vino convertuntur, ſed hoc differunt a communi tartaro Calculi in corpore noſtro geniti, quod hi lapidei ex magna parte fuerint, illud vero potius ſal acido-pingue, ita ut declaremus Calculi in corpore generationem tanto labore ab omni ævo quæſitam, ſed fruſtra, & hactenus non modo repertam, ſed quam putant reperiri non poſſe, ſtatuere oportet, prima initia generationis calculi tartarum eſſe, qui alicubi in cryſtallos concreſcit & hæret, dum ex liquoribus, qui pertranſeunt, nec eum propellere aut diſſolvere valent, aliquæ particulæ adhærent, donec ita auctus calculus & etiam ſolidior factus, etſi valde fuerit parvus, & fere inviſibilis, quaſi granulum arenæ, tandem incipiat lapideſcere, id quod ab arena fit, quæ in aqua ex cæteris liquoribus, quos aſſumimus, imo in cibis exiſtit, quæque huc illuc cum ſuccis noſtris libere pertranſit, ſed nunc calculo illi ex tartaro concreto agglutinatur, eique ſoliditate-

ditatem & duritiem ratione particularum terreſtrium conciliat. &c. Philippus Hœchſtetterus *Obſervat. medicin. Decad. X. Caſ. V. Schol. p. 413.* cum illis ſentit, qui materiam Calculi terreſtrem aqueam dicunt, id eſt, humorem craſſum permixtum aqueo, qualem medici phlegmaticum dicunt; hic enim aptus eſt, ut ex eo forma Calculi reſurgat, &c. Et Carolus Piſo *Obſerv. de Morb. ſeroſ. Sect. IV. Cap. I. p. 380.* inquit: Quod ad materialem cauſam attinet, quanquam unus glutinoſus humor, craſſusque & crudus partim perhibetur materia Calculi, tamen præeunte ratione & experientia in primis ſtatuere oportet, arenulas ſeu terrenas ſordes, quæ cum aqua in potum quotidianum veniente permixtæ confuſæque paſſim reperiuntur, & cum ſero ex coctione prima reſiduo in corpore humano occurrunt, ſive diſperſæ, ſive conglobatæ, materiam præbere poſſe. Calculus Renum, juxta Olai Borrich. *Enchirid. de Uſu Plantar. p. 54.* a ſtrictioribus vaſorum, in renibus, tubulis, nutrimento craſſiori, arenulis ſeſe æquali facie jungentibus generatur. Sentit etiam Matthias Vnzerus *de Nephritid. Lib. I. cap. 9. p. 38. ſeq.* veram materiam Calculorum in renibus eſſe ſerum, plurimas partes tartareas permixtas ſibi habens, id quod ratione & experientia probari poteſt. Quemadmodum enim aquæ perpetuo ſecum vehunt tartaream quandam materiam, quam loca ſicciora alluendo ſenſim illis quaſi apponunt agglutinantve, unde temporis diuturnitate tophi fiunt; idque tanto magis & citius, quanto aquæ illæ ſunt limoſiores, ac impuro tartaro ſcatent, aut materia aliqua ſalina, veluti Nitro, Alumine, Vitriolo, Sale, &c. inquinatæ. Sic ſerum in corpore humano ſalſo quodam ac terreſtri ſucco, ex alimentis quotidie aſſumtis redundante, eſt permixtum, quod loca ſicciora & anguſtiora permeans tartareitatem illam, ſine ullo calore extraneo iisdem quaſi agglutinando,

tinando, & ſenſim ac ſenſim coacervando proximam in illis ſuppeditat materiam calculis. Præterea ad probandum idem, argumentum nobis ſuppeditant matulæ, ſive ſtanneæ eæ ſint, ſive terreæ, quibus non mutatis, longo tempore urina excipitur; in his namque videmus, ſalſuginoſam ac tophaceam quandam materiam, inſtar tartari concreſcere ac lateribus illarum firmiter adhæreſcere, &c. Et Chriſtiano Johanni Langio *Prax. med. Cap. X. Oper. Part. II. fol. 62.* Cauſa calculi ſunt particulæ terreæ ad maſſam ſanguineam una cum aliis nutritiis delatæ, & in renibus vel veſica per ſalia in concretum quoddam ſolidum ac firmum compactæ. Demonſtrat ad oculum cauſam hanc calculi accuratus ille concretorum analyſin ignis, cujus ope per deſtillationem calculi ſalinæ ac terreæ partes educi, & incredulis exhiberi facile poterunt. Et in Annotatione ad eundem locum ita ſcribit: nos dicimus, calculum naſci ex ſabulo, ſive terreſtribus particulis, beneficio ſalium concretis. Sic facile ex concretione tartari vini eluceſcit noſtra ſententia, ibi enim ex terreſtribus pariter particulis per ſalia coagulatur tartarus, imprimis ſi accedat quies. Eodem modo primo ad dentes ſub forma mucaginis terreſtris dentibus apponitur tartarus poſtea in corpus ſolidum concreſcens. Idem Autor *l. a. fol. 257.* inquit: In generatione calculi ſolum ſal non ſufficit, niſi adfuerint partes terreſtres. Eſt enim calculus concretum ex particulis terreis, gelatinoſis & ſalinis, diverſæ magnitudinis, figuræ & molis, alii enim leves, alii ponderoſiores, alii fiſſiles, ſive qui in laminas findi poſſunt, alii cryſtallini, alii tophacei & inæquales. Notabile quoque eſt, ſalia quædam diverſas terras poſtulare, e. g. quando Vitriolum, Alumen, Sal marinum in aqua repleto vaſe una ſolvuntur, non coeunt ſalia, ſed ſingularem ſibi quodlibet ſal eligit terram appropriatam, cum qua cryſtalliſatur: ita in

terræ cryptis ſpiritus aluminoſus peculiarem arrodit terram, cum qua in cryſtallum aluminis abit. Materia pro calculo fiendi ſatis apta eſt gypſum & lapis calcarius, facile lapideſcens, quæ ſæpe ſub forma fluida cum alimentis deglutiuntur, & dum conveniunt cum gelatinoſis particulis, abeunt in calculum.

§. 6.

A ſalibus. Sicuti autem ſecundum hactenus dicta nonnulli Autores Lithiaſin non in ſolis particulis terreis vel tartareis, ſed etiam ſalinis quærunt, ita quoque alii calculi concretionem ab interno principio ſalino fieri exiſtimant. Siquidem Johannes Bernhardus Gladbachius *Prax. medic. de Cachex. §. 128. ſeq. p. 291. ſeq.* de generatione calculi agens, poſtquam variorum corpuſculorum, lævium & politorum, non politorum, ſolidorum, rigidorum, aſperorum & inæqualium combinationem & cohæſionem monſtravit, ita pergit, ex his facile eſt divinare, qui generatio calculi procedat: facta enim obſtructione in tubulis renalibus a particulis ſalinis acido-viſcidis & irregularibus, aliæ ſemper accedunt, quæ molem illarum augent, unde primo arenulæ varii coloris, duritiei, figuræ & magnitudinis generantur, quæ progreſſu temporis, dum ex tubulis renalibus protruduntur in pelvim, ureteres & veſicam, augmentum ſumunt, & calculum non raro ſtupendæ magnitudinis efficiunt. Henricus Meibomius *Diſput. de Calcul. §. 37.* ait: Non incommode a recentioribus huc advocantur ſalia, quorum præſentia in humoribus corporis noſtri manifeſta eſt, nec minus notum, quam facile concreſcant & alia coire faciant. Quod poſterius ſi veteribus medicis non ſatis evidentibus experimentis innotuit, noſtro tamen tempore in chemicorum laboratoriis id abunde videre licet. Et *§. 49.* pergit idem: Particulas autem

tem ſalinas & terreſtres in tota maſſa ſanguinea, imprimis autem in ſero eſſe, notum eſt, quarum aliquæ quotidie per urinam ſecedunt in matula conſpicuæ. Cum autem hæ fortiter ſe mutuo prehendunt, in arenulas ſeu parvos calculos coëunt, & plures ſibi invicem appoſitæ majores efformant. Secundum Georg. Bagliv. *de Fibra motric. pag. m. 215.* Analyſi chymica conſtat, duo eſſe, quæ calculum componunt, principia, ſal acre muriaticum ſanguinis, & acido-viſcidam mucaginem primæ digeſtionis vitio factam. Sic Marcus Gerbezius *Chronolog. med. pract. An. I. §. 105. pag. m. 92.* Calculos tam macro-quam microcoſmi a fermento acido coagulari defendit. Secundum Georg. Wolffg. Wedel. *Patholog. med. dogmat. Sect. II. cap. 4. p. 223.* Sal eſt concretionis & coagulationis principium intrinſecum combinatorium. &c. Inquit etiam Nicolaus Venette, *Traité des Pierres Cap. 10. p. 163. ſeq.* Nous avons prouvé, que la ſemence des pierres terreſtres eſtoit liquide & contenue dans quelques eaux ſouterraines, qui eſtoit impregnées d'un ſel terreſtre & lapidifique; que ce ſel ſervoiet de ſemence aux pierres terreſtres, & qu' il eſtoit volatile & fixe; que le premier eſtoit l' agent & l' autre le patient. Cela eſtant ainſi poſé, nous pouvons faire voir preſentement, que le ſang qui coule dans les veines des animaux, & principalement dans celles des hommes repond aux eaux ſouterraines impregnées de ſemences petrifiques; que ce ſang eſtant tout chargé de ſels, comme ces eaux, il porte avec luy les ſemences & les principes des pierres, & qu' ainſi il faut neceſſairement, qu' il s' en forme dans nos corps, comme dans la terre, ſi la nature univerſelle trouve des diſpoſitions & dans la matiere, dont elles s' engendrent, & dans la matrice, ou elles ſe forment: pourvuque la nature particuliere des animaux ne s' oppoſe point à ces ſortes de generations. Et Johannes Da-

niel Major *Epiſtol. ad Phil. Jac. Sachſium, de Cancr. petrifi-cat. §. 16. p. 13.* ait: Nulla petrefactio fieri ſolet ſine certo quodam prædominio & activitate ſalis. In Sale enim, ex Sale & in Sal eunt, prodeunt & redeunt omnia. Calculi geneſin ſali ac lapidi calcario & interdum metallo ferreo cum quibuslibet corporis humanibus, in plerisque viſce-rum ductibus ſecretoriis, maxime in renibus atque veſica concreſcentibus acceptam fert Martinus Liſter: *vid. Act. Eruditor: Lipſ. An. 1697. p. 332.* Ex mente Joh. Gothofr. Bergeri *Phyſiolog. med. Part. I. cap. 12. p. 199.* Seminia cal-culorum ipſi ſero ſanguinis, quod vehiculum alimenti ad ſanguinem, & excrementi ex eodem eſt, ſemper innatant, micæ nimirum ſalium & terræ, quarum quædam aqua di-lutæ quotidie cum urina exeunt; cum autem arctius ſeſe comprehendunt, in arenulas abeunt, quæ vaſis, quibus ve-huntur, aliquas ſenſim affigendo interiores eorum parietes incruſtant, atque in hac illave parte hærentes in calculos coeunt. Et Jacobus de Sandris *de Præternatural. Sanguin. Stat. cap. 3. p. m. 235.* ſcribit: Lapides in calculoſis gene-rari credimus a ſalibus & ſpiritibus, qui, dum invicem im-plicantur in lapideam conſiſtentiam concreſcunt, idque ex-perientia comprobari aſſerimus; nam licet a qualibet uri-na ſalis armoniaci copia eliciatur, ab hujusmodi tamen æ-grotantium lotio major longe ſatis ſalium quantitas extra-hitur, non tamen acidorum, uti pluribus medicis placuit. Vtrumque probatur, ſi urina luteus pannus inſpergatur, vinoſi coloris macula inficitur, quæ ab acidorum inſperſio-ne ſalibus præcipitatis evadit, & ſi urina ſanorum pannus irroretur, croceo colore labefactabitur, & ſalinorum ope mundabitur. Spiritus, qui ſalibus irretitus in calculum degenerat, e vegetabilibus aut animalibus in eſcam aſſum-tis in noſtro corpore gignitur, aut ex ipſis talis elicitur. Ido Wolffius *Obſ. chir. med. Lib. I. Obſ. 47. p. m. 152.* Cal-

culo-

culorum in microcoſmo geneſin viſcido, cui immixta aut irretita ſunt ſalia diverſi generis adſcribendam eſſe credit. Ex principio ſalino, tam fixo, quam volatili, calculos ortum ducere, haud dubium eſt Johanni Conrado Peiero *Exercit. anat. med. I. p. 5.* Et a ſale tam fixo, quam volatili & particulis terreis generationem calculi dependere ſtatuit Idem *Exercit. II. pag. m. 9.* Juxta Georg. Wolffg. Wedel. *Pathol. Med. dogmat. Sect. II. cap. 4. p. 222.* Sal urinæ tartareum undequaque extraverſum ab Archeo irregulari coit & compingitur. Et ſecundum Michael. Ettmüller *Vol. I. fol. m. 801. ſeq.* Calculus eſt concretum tertium ſalſum, magis tamen alcalinum, ex ſale volatili ſeu ſpiritu urinoſo urinæ, acido convenienti p. n. ſaturato coagulatum.

§. 7.

Alii ad calculi generationem non tam ſal fixum, quam volatile concurrere credunt, & quidem ideo, quia per analyſin chymicam in calculo multum ſalis volatilis, parum autem vel nihil ſalis fixi deprehenditur. *vid. Chem. rational. Cap. V. p. m. 93.* Carolus de Maets, *Prax. chymiatr. rat. Cap. 24. pag. 109.* per deſtillationem calculi humani illorum ſententiam, qui calculum ex ſale quodam craſſo tartareo cum materia pituitoſa generari ſtatuunt, exinde impugnat, quia omnia ſubjecta, quæ ſale copioſo tartareo gaudent, poſt examen per ignem multum ſalis fixi poſt ſe relinquunt. Quod cum in hoc ſubjecto deficiat, calculi ortum inde ducendum non putat; cumque in analyſi chymica per ignem nullum ſalis acidi veſtigium appareat, ſed e contra nil niſi alcalicum volatile manifeſtet, idem judicium de Alcali & Acido formandum putat. Item *Prodrom. Chim. rational. Cap. 6. pag. m. 56. ſeq.* idem Autor, ob copiam ſalis volatilis urinoſi in calculo, defendit, ſales *A ſale volatili.*

calculi terram ligantes non eſſe tartareos, craſſos, ſed tenues, volatiles, urinoſos, talesque ſales volatiles, ubi urina oleo ſuo fruſtratur, impetum in terram urinæ faciendo inſtar clavorum partes terræ ſibi mutuo alligare iisque irretitos & profunde immerſos calculum fabricare. Sic Johannes Jacobus Waldſchmid *Inſtitut. medic. cap. 12. p. 62. ſeq.* ex eodem fundamento chymico, quia nimirum in deſtillatione calculi multum ſalis volatilis parumque olei invenitur, calculum ob defectum particularum oleoſarum in ſanguine generari, & conſequenter in urina tophos eadem ex cauſa concreſcere judicat; ſiquidem ob illarum defectum ſalia volatilia ſui juris facta glutinoſos humores combinent & coarctent atque tandem in Duelech cum ipſis concreſcant. Et idem Waldſchmidius *Prax. Caſ. 43. p. 123.* Cauſam calculi dicit eſſe ſal volatile intricatum humoribus auſteris, viſcidis, ob particularum oleoſarum vel balſamicarum defectum. Item *in Colleg. pract. ad Timæi a Gülden-Klee Lib. II. Caſ. 37 p. 870.* inquit idem Autor: Calculus fit ab acido peregrino ſal ſanguinis volatile figens, unde ex mixtura tali acidum fit acido-auſterum, &c. quodſi fermentum renum degeneraverit, tum ſal volatile urinæ ab acido peregrino conjungi concludimus, accedente pauxillo terræ. &c. Secundum verba Antonii Nuckii *Adenograph. curioſ. Cap. VII. pag. 77.* obſervatum ſæpius, calculos veſicæ mole ſua quidem parvos, ſed, ob materiæ unionem compactiorem, in veſica hærere, calculorum futurorum nucleum conſtituere, cui facile incruſtationes lapideæ, tanquam ſtratum ſupra ſtratum ſuperveniunt. Hocque iterum facilius accidit vitam ſedentariam agentibus, quorum urina tardius in renibus ſecreta, diutius in veſica moram nectit; dum particulæ ejus ex ſale volatili urinoſo, ſpiritu limpidiſſimo, oleo fœtido & terra fatua compoſitæ, nucleoque dicto junctæ molem calculi adaugent.

§. 8.

§. 8.

Adductæ vero de calculi generatione ejusque cauſa materiali, ſcilicet ex pituita, partibus terreſtribus & ſalinis, ſententiæ non omnibus arrident Medicis, ſiquidem contra pituitam jam ſupra *§. 4.* ex Hermanni Conringii Diſputatione, rationes in contrarium adduximus. Cui conſentit Matthias Vnzerus *de Nephrit. Lib. I. cap. 8. p. 35. ſeq.* hanc opinionem prodigioſe futilem ac inane prorſus ſomnum eſſe, nec cum veritate quicquam habere commune ſtatuens, 1) quia multa reperiuntur corpora ejusmodi pituitoſis, lentis ac viſcidis humoribus ſcatentia, quibus tamen ne minimum quidem negotii eſt cum calculi paſſione. Vnde ex Fonſeca refert, Monachum quendam octogenarium tantum pituitæ concretæ in matula Cardano oſtendiſſe ut ovi anſerini magnitudinem excederet, qui tamen calculoſus nunquam fuerit. 2) Quia invenire liceat non paucos, quibus nihil omnino talium excrementorum in corpore colligitur, qui tamen calculi cruciatus effugere minime poſſunt. 3) Quia pueri ob voracitatem viſciditati & pituitæ magis obnoxii, non æque ac ſenes calculo excruciantur. 4) Quia præter pituitam ad calculi generationem etiam fervens renum calor (ut volunt) requiratur, qui tamen materiam hanc viſcidam potius diſſolveret. 5) Quia levcophlegmatia ſeu anaſarca laborantes calculi affectioni non ſubjiciantur. 6) Quia, ſi calculus proprie proveniret a materia phlegmatica, tunc ſequeretur, in veſicula fellis nullos poſſe generari calculos &c. Patet inſuper ex hactenus dictis, calculi ex pituita craſſa & viſcida creditam generationem longe aliter a recentioribus, quam veteribus deſcribi, ſiquidem hi pro cauſa efficiente calorem vel frigus materiam illam exſiccans & indurans habebant. Quibus conſentit etiam Dominicus

Dubium circa pituitam.

Pana-

Panarolus *Arcanor. Faſcicul. I. pag. 209.* Calculos, inquiens, in hominibus duplici cauſa generari poſſe exiſtimamus, nempe aut per modum aſſationis, aut per modum congelationis, ſed aliquando ex congelatione fieri lapidem credimus; ſicuti enim urina, dum calida eſt, ſubtilitatem habet, dum vero frigeſcit, lapideſcit, ita in renibus a frigiditate lapides oriri poſſunt, præcipue vero, ſi maxime pannis impoſitis, calefacti renes per calorem pervii redduntur ambienti extrinſeco, ſicque renes frigefacti per accidens lapides procreant. Hanc tamen opinionem alii graviſſimis rationibus impugnant, quas vide in Lazar. River. *Prax. medic. Tom. II. Lib. 14. cap. 1. p. m. 137.* Calculum neque a frigore, nec a calore, qua talibus, neque ex viſcoſis craſſisque humoribus gigni, defendit Georgius Wolffgangus Wedelius *Patholog. med. dogmat. Sect. II. cap. 4. p. 221. ſeq.* Juxta Chriſtiani Langii *Patholog. animat. Cap. 43. §. 9. p. 406.* Pituita non datur in corpore, nec frigus actu in corpore viventi, quorum medio Calculus ſuccreſcat in corpore humano; ſiquidem calor vitalis ubique vigens florensque frigus actuale ex omnibus partibus prorſus eliminet, nec pituita etiam ab iſto calore, ſi eſſet in corpore, coagulari poſſit. Et *pag. 416. §. 10.* inquit idem, famigeratiſſima de efficiente calculi cauſa eſt opinio, quam geminam Dogmatici conſtituunt, atque calorem & frigus quaſi in uno ſacco habent, quorum illum coquere, hoc autem condenſare ſeu coagulare ſtatuunt. Verum quis duorum extremorum æquivalentem actionem uno eodemque loco ac tempore præſumet &c. Johannes Jacobus Waldſchmid *Prax. med. Caſ. 43. p. 122.* ait: Quidam putant, calculum oriri a calore, ſed ſi hoc verum, unde eſt, quod ſenes eo corripiantur. Scribit etiam ibidem *p. 490.* Veteres cauſam calculi dicunt humorem pituitoſum craſſum & viſcidum, cauſam vero efficientem

eſſe

eſſe calorem igneum. Hæc ſententia firmo ſtare talo nequit: ſi enim materia calculi eſſet pituita craſſa, tum in illis partibus, ubi abundat pituita, cerebro ſe & ventriculo frequentius deberet generari calculus, quod tamen non fit; neque calor cauſa efficiens eſſe poterit, alias juvenes propter calorem illum igneum magis deberent eſſe obnoxii calculo, quam ſenes, quod tamen negat experientia. Et ſi concederetur, pituitam eſſe materiam calculorum, calculi deberent eſſe friabiles, ut in podagra concreta illa materia eſt, quod tamen non eſt: Sic Henricus Meibomius *Diſput. de Calcul. Ren. An. 1679. Helmſtad. habit.* §. *36.* inquit: Quamvis tenax admodum fiat ſæpe pituita & illa dein fortiter concreſcat, exſiccetur & induretur, tum alibi, tum in inteſtinis, tamen tantum diſtat hujusmodi concreta pituita a calculis, quantum gleba aliqua argillacea ſole indurata a ſilice. Equidem lateres tegulasque ex argilla in lapides quodammodo converti poſſe notum eſt, ſed ſumma vi ignis, facta quadam interni ſalis fuſione & combinatione cum terra; nullo tamen modo iſtud exemplum ad calculi in corpore noſtro concretionem adduci poteſt, quippe in quo modicus tantum calor, & ille humidus, concreſcente calculo in locis humidiſſimis, renibus & veſica. Johannis Bapt. van Helmont *de Lithiaſ. cap.* 2. *ſ.* 2. *f.* 15. verba ſic ſonant: Materiem calculi ſcholæ vocant quandam mucilaginem, quam vocant viſcidam ſive mucoſam pituitam. Efficientem vero calculi, volunt eſſe calorem, tam externum lecti, &c. quam ipſius male affecti viſceris. Contra ego per mechanicam oſtendi, nullam mucilaginem, ut talem, unquam eſſe, fuiſſe ac fore materiam ex qua calculi &c. vid. etiam Henr. Petræi *Noſolog. Hermet. Tom. II. Diſſ. 40.* §. *14. & 16. p. 308. & 310.* Communiſſima equidem ac receptiſſima omnium fere tam veterum quam recentiorum medicorum

eſt ſententia, calculi cauſam efficientem ſoli & unico renum immoderato ac quaſi adurenti calori adſcribendam eſſe. Hanc vero ſententiam plurimum erroris ac falſitatis habere, nec ulla in parte veritati accedere, variis rationibus refutat Matthias Unzerus *de Nephrit. Lib. I. cap. 5. p. 20. ſqq.* Juxta Johannem Cratonem *in Laurent. Scholz. Conſil. medic. 144. fol. m. 407.* videmus multos inſigni caliditate renum præditos; nec tamen calculoſos. Et ſecundum Dan. Beckher. *Microcoſm. med. Lib. I. cap. 15. p. 95.* cauſa generandorum lapidum ejusmodi vix eſt, quæ tantum ab externo frigore, vel calore in lapideam mutetur duritiem, ſed internum aliquod coagulationis requiritur principium: Petrus Poterius *Obſerv. medic. Cent. III. cap. 12. p. m. 360.* de lapilloſa concretione ſcribit, communium Medicorum ſcientiam haud ſatis eſſe tutam. Quod calori, tamquam cauſæ efficienti tribuunt, jamdudum falſum fuiſſe convictum fuit. Quid quæſo ab omni Philoſophia magis eſt alienum, quam concedere aliquid ſupra vires ſuas agere poſſe, &c. Varias etiam rationes tam contra hanc cauſam materialem ſcilicet pituitam craſſam, quam efficientem, nimirum calorem & frigus adducit Gualterus Charleton *de Lithiaſ. Cap. II. & III. p. 15. ſeq. & pag. 51. ſeq.* vid. etiam Guilh. Fabric. Hildan. *de Lithotom. Veſic. Cap. II. p. m. 25. ſeqq.* Robert. Boyle *de Utilit. Philoſ. experim. Exercit. II. p. 127.* Thom. Schirlæi *Diſſertat. de Petrificat. p. 24. ſeq.* Iſaac. Cattier. *Obſ. I. p. m. 12.* qui ultimus equidem non exiſtimat, tantum in corpore dari frigus, ut illo concreſcat materia calculoſa, nec tantum calorem, ut illum inſtar laterum excoquat atque induret, ſed quod nativus calor partium, in quibus calculus generatur, ita ſegnis hebesque reddatur, ut materiam illam excrementitiam digerere, excernere atque expellere non valeat, ſed fiat tanquam transcolatio tenuioris partis, craſſiori atque terreſtriori ſubſiſtente, &c. Interim

terim

terim idem Autor ad calculi generationem aliquam caloris innati debilitatem præſupponit. Plura de Calore & Frigore vid. in Gothofr. Stein. *Lithograph. §. 30. p. 42. ſeq.* quo loco caloris, ad calculi ortum, operationem his verbis deſcribit: Calor, quatenus continuum corpuſculorum connotat motum, eorumque humidorum ab aliis receſſionem ſeu evaporationem egregie promovere valet, ad concreſcendos calculos eo modo conferre poteſt, quo lixivium fornaci calidæ, vel ſoli expoſitum, poſt aquoſitatis evaporationem in ſalinas conſolidatur cryſtallos, quæ tamen & absque caloris adminiculo, poſt pluſculum temporis eandem conſiſtentiam acquiſiviſſent.

§. 9.

Contra particulas terreſtres & tartareas.

Deinde illorum opinioni, qui calculorum geneſin in particulis terreſtribus & tartareis quærunt inter alios Autores contradicit Johannes Jacobus Waldſchmidt *Inſtitut. Medicin. rational. Lib. I. Cap. 12. p. m. 62.* inquiens: Nonnulli calculum ex calida renum intemperie humores terreſtres adurente, produci autumant. Enim vero quamvis non inficiemur vitra & ollas, vaſa ex arena, cineribus & argilla vi ignis quotidie confici, nemo tamen opinor erit, qui talem ignem in renibus concipiat, aut figulinam ibidem ſibi effingat fornacem, in quo humores eo delati ad tantam excoqui poſſint duritiem. Imo ridiculum foret, tale quid in ſenibus ſibi imaginari, in quibus veſtalis ille ignis friget, & ad lateres coquendos nimis debilis redditus eſt, cum tamen hæc ætas nephriticis doloribus admodum obnoxia ſit. Et *Prax. Medicin. ration. Caſ. 43. p. m. 123.* inquit, falſum eſt, calculos oriri ex tartaro quodam ſanguinis, quamvis illud plauſibiliter ſatis dicant multi Medici, cum in tartaro acidum prædominetur, in calculo vero ſal volatile. Neque etiam a ſalibus, ſecundum quorundam ſupra allegatorum opinio-

Contra ſalia.

opinionem, Lithogeneſiam oriri, ibidem vidimus, ſiquidem Autor *Praxeos chymiatricæ Cap. 24. p. 109.* per chymiam ſal equidem volatile in calculo reperiri defendit, non autem fixum; per deſtillationem, inquiens, obtinebis in Recipiente portionem aliquam ſeroſam, pauxillum olei, ſal volatile urinoſum quantitate ſatis conſiderabili, quippe calculus ordinarie fundit quartam ſui partem ſalis volatilis. Hunc ſalem ſi cum cineribus oſſium calcinatorum, ut artis eſt, ſublimaveris, exacte æmulabitur ſal volatile urinæ, & per omnia ipſi ſimilis erit. Caput mortuum ulterius concrematum nil niſi meram eſſe terram, experientia ipſa confirmat. Huic enim ſi pluviam affuderis, vix unum ſalis fixi granum colligere licet; unde cadit illorum ſententia ſtatuentium, calculum generari ex ſale quodam craſſo tartareo cum materia pituitoſa, quippe omnia ſubjecta, quæ ſale copioſo tartareo gaudent, poſt examen per ignem multum ſalis fixi poſt ſe relinquunt; quod cum in hoc ſubjecto deficiat, calculi ortum inde ducendum non putamus. Huic etiam Maetſii, Waldſchmidii & aliorum de calculi ex ſale volatili generatione ſententiæ Gothofredo Steinio *Lithograph. curioſ. §. 16. p. 30.* obſtare videtur, tum celeris quandoque & quaſi extemporanea materiei calculoſæ concretio, tum ſolidiſſima plurimorum calculorum durities, tum ipſorum ſalium volatilium ad coagulandum inhabilitas. Primam rationem probat exemplis; quoad ſecundam, durities nonnullorum calculorum ſatis ſolida ſalium volatilium concurſum, ceu cauſam efficientem lapideſcentiæ, ſtatuere vetat. Utut enim non negandum, in ſublimatione calculorum multum ſalis volatilis colligi poſſe; exin tamen certo concludere non licet, ſalem volatilem eſſe coagulatorem, nam & capitis mortui, vel, ut Chimici loquuntur, terræ damnatæ, multum relinquitur, quæ tamen id nominis vel officii a nemine impe-

trabit,

trabit, tanquam potiſſimum eorum materiale principium; quinimo ea concreta, in quibus particulæ volatiles prævalent, ſi iis quodammodo contingat fermenteſcere, eæ, majorem commotionis gradum adeptæ avolant, inque aërem diſperguntur, vel anguſtiori loco concluſæ, avolarique neſciæ, aliis quidem immerguntur quaſi iisque implicatæ & quaſi ſubjugatæ, dum fugam ulterius patrare nequeunt, una cum iis varie quidem miſcentur, per ſe tamen ſtabilem ſoliditatem ipſi mixto præſtolari non valent, utpote quæ ſolis particulis terreſtribus debetur; proinde hinc quoque ſalium volatilium inhabilitas ad coagulandos calculos evidens redditur, eo, quod ipſi non levem ab aliis particulis reſiſtentiam pati, & ab his, vel ad extravagandum, vel ad dividendum ſe cogi poſſint, & eo ipſo, dum ſimul interveniente aëre, vel alio fluido, facile diſſolvi inque fluorem redigi poſſunt, ad ſolidum, immo ſolidiſſimum quoddam corpus compingendum inhabiles merito judicandi.

§. 10.

Ex acido & alcali ſimul mixtis calculi originem alii deducunt; Inquit enim Joh. Viridetus *de Prim. Coction. Part. II. cap. 1. p. m. 230.* ex acido ventriculi & alkali ſimul junctis tertium quid enaſcitur, & hæc ſunt lapillorum natalia, quæ fiunt in omnibus cavitatibus corporis, ſæpius in illis, quibus alcalia plurima inſunt, ut in renibus, veſica urinaria, veſica fellea. Acidum ad calculi coagulationem multum conferre, ita explicat Fridericus Hoffmannus *Medicin. rational. Tom. II. Pathol. gener. Part. 3. cap. 3. §. 13. p. 383.* Acida copioſius ſumta dum migrant in ſanguinem, non modo ipſi fluxilitatem demunt, ſed & congrediendo cum particulis terreis & ſalinis copioſum tartareum ſal in humoribus producunt, a quo intra corpus retento, nec per renales

An ex acido & alcali.

les tubulos evecto, varia calculorum genera in renibus, veſica, ductibus bilioſis & variæ arthritidis ſpecies oriuntur. Ego, pergit idem in Scholio, multoties obſervavi, ab immoderata vinorum, quæ multum acidi continent, potione & arthritidem & renalem calculum, præſertim accedente quadam hæreditaria diſpoſitione, diu adfluxiſſe. Helvetos & Batavos veſicali calculo maxime eſſe obnoxios, notiſſimum eſt; cauſa dubio procul in crebrum lacticiniorum ac acidorum uſum venit. Cyprianus, celeberrimus ille Angliæ Lithotomus inter 4000, in quibus extractionem calculi tentavit, œnopolas quamplurimos, ſed ne unum quidem Zythopolam calculoſum invenit, unde cerevIſiam blandam & mitem magis, quam vetuſtam, ad potum ordinarium commendat. Et eidem Hoffmanno *Annot. in Petri Poter. Obſerv. Cent. III. cap. 72. p. 361.* acidum & terra elementa calculi ſunt, quæ, invicem juncta, dura conſtituunt corpora. Cryſtallus pulveriſata cum aceto in priſtinam abit duritiem. Calculus humanus ſi deſtilletur, ſpiritum acidum acrem præbet, qui capiti mortuo ſuperinfuſus priſtinam duritiem acquirit; Ottonem Tachenium calculos, experimentis non contemnendis ex acido & alcali conflare dicit. Johannes Conradus Peierus *Exercit. anat. I. p. 5.* Et ibidem *p. 3.* ad Peierum ſcribit Johannes Jacobus Harderus: Calculum per coagulationem, vel, ſi mavis, partium concretionem generari, in confeſſo eſt: quæ autem hujus cauſa ſit, dubium adhuc: alias acida imprimis ubi exceſſerint, ad coagulationem pariendam aptiſſima exiſtunt. Unde fermentum in calculoſis acidum ſtatuere aliqui vix metuent, quos confirmare poſſet, nupera a me, præſentibus pluribus φιλιάτροις facta obſervatio in cane, cujus in renibus ſuccenturiatis deprehendi ſuccum ſubatrum & liveſcentem, ſatis copioſum, qui guſtui ſe præbebat ſubacidum: an forte ſimilis ſuccus in

renibus

renibus generetur quandoque, vel ab his glandulis iis communicetur, ulteriori ſcrutinio opus habet. Idem Harderus etiam *Apiar. 78. Schol. p. 302.* in infantis trimuli, ſtatim a partu calculoſi corpuſculo particulas etiam ſalinas acres, acidas forte pariter atque alcalinas prædominium tenuiſſe ſtatuit. &c. vid. etiam Aegid. Däelmann. *Prax. med. de Acid. & Alcal. Cap. 15. pag. m. 72.* Hanc opinionem defendit etiam Michael Ettmullerus *Oper. Part. I. fol. m. 219.* ſcilicet calculorum concrementum eſſe ſalinum & generari per modum coagulationis duorum ſalium præternaturalium, Acidi præternaturalis, & Alcali volatilis urinoſi, dum acidum vitioſum in primis viis, imprimis ob ſtomachi errorem dilapſum, reliquis partibus communicatur; in quibus inveniens ſal urinoſum purius, cum eodem ſe conjungit, unde neceſſario in unam maſſam ita coëunt, & ſe invicem firmiter coagulant, vid. etiam *ejusd. Part. II. fol. 697.*

§. II.

Alii imprimis Hermetici calculi cauſam efficientem ſuccum vel ſpiritum quendam lapidificum, materialem vero ſalia terreſtria vel materiam tophaceam ſtatuunt. Inquit enim Gothofredus Mœbius *Phyſiolog. cap. XVII. p. 441.* Calculorum & arenularum in renibus & aliis corporis partibus ortum ſcitaturo non levis ſententiarum differitas offertur. Alii enim eos a frigoris, alii a caloris exceſſu generari ſcribunt. Verius autem Chimici cauſam in ſpiritu quodam lapidifico in ſuccis tartareis & coagulabilibus latente quærunt, ſeſe non raro, in quibusdam aquis fontanis, ſua natura licet limpidiſſimis, manifeſtante: vid. etiam ejusdem Mœbii *Inſtitut. medic. Part. II. cap. 13. p. 137.* ubi inquit: Cauſa calculorum efficiens non eſt calor, vel exſiccatio cujusdam materiæ viſcoſæ, ſed

A ſpiritu lapidifico.

ſpiritus

ſpiritus lapidificus ſucco tartareo immerſus. Secundum Henrici Petræi *Noſolog. Harmon. Tom. II. Diſſ. 40. §. 19. p. 311.* probabiliſſima maximeque veritati naturali conſentanea & conſpicua eſt Hermeticorum ſententia, qui hanc petrificationem ſpiritibus ſalinis innatam, licet ἄῤῥητον & explicatu perdifficilem coagulandi vim poſſidentibus attribuunt. Horum enim ſuperventu & influxu mucilaginoſa & tartarea materia iisdem ſignaturis prædita, non ſecus ac Gorgonio capite conſpecto obrigeſcit inque lapidem convertitur ſpiritus hic ſalinus, &c. Neque etiam Gothofredo Steinio *Lithograph. curioſ. §. 26. p. 29. & §. 27. p. 34. ſeq.* plane abſurdi videntur illi, qui in ejusmodi naturæ actu vel calculi concretione peculiare aliquod agens, ut vocant ſpiritum Gorgoneum ſive lapidificum, concurrere exiſtimant, cujus interventu aliæ particulæ, ad coagulandum habiles, facilius ad duritiem coguntur aliæ, vel ſubjugatæ implicantur, vel ſui juris factæ avolant, ſicque concretum lapideum, vel ex tempore, vel aliqua mora interjecta, formetur. Item ab interno quodam principio ſalino & ſpiritu λιθοποιητικὴν facultatem habente, calculos in homine generari, credit etiam Georgius Hieronymus Velſchius *de Aegagropil. Diſſert. I. p. m. 15.* Hunc ſuccum lapideſcentem defendit etiam Johannes Daniel Geierus *de Montib. conchifer. & Gloſſopetr. Alzeienſ. Tract. 1. §. 12. p. 10. ſeqq.* Neque tamen ſemper requiri, ut ad oculum pateat humor, cum etiam ſolus flatus aut exhalatio ſufficiat, *ibidem p. 12.* ex Cornelio Witſletio addit. Videatur etiam Dan. Sennert. *de Chymic. cum Ariſtot. Conſenſ. Cap. XI. pag. 180. ſqq.* Ex Oſwald. Croll. *Præfat. in Baſilic. Chymic.* hæc allegat Joh. Daniel. Major *de Cancr. petroſ. p. 13.* Spiritus ſalis, qui eſt heros & dominus coagulationis in variis ſubjectis, oſtendens materiam reſolutam, ſeu ſeparatam a nutrimento & excremento, generat calculum: Loquitur autem, pergit

pergit ibidem Major, ibi dictus Crollius, non de ſpiritu ſalis artificiali, ſeu liquore illo acido & corroſivo, qui chymice ex ſale culinari educitur; ſed philoſophico magis, atque in corporibus noſtris, culpa alimentorum hærente, quemque ob ſummam, qua gaudet, ſubtilitatem & agendi vim, ſpiritum nominat. Cui aſſentit etiam Johannes Sophronius Kozak *Tract. de Sale Cap. VI. Sect. 6. p. 241.* ubicunque, inquiens, vel quando naſcitur calculus, vel calculo affinis corporeitas in humano corpore, id nulli cibo aut potui formaliter imputari poteſt, ſed materialiter ſine discrimine omnibus eſculentis & potulentis. Qui autem tartaros vel calculos generat, ſpiritus eſt, vel eſſentia ex inferiori eaque minerali ſcena in nos pulſa vel attracta; quæ in nobis ſub ſpecie ſervili aliquandiu latuit, & ſemper ſecundum ordinationem primævam creatoris latere debuit, imo & latuiſſet, niſi eum vel parentes noſtri, vel nosmetipſi, laſcivientis in illis vel nobis concupiſcentiæ nequitia, ſolviſſemus. Et *Sect. II. p. 254.* inquit idem: ſicuti conchæ in mari, vel perlæ in conchiliis generantur, ſic quoque calculi fiunt in corporibus, in quibus fiunt; ſinguli a peculiaribus principiis vel ſpiritibus ſalinis. Tales ſpiritus lapidificantes in noſtro corpore dari, docent illæ calculorum concretiones, quæ alias explicari non poſſunt, inquit Theodorus Craan *Oeconom. animal. Part. I. Quæſt. 9. p. m. 7.* Et *Part. II. Qu. 119. p. 232. ſeq.* ſcribit: ut calculi coagulationem bene explicemus, cogimur ſtatuere, in poris renum & veſicæ aliarumque partium, in quibus calculus generatur, latitare ſpiritum quendam Gorgonium ſive lapidificum, qui particulas ſanguinis craſſiores in lapideam convertat ſubſtantiam. Item *Tract. de Homin. Cap. 5. p. m. 17.* inquit: Rationi non repugnat, dari ſpiritum coagulantem corpuſcula in lapideam duritiem, qui per corpus ſæpe fulminis inſtar fluit, & in momento

quaſi materiam quandam mollem, mucilaginoſam convertat in ſaxeam duritiem. Et *Cap. 138. p. 694.* idem Autor inquit: generantur exiguæ arenulæ ex terra glutinoſa, viſcoſa, renibus inhærente, & poſtea agglutinato ſpiritu quodam, vel fermento gorgonio, lapidifico, lapilli generantur. Talem ſpiritum vocat Johannes Baptiſta von Helmont *de Lithiaſ. Cap. 1. §. 16. fol. m. 14.* fracidum odorem ſaxeum. Lazarus Riverius *Prax. med. Tom. II. Lib. 14. Cap. 1. p. 143.* calculi cauſam efficientem vocat ſpiritum lapidificum, quia in iis, qui calculoſam renum diſpoſitionem, a natura aut jure hæreditario non habent, calculi etiam generantur, ſi alimentis continuo & maxima copia utuntur, quæ plurimum ſucci lapideſcentis in ſe continent, aut aquas bibunt tali ſucco abundantes; ſiquidem in illis aquis aut cibis non ſolum adeſt cauſa materialis, ſed etiam ſpiritus lapidificus illis inſitus eſt, qui ſeminis inſtar lapidis formam inducit: unde non male Hermetici cauſam lapidum efficientem ad propria ſemina referunt, quæ in materia diſpoſita ſuæ ſpeciei lapidem producunt. Præterea, pergit Riverius, a ſpiritu quodam lapidifico calculos generari oſtenditur hiſtoriis luculentis, hominum, brutorum, aliarumque rerum ſpiritu quodam a terra exſpirato, in lapides & ſaxa converſorum. De hac Hermeticorum cauſa calculorum efficiente, ſcilicet Spiritu Salis microcoſmici, vid. etiam Matthiæ Unzeri *Tr. de Nephritid. Lib. I. cap. 4. p. 14. ſeqq.* Deque hoc ſpiritu ita ſcribit Niclas Venette *au Traité des Pierres Cap. VIII. p. 132. ſeq.* il y a des Medecins, comme Avicenne, qui ſoutiennent, que le ſel, que l'on nomme animal, parce qu'il ſe trouve dans les animaux, eſt la veritable cauſe efficiente & prochaine des pierres, ce qui me ſemble eſtre le plus vray-ſemblable, car le ſang des animaux, ou la liqueur, qui répond à ce ſang, dans ceux, qui en manquent, eſt toute chargée de ſels differens, aprés

avoir

avoir lavé toutes leurs parties: ſi bien qu'il n'y a pas lieu de douter, que par tout, où il eſt porté par le mouvement des arteres, il n'y porte auſſi avec ſoy un Eſprit & un ſuc petrifique, qui eſt proprement la ſemence des pierres. Cui ſententiæ de ſpiritu lapidifico etiam ſubſcribit Georgius Balthaſar Metzgerus *Diſput. de Scrutin. Lithogeneſiæ, Tubing. 1685. habit. §. 13. ſeq. p. 14. ſq.* Ejusmodi ſpiritus coagulatores ſeu acidos admittit etiam Dionis *dans le Cours d'Operations de Chirurgie Demonſtr. 3. p. 132.* inquiens: Le principe eſſentiel ou le fondement de la pierre eſt toûjours, quelque particule d'un chile groſſier & mal digeré, qui etant porteé avec la ſeroſité urinaire aux reins, & s'inſinuant dans un des petits tuyaux des corps mammillaires, qui filtrent cette ſeroſité s'y embarraſſe & s'y arrête, de maniere qu'avec le ſecours des Eſprits coagulateurs ou des acides, elle s'y endurcit & devient pierreuſe. Et Johannes Baptiſta Verduccius hunc ſpiritum coagulatorem pro acido-volatili habet; *dans la Suite de Pathologie de Chirurgie Cap. 35. p. m. 958.* ubi calculi generationem ita deſcribit: dans la Nephretique il y a dans les reins un Eſprit acide volatile, qui irrite ces parties, lequel ſe melant avec une ſubſtance huileuſe, ſalée, ou tartariſée, il ſe fait une fermentation & enſuite une coagulation, parceque cet eſprit acide volatile s'embaraſſe dans les petits rameaux de la matiere huileuſe, & penetrant fort avant les pores du tartre, qui ſe trouve dans les reins, il s'en forme du ſable par ſon mélange avec la matiere tartareuſe; ce qui ſe fait à peu prés de même que cette croûte pierreuſe, qui s'engendre ſur les dents; Et *pag. 960. ſeq.* pergit idem Autor: pour la formation de la pierre il eſt neceſſaire, qu'il y ait deux ſortes de matiere, une viſqueuſe & tartareuſe, & l'autre un eſprit acide volatile & penetrant, pour faire par leur union, & par leur mélange un corps

dur & compacte &c. Econtra aliter ſentit Melchior Francus *de Podagr. p.m. 104.* Tophacea, inquiens, materia in calculo non cauſa morbi, ſed ejus materia ex qua componitur: Cauſa vero efficiens coagulator eſt ſpiritus ille renes & articulos inflammans; quem ſpiritum λιθοποιητικὸν quidam acidum volatile vocant, ego vero potius acrimoniæ alcalinæ participem eſſe credo, atque per acida volatilia deſtruendum, quæ acida calculum in atomos reſolvunt, atque calculoſis exhibita ſæpius interdum non pœnitendam operam navant. Plura de hoc ſpiritu gorgonio vid. Dav. Græbner. *Medicin. vet. reſtit. Cap. V. p. 24. ſeq.*

§. 12.

Spiritus talis negatur.

Hunc tamen ſpiritum lapidificum ſeu gorgonicum alii Autores rejiciunt: Inquit enim Georgius Wolffgangus Wedelius *Patholog. medic. dogmat. Sect. II. cap. 4. p. m. 221.* ſpiritum illum architectonicum & gorgonicum alias dictum, & reliqua eodem recidentia eſſe entia chymærica, occultis revera qualitatibus, vulgo dictis, conformia & adſcribenda, nil dicentia, quam quod fiant, τὸ διότι vero, quomodo, quare fiant, non attingentia, ſed occultantia potius, ut aliquid dum dicere videntur, nihil dicant omnino. Et Johannes Jacobus Waldſchmidt *Prax. medicin. ration. Caſ. 43. pag. m. 122.* ait: quidam dicunt, calculum eſſe a ſpiritu quodam lapidifico, ſed nihil dicunt præter terminum. Et *pag. 490.* ſcribit idem, cum non poſſit explicari, nec intelligi, quid ſit ille ſpiritus lapidificus, non poſſumus credere, ita generari calculum. Autores clarius debent explicare, quid ſit ſpiritus lapidificus, nos dicimus eſſe Non Ens. Quid per ſpiritum coagulativum Helmontius intelligat, ſatis ſe penetrare non poſſe fatetur, & divinare non vult Johannes Conradus Peierus *Exercit. anatom. med. I. p. 5.* vid. etiam ejusdem Waldſchmidii *Inſtitut. cap. 13. p. 63.*

quo

quo loco ſuam ſententiam de calculi ex ſalibus volatilibus generatione veritati magis conſonam eſſe dicit, quam illorum, qui ad ſpiritum lapidificum confugiunt, & quid in corpore noſtro fiat quidem dicunt, ſed quomodo fiat reticent vel ignorant. Juxta Joh. Dolæi *Encyclop. med. Lib. III. cap. 13. p. 590.* Multi neotericorum calculoſæ concretionis cauſam ſpiritui lapidifico debere ortum ſtatuerunt. In quo vero hujus ſpiritus formalis conſiſtat eſſentia, non addiderunt; nos vero audacter ſtatuimus, coagulationis cauſam eſſe ſpiritum acidum volatilem & Henricus Meibomius *de Calcul. Renum §. 46.* inquit: qui ſalium vi concretiones calculorum fieri arbitrantur, non omnino male loquuntur, rectiusque mihi videntur facere Medici, qui hoc principium congelativum in ipſa materia reſpiciunt, quam extrinſecus ſupervenientem aliquem ſpiritum ſeu auram gorgonicam. Utut enim nolim negare Phyſicis, talem dari, qui

- - - - - - - *ſaxea reddat*
Corpora, qui totis inducat marmora rebus,

qui tam varia & omnia pene vegetabilia & animalia corpora poſſit petrificare, ceu innumeris exemplis conſtat. Utut quoque concedam, quando in homine integræ partes lapideſcunt, aut fœtus in utero petrificatur, non id ſine peculiari aliquo lapideſcente ſucco partes iſtas pervadente contingere; tamen neſcio, an neceſſe ſit, ad vulgares illas calculorum in veſica & renibus generationes explicandas, ſpiritum aliquem gorgonicum, tanquam Deum ex machina, advocare. vid. etiam Mich. Ettmüller. *Oper. Part. II. fol. 697.* De hoc ſpiritu gorgonico vi ſua ſaxipara exuto Tractatum edidit Gualterus Charleton, quem Benevolus Lector evolvat.

§. 13.

Inquit autem Waldſchmidius *Inſtitut. l. a.* generari calculum *Ob defectum particularum oleoſarum.*

culum ob defectum particularum oleoſarum in ſanguine, & conſequenter in urina tophos eadem ex cauſa concreſcere, ſiquidem ob illarum defectum ſalia volatilia ſui juris facta glutinoſos humores combinant & coarctant, atque tandem in Duelech cum ipſis concreſcunt. Deficiunt autem particulæ oleoſæ ob deficientem debitam metheoriſationem & attenuationem in ventriculo & inteſtinis, hinc ſopitæ manent oleoſæ balſamicæ particulæ, ut poſtmodum in ſanguine extraverti non poſſint & acrimoniam aut aculeos ſalium obtundere neſciant. Et juxta Frider. Hoffmann. *Not. in Petr. Poter. Obſervat. Cent. III. Cap. 72. p. m. 361.* calculus humanus ſi deſtilletur, parum præbet olei, quia generatur ex defectu particularum oleoſarum, & ob id ratio in promptu eſt, quare omnia ferme oleoſa, item oleum amygdalarum dulcium in copia hauſtum a calculo præſervet. Oleoſæ enim particulæ ramis ac tricis ſuis impediunt, quo minus arcte coire queant in durum corpus ſicuti ſalina: Compertum enim ex Chymicis eſt, oleum reſiſtere cryſtalliſationi, hinc nonnulli, ut elegantes cryſtallos acquirant, addunt lixivio ſalino ſpiritum vini rectificatum, ut ille particulas pingues oleoſas abſorbeat. Et juxta Johann. Dolæi *Tract. de Furia Podagr. Lact. vict. c. 5. §. 6. pag. m. 93.* lactis pars pinguis ex qua butyrum fit, præſervat a calculo, unde ratio patet, cur calculus humanus deſtillatus tam parum præbeat olei, hinc credit Dolæus, quando particulæ oleoſæ non juſta quantitate ſanguini accedunt, ac rite cum cæteris commiſcentur, quod tunc calculus facile in renibus & veſica produci poſſit &c.

§. 14.

A renum conſtitutione. Nonnulli Autores calculi cauſam efficientem in peculiari renum conſtitutione, & facultate, ſeu virtute lapidifica, quærunt, e. g. Johannes Fernelius *Patholog. Lib. VI.*

c. 12.

c. 12. p. m. 177. inſitam rerum arenoſam calculoſamque conſtitutionem pro cauſa efficaciori longeque crebriori ſtatuit; & Gothofredus Steinius *Lithograph. curioſ. §. 5. pag. 6.* fermentum peculiare ſtatuit, ubi calculum definit, quod ſit corpus exſangue, durum, modo læve, modo aſperum, ſæpiſſime corticoſum, friabile vel ſolidisſime compactum, ex particulis terr-aqueo-ſalinis excrementitiis, ope fermenti cujusdam peculiaris coagulantis condenſatum. Id certum, ad calculi generationem fermenti, ſi quod eſt, renalis vitia plurimum conferre poſſe, concedit Johannes Conradus Peierus *Exercit. I. p. 4. Et Exercitat. 2. p. 10.* Renibus fermentum, ſequeſtrationis autorem vel promotorem admittit. vid. etiam Henr. Petræi *Noſolog. Tom. II. Diſſ. 40. p. 311.* De dicta tamen conſtitutione & Diatheſi lapidifica non modo dubitat Georgius Wolffg. Wedelius *Patholog. med. dogmat. Sect. II. cap. 4. p. m. 221.* ſed etiam fermenta renum & aliorum viſcerum ab aliis rejiciuntur. Et Gideon Harveus medicorum vulgus ridet, qui calorem p. n. renum, aut facultatem λιθοποιητικὴν pro calculi cauſa habent. vid. *Act. Erudit. 1701. menſ. Octobr. p. 439.*

§. 15.

A Spiritu Urinæ & vini.

A Spiritu urinæ & Aqua vitæ ſeu Spiritu vini calculum coagulari putat Johannes Baptiſta van Helmont, ſtatuens, in urina contineri Spiritum vini, huncque ſpiritui urinæ affuſum in momento fieri coagulum album, inſtar offæ, adeoque horum ſpirituum concurſu calculum generari. v. Helmont. *de Lithiaſ. c. 3. §. 42. ſq. & c. 4. §. 1. ſq. fol. m. 28.* de quo vid. etiam Nicol. Grimbergs Beſchreibung des Nieren- und Blaſenſteins *p. m. 6. ſeqq.* De experimento ſingulari, quo bini liquores omnino limpidi, (Spiritus ſcilicet urinoſus, ſive aqua quædam ex ſale armoniaco, artificio chymico parata, & liquor ex tartaro calcinato & humido

humido aëri expoſito prolectus ſive oleum Tartari per deliquium) dum ſimul permiſcentur, in corpus conſiſtens & omnino ſiccum coaleſcunt, vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1686. Menſ. Novembr. p. 562. ſeq.* Hanc tamen Helmontii opinionem cenſuræ ſubjicit Henricus Martinius *Anatom. Urin. cap. 14. p. m. 251. ſeqq.* inquiens: Spiritus vini cum ſpiritu urinæ Helmontio perſvaſit dicam, an impoſuit, ut ſpirituum vini in urina contineri crederet, atque quemadmodum ex ſpiritu vini, ſpiritui urinæ affuſo, momento coagulum album fieri offæ inſtar experientia docet, ita horum ſpirituum in corpore concurſu calculum generari, hancque non aliam eſſe calculi generationem, alta voce ſcholis, quas ita per contemptum appellat, perſuadere conatur. Conſtat autem cuivis, per hanc Helmontii opinionem calculo eos ſaltem fore obnoxios, qui vino utuntur, eosque calculo carere nunquam poſſe, qui eo ſeſe liberalius ingurgitant. At contrarium non minus verum eſt, cum & abſtemios calculo laborare contingat, & ſtrenui potatores ſæpe immunes ſint. Quomodo autem ſpiritum vini in urina Helmontius primus agnovit & ſolus, quem tota chymicorum cohors hactenus pervidere non potuit? Sed nihil illi derogemus & credamus, tanquam artifici: quomodo vero hi duo ſpiritus, qui in urina coëxiſtunt, & communi fruuntur contubernio, quomodo, inquam, in ſe mutuo armabuntur, ut coagulum efficiant mediis in undis, quarum pars ipſi ſunt? &c. Et Autor Riverii reformati *Lib. I. cap. 25. p. m. 272.* inquit: Nonnulli aliam calculi materiam aliudque ipſum efficiens probabilius & evidentius ſtabiliunt, petita ex chymia experientia, qua vini ſpiritum cum ſpiritu urinæ intenſius efferveſcere & in lapideum ſubinde coagulum præcipitari conſtat, ſimiles analogosque in ſangvine liquores imaginati ſunt, qui in ductibus renum urinoſis aut eorundem pelvi ſibi mutuo

mutuo occurrentes lapidem per præcipitationem ſimiliter efficerent. Verum etſi modus hic calculi productionem explicandi magis medicum redoleat, non tamen minus a ſcopo aberrat; quanquam enim humores ſpiritui vini & urinæ congeneres in ſanguine admitteremus, ii ſatis ſinceri non eſſent, ut ſimilem in renibus efferveſcentiam conciperent. vid. etiam Georg. Wolffg. Wedel. *Patholog. med. dogmat. Sect. II. cap. 4. p.* 222.

§. 16.

A certa conſtellatione.

Ab anguſtia canalis & certa conſtellatione calculum derivat Johannes Jovianus Pontanus *de Reb. cœleſt. Lib. II. cap. 5. p. m. 314.* Calculi, inquiens, vitio, ſolus homo vexatur, quod ejus veſica, in qua gignitur, anguſtum admodum os atque canalem habeat. Ea & piſces pleroſque & aves carere compertum eſt: & quibus ineſt animantibus, ut quadrupedibus, ea meatus laxiores ipſumque canalem ſane quam amplum atque adapertum habent, vnde facilis eſt, qui in illam influxerint, humorum emictio. Terreni igitur humoris quicquid in illam intruſum eſt, ubi ſecrevit ſeſe atque ſubſedit, quod in matula cernitur vitreisque urinariis nec propter canalis anguſtias excernitur, paulatim concreſcit arefactumque a calore fit craſſius, ſiquidem particulæ ipſæ ſibi inhærentes, dum ab exitu prohibentur, in calculi formam ſenſim coactæ tranſeunt, dolorque inde oritur, dum natura emittere illum nititur, contra anguſtiæ canaliculi, ne exeat, prohibent. Totum autem hoc vitium Saturno videtur imponendum, quoniam tum veſicæ, tum humori terreno præſidet ac ſuapte natura maleficus eſt. Erit igitur calculoſus laborabitque hoc veſicæ vitio, quisque geniture ſuæ tempore, modo ea diuturna fuerit, Saturnum cum Mercurio ſimul octavo in loco ab horoſcopo, hoc eſt, in occaſus deceſſione ſortitus

fuerit, &c. Quæ tamen ſententia pariter falſis nititur præſuppoſitis.

§. 17.

A ſola aqua. Solam vero aquam lapidum tam macro- quam microcoſmi materiam eſſe prolixe docet Olaus Borrichius, vid. Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentrional. Tom. I. Lib. 3. Sect. 25. fol. 748. ſeqq.* ex quo ſequentia hic inſerere liceat; Inquit autem: nihil certius quam generari, hodieque tum in ſubterraneis cryptis, tum in corporibus animalium, varii generis lapides, nihil propemodum incertius hactenus, quam quomodo generentur. Nec enim hic conſentiunt naturæ conſulti. Ita alii materiam lapidum agnoſcunt terram, alii certi generis aquam, nonnulli fumum ſubtilem terreum, quidam miſtum fumo vaporem, ſunt, qui ſuccum lapidificum, ſunt, qui partes materiæ ramoſas, ſunt, qui læves & glabras comminiſcuntur. Efficiens aliis calor eſt, aliis frigus, aliis ſal, quibusdam ſpiritus (quem vocant, non explicant) lapidificus, nonnullis forma quædam ſubſtantialis (ſed & illa inenodabilis) quæ ſibi ex apta materia domicilium conveniens fabricetur. Mihi, cui nec refellere aliorum opinionem libet, nec ſine experimentis admittere, ſimplicius videtur procedere natura, quam vulgo creditur, atque ex ſola vulgatiſſimi uſus aqua, in regno ſuo jam conſtituto lapides producere, cumque in generatione illa fortuitis fere occurſibus ſucci terreſtres & mineralia permiſceantur, hinc colorata marmora & gemmarum illa varietas enaſci. Quodſi quis naturæ nomen, ut vagi ſenſus, abhorreat, dicam, ſolam duntaxat aquam materiam eſſe lapidum. Efficientis autem titulum vendicare ſibi videtur arctior illa particularum aquæ quies in locis tranquillioribus, in quibus illæ, cum mutuis ſibi ſenſim occurrant faciebus, nec turbentur ab externo aëre, ſed potius leni preſſu elateris ejus firmentur, propter ſimilitudinem facile

cile cohærent &c. Calculorum maxima Ægyptiis occaſio eſſe ſolet, aqua non recte purgata clarefactaque, quæ quia diuretica eſt, facile ad renes permeat, terramque ſecum ducit, quæ amplius calore ſiccata in calculos mutatur, uti ex Proſp. Alpino refert Ido Wolffius *Obſerv. Chir. medic. Lib. 1. Obſ. 47. pag. 153.* Monſtratur fons in agro Tigurino paulo ſupra qua Taurus Rhenum ingreditur, cujus aqua hauſta ſtrumoſos efficit, teſte Daniele Eremita *in Deſcript. Helvet. Opuſcul. p. 402.* Cui proinde mirum videbitur, ab ejusmodi aquis, ſi aut bibantur, aut cibi in ipſis coquantur, vel cereviſia ex ipſis paretur, calculi generationem promoveri? Inquit Dominicus Panarolus *Arcan. Faſcic. I. p. 209.* Adamas in profundo maris fit ex continua aquæ congelatione: imo aliquando lapides, ligna aliæque res in adamantem convertuntur. Cranium humanum, panem, lignumque in mari repertum ſcio, omnia in animantem converſa; lignum autem, dum ſecaretur, obſervatum fuit, vice meditullii, adamantem habere; Autor Anglicus, Thomas Sherley calculos ab aqua condenſata originem ſumere ſtatuit, de quo dans *le Journal des Scavans Tom. III. p. m. 101.* ſequentia referuntur: L' ingenieux Auteur de ce Livre s'etant propoſé de donner au public un Traité touchant la plus probable cauſe, qui produit la pierre dans le corps des animaux, a jugé neceſſaire d'examiner auparavant, quelles ſont les cauſes de la petrification dans le grand Monde en general, pour voir ſi ce ne ſont point les memes cauſes, ou au moins ſi elles n'ont point quelque analogie ou quelque reſſemblance. Pour cet effet il a jugé a propos de rapporter dans ce Livre quantité d'hiſtoires choiſies de diverſes Petrifications & d' examiner enſuite les cauſes, par lesquelles ont eſté faites. Ayant abandonné ſur ce point la doctrine d'Ariſtote, & ne ſe trouvant pas entierement ſatisfait de celle des Chimiſtes ordinaires, il s'attache a une ancienne

E 2 hypo-

hypotheſe, qui eſt, que les pierres & tous les autres corps ſublunaires ſont fait d'eau condenſée par le moyen de certaines ſemences, qui operent ce changement par la vertu de leurs odeurs fermentatives. Pour faire mieux entendue ſa penſée, il établit quelques preuves generales, & puis il deſcend aux raiſons particulieres de ſa doctrine &c. Hujus Schirlæi *Tractatus de Cauſis Lapidum Anno 1675. latine redditus* Hamburgi prodiit.

§. 18.

Sententiarum conciliatio.

Ex tot adeo diverſe de calculi generatione ſeu petrificatione ſentientibus Medicis Autori Riverii reformati tantum illi rem acu tetigiſſe videntur, qui pro generando calculo in renibus nihil aliud adducunt, quam partes ſanguinis terreſtres & tartareas, quæ viſcidioris paulo lymphæ, quæ continuo cum urina præterlabitur & hypoſtaſis audit, glutine conjunctæ, & ſalibus, quibus lotium onuſtum eſt, ulterius compactæ, lapidis naturam induunt & figuram, concurrente ad hoc opus renum compage & flaccitie, & dilatatione glandularum renalium ductuumque urinoſorum. vid. River. reform. *Lib. I. cap. 25. p. 172.* Cui ſententiæ etiam ipſe eo libentius ſubſcribo, quia jam in ipſo ſanguine ejusmodi particulæ terreſtres & glutinoſæ in ſubſtantiam calculoſam coagulatæ poſt venæſectionem repertæ leguntur, de quibus *paulo infra*, v. etiam *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 86. p. 191.* Gideon Harveus ad calculi generationem requirit 1) ſpiritus animales depauperatos, ſerum non ſufficienter ſeparantes & expellentes. 2) ſerum cum ſale ammoniaco ſaturatum. 3) mucum, qui combinat ſal cum 4) ſabuloſis ſanguinis particulis. 5) anguſtias viarum in renibus, & 6) gluten vitioſum ex nervis nephriticis exſtillans. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1701. menſ. Octobr. p. 439.* Et Elias Camerarius *Medicin. Conciliatric. p. 141. ſeq.* inquit: Quamcunque adducant cauſam diſſentientes

tientes Medici, ſive ſpiritum gorgonium & lapidificum, ſive humores terreſtres, ſive viſcidos & concretos a ſalibus volatilibus in dulces coarctatos &c. non poſſunt non convenire in eo, terreſtrem humorum portionem cum ſalina junctam, ſive tartarum hinc concreſcentem calculi materiam eſſe, ſive dein calculis exilibus ex renibus per ureteres in veſicam delatis, ſive aliis hærentibus p. n. in veſica corporibus, tanquam nucleo, lapideæ incruſtationes, tanquam ſtratum ſuper ſtratum apponantur; unde ſiquidem concordiam ament Medici, facile omnes, cuicunque ſectæ alias dederint nomen, in ea calculorum geneſi poſſunt acquieſcere & conſentire, quam tradit in Adenographia Nuckius, clariſſime docens propriisque & aliorum experimentis confirmans iſtam particularum tartarearum ſtratificationem. Nec eſt, quod aliud coagulans requiramus, ubi abundant nunquam non ſalino-terreſtres, ſeu tartareæ particulæ, pronæ ad ſtabilem cohæſionem, aptiſſimæque, quæ calculi incrementum promoveant. Principium lithopoieticum non tam in ſolis renibus & veſica, quam tota maſſa ſanguinea ac humorali deliteſcere & cumprimis vitio ſtomachi primævæ digeſtionis deberi ſtatuit Gmelinus. Gaſtricum nempe liquorem per inertiam e cibis magma glutinoſum procudere, nec atomos lapideas cum cibis devoratas rite ſolvere & per inteſtina juxta cum excrementis evacuare, ſed implicatas glutini ſuo primum in inteſtina, hinc meſenterium, poſtremo viſcerum omnium receſſus derivare, ubi denique cavitates commodas nactæ, accedente cumprimis coagulatore ſalino, in calculos compingantur. Quæ cavitates cum in renibus & veſica reperiantur commodiſſimæ, ſerum inſuper ſalſum ibi hoſpitetur, deſit humorum motus impetuoſus, adſit econtra quies, hinc & ibi utplurimum calculi nidulantur, referente Roſino Lentilio *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8.*

 Append.

Append. p. 135. Friderici Hoffmanni ſententiam de hominis calculorum ex materia glutinoſa & terreſtri ortu, paulo infra, Capite de Analyſi Chymica cum variis experimentis ex ipſius *Obſervat. Chym. phyſicis* adducemus.

§. 19.

A cibis Annon proinde ad ejusmodi, calculi generationi aptas, particulas etiam cauſæ externæ v.g. prædiſpoſitum nutrimentum, ut cibi terreſtres, potus feculentus & tartareus, item prava digeſtio multum conferant, dubium non eſt. Id quod confirmat Petrus Dionis *des Operations de Chirurgie Demonſtrat. 3. p. 129.* inquiens, on obſerve tous les jour, que les enfans ſont plus ſujets a la pierre, que les grandes perſonnes, & principalement ceux, qui ſont nourris d'aliment groſſiers & terreſtres: En voici la raiſon. Les enfans mangeant fort ſouvent ne peuvent par faire bien exactement la digeſtion, & entr'autres les enfans des payſans, qui ne ſe nourriſſent, que de pain lourd mal cuit & mal fait, de frommage & de legumes indigeſtes: il reſte un ſuc crud & mal digeré, qui étant porté aux reins avec le ſang, s'embaraſſe dans poroſitez de leurs caroncules mammillaires, & y ſejournant s'endurcit & devient pierreux &c. Non dubitat Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. III. cap. 13. p. 587.* coagulans pariter ac tormentans acidum in renibus utplurimum hoſpitans, ſi offenderit oleoſam ſalſam, tartaream, fixam & fæculentam mucilaginem vel chylum haud bene concoctum aut fermentatum, tunc calculos vel arenulas producere. A particulis terreſtribus & quaſi a calce aſſumptorum formari calculum ſtatuit Franciſcus Tolet *de Lithotom. cap. 4. p. m. 24. Edit. Germ.* vid. etiam Andr. Cneuffel. *Epiſtol. de Podagr. curat. p. m. 33.* Ideo calculoſis ſtricta diæta obſervanda eſt, ſiquidem ſecundum

Georg.

Georg. Bagliv. *Prax. med. Lib. I. p. m. 82.* Calculus & Podagra plures interficiunt divites, quam pauperes, ob nimiam videlicet ingluviem. Inter cibos autem caſeus imprimis ſuſpectus eſt, quod exemplo confirmat Fredericus Dekkers *Exercitat. Pract. cap. VIII. p. m. 672.* de puero octo annos nato, qui poſt multum lactis & caſei uſum cum dolore urinam excernebat; quod dum flocci primo facerent, nec lactis aut caſei uſum prohiberent parentes, indies gravius & majori cum dolore urinam reddebat. Cum vero ſabulum quoddam rubicundum in urina poſtea obſervarent, eam inſpiciendam jam huic, jam illi mittebant. Quotquot viderant, unanimiter, puerum calculo veſicæ laborare aſſerebant; alii autem medici convocati non quidem calculum adeſſe, ſed inde generari poſſe, dicebant: quod puer neque pudenda traheret, neque fricaret, neque urinam limpidam inſtar ſeri, ſed coloratam mingeret. Qui tamen puer tandem excreta poſt aſſumptum pulverem incredibili mucoſæ ac ſabuloſæ materiæ copia probeque obſervata diæta reſtituebatur. Sequentem obſervationem recenſet Sigismundus Ledelius *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 211. pag. 420.* Chriſtophorus Kluge vir corporis robuſti ac validi per multos annos doloribus lumborum & moleſtis dorſi torminibus, concurrente mingendi difficultate, vexatus, anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo ne guttam urinæ potuit emittere propter calculum obſtruentem, quem Chirurgus quidam inſtrumento extraxit. Hoc extracto levamen expertus per nonnullas menſes; ab eſu autem caſei, quo admodum delectabatur, ſemper dolores maximos ſenſit. Et cum malum hoc radicatum indies creſceret, & urina obſtructa maneret, idem Chirurgus viam urinæ ſolitam ampliavit, & in veſicam calculum aliquantiſper retropulit, quo facto urina guttatim effluxit & magnum fœtorem ſecum tulit. Dum autem dolores exacerbabantur, placide ani-

mam

mam exſpiravit, hac præmonitione, deberent ipſius homicidam, calculum, poſt mortem exſcindere, quo facto, is magnitudinem ovi anatis habuit. Idem Ledelius refert etiam in *Scholio ejusdem Obſervationis p. 421.* Caſeum quoque appetere Nephritidi obnoxios; ſeque noviſſe Theologum, qui ut dolores paululum demulceret, caſeum veterem ſale acido abundantem avide comederit, quo ipſo remoras injecerit doloribus; verum cum ſal hocce fuerit inſufficiens, expellendi ſabulum, ideo dolores poſtmodum aucti atrocius invaderint atque ſævierint. Utrum vero caſeus calculo materiam præbeat, alii negant, hinc Theodorus Craan *de Homin. cap. 139. p. 695.* inquit: Nihil conſtat, ſalem & caſeum antiquum lapidem generare. Incolæ urbis Roterodami, & præcipue vici Maſeland Schluys præ aliis Belgis laborant calculo, quod aliqui ſquillis (Garnat) adſcribunt, quæ perpetuo fere eorum cibus ſunt. vid. Ido Wolffii *Obſerv. Chir. med. Lib. I. Obſ. 47. p. m. 153.*

§. 20.

A calce viva & pulvere.

De calce viva calculi pulmonum materia hanc obſervationem refert Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 16. pag. m. 21.* Fœmina quædam natione Holſata, ancillæ vices apud Calcarium per aliquot annos gerens, cum in officina calcis pulverem frequentius hauſiſſet, calculis pulmonum laborare cœpit, & obtulit mihi aliquot excretos cum tuſſi & lævi hæmoptyſi, piſi magnitudine, aliosque majores & minores. Omnes angulos habent acutos, tricuſpides; retulit quoque eadem, ſe aliquando magnum quendam inſtar minoris fabæ excreviſſe, quem mihi deſtinatum perdiderit; nunc vero non amplius ſervitio huic obſtricta, bene valet. Non dubitat dictus Wedelius, calculos hos a calcis vivæ coagulatione in pulmonibus pronatos, cum tam ante, quam poſt illam ſervilem

lem operam dicta perſona vixerit ſaniſſima, inſuper etiam in calce viva ſalinum principium coagulationi aptiſſimum accedit. &c. Satis etiam curioſa eſt Obſervatio Isbrandi de Diemerbroc *Anatom. Lib. II. cap. 13. fol. m. 306.* de famulo lapicidæ, aſthmate mortuo, in cujus pulmone magnam pulveris lapidum copiam, inſpiratione cum aëre attractam atque veſiculas fere omnes infarcientem, invenit, ita ut in diſſectione pulmonis, qui admodum durus fuit, cultro quaſi per acervum arenæ, aut per corpus aliquod arenoſum ſcinderet; quo pulvere repletæ veſiculæ aërem inſpiratum admittere ſeu recipere non potuerant. Imo duo adhuc ſimiles caſus lapicidarum ſimili modo interemptorum, ab ipſo Autore obſervati ſunt. Ubi addit, tunc temporis horum famulorum magiſtrum, lapicidam, retuliſſe, quod, cum lapides inciduntur, tum ſubtilis pulvis ex iis aſſurgat in aërem, qui poros veſicæ bubulæ inflatæ & ſiccæ, in officina ſua ſuſpenſæ penetrare poſſit, ita ut circa finem anni ad minimum hujus pulveris manipulus unus in interiore cavitate veſicæ inveniretur, atque illum eſſe pulverem, qui tam multos lapicidas præmatura morte interimat. In horum artificum etiam ventriculis ac inteſtinis lapides inventos fuiſſe, neque aliam eorundem cauſam materialem excogitari poſſe, præter pulvereas particulas per os ſuſceptas & paulatim congeſtas, refert Bernardus Ramazzinus *de Morb. Artific. cap. 24. p. m. 198.* quo loco addit: non ſemper a cauſis internis ac ſuccis lapidificis gigni in noſtris corporibus calculoſorum progeniem credendum eſt, quin etiam aliquando, innoxiis viſceribus extrinſecus peſtis adveniat.

§. 21.

Qualis panis calculoſis ſit noxius, recenſet Conradus Bartholdus Behrens *Select. Diætetic. Sect. II. cap. 2. §. 8. p. 50.* Panis ater & ponderoſus, cum chylum admodum craſſum *A pane.*

ſuppeditet, iis omnino vitandus, qui vitæ ſedentariæ deditі, & præterea obſtructionibus ac renum calculis obnoxii ſunt. Et *Sect. II. cap. 3. §. 6. p. 56.* inquit: Panis ſimilagineus ſeu ſimilaceus optime quidem nutrit, quoniam chylus ex eo confectus totus fere per vaſa lactea tranſit; ſed facile, niſi corpus bene exerceatur, ad lienis jecorisque obſtructiones, nephriticos arthriticosque dolores diſponit, propter ſimilæ lentorem & dulcedinem. Deinde eſt panis cibarius, ſeu domeſticus aut ſecundarius, cum furfurum magna ſatis copia relinquitur, quod etiam neceſſarium eſt, propter vim, qua pollet, abſtergentem, quo ventriculus & inteſtina ab inhærente viſcoſo muco ſimul liberentur & calculus præcaveatur. *Ab aſparago.* Aſparagum ad generationem calculi facere exinde judicat Johannes Baptiſta van Helmont *de Lithiaſi Cap. V. §. 17. fol. m. 31.* quatenus putrilaginem urinæ generat. Vidit enim Jurisperitum non ante afflictum Lithiaſi, niſi poſtquam a largiore aſparagi eſu domum rediiſſet: ac deinceps non tam calculis, quam ſubtiliſſimis arenis, per reditus, aliquot annos, ſingulis forte quindenis ſub atroci dolore decumberet. Unde ſe didiciſſe addit Helmontius, quod unius veſperi error malum habitum renibus induxerit, qui vix in poſterum tolleretur. Hanc ſententiam etiam fovet Michael Ettmüllerus *Oper. Tom. I. fol. m. 519. 520.* inquiens: Cum urina exceſſu aſparagi, juxta Helmontium, reddatur fœtida, indicium eſt characteris reſolventis & ſeparantis ſal volatile urinæ, ſicque lotium ad ſui putredinem inducentis, cujus ratione promptam Lithiaſin diſponit. Eſt ergo nocivum iis, qui jam diſpoſiti ſunt ad calculum renum, quoniam ſeparat ſal urinæ; unde fit, ſi accedat acidum peregrinum ex primis viis, ut illud coaguletur in calculum. Hanc tamen Helmontii ſententiam accuratius examinat Fridericus Hoffmanus *Clav. Schrœd. Lib. IV. Sect. 1. p. 415.* his verbis:

Licet Helmontius aſparagi vim diureticam neget, ſed potius putrilaginem urinæ generare, & inde potius ad generationem calculi facere juxta principia Lithiaſeos generandæ ab ipſo adſignata. Verum, quid ſi de ſuperſtructæ fabricæ veritate dubitaretur? Minime etiam ratum eſt, quicquid urinam corrumpit, ac malo odore renum archeo ſumme infeſto conturbat, calculo ſimul primordia ſtruere poſſe; qualis enim inductio, aſparagi conturbant lotium. E. dant ortum Lithiaſi; cum iſta lotii mutatio potius ad humores vi diuretica fuſos & urinæ admiſtos referri poſſit, quam ad Archei quendam furorem, adverſus iſtum odorem conceptum. Deinde exemplum Jurisperiti, quod allegat, nihil etiam concludit; inepta enim eſt argumentandi ratio: aſparagus nocuit Jurisperito. E. & omnibus nocebit; Seni, E. & juveni, hypochondriaco & oppilationibus tartareis obnoxio. E. etiam ſano & εὐσπλάγχνῳ. Quare per accidens tantum calculo anſam dedit.

§. 22.

Deinde ratione potulentorum ſatis notum eſt, vina, imprimis acidiuſcula a calculi cauſa antecedente non eſſe excipienda, hinc dicit Conradus Barth. Behrens *in Diætet. Sect. III. cap. 5. p. m. 340.* Calculo occaſionem vina ſuppeditant, ſeu renum intemperiem inducendo, ſeu acore ſuo alcali urinarium coagulando. Utrisque certe & arthriticis & calculoſis vinum noxium exiſtere, exempla eorum probant, qui abſtinentia a vino a dictis malis liberi evaſerunt. Inquit etiam Valentinus Henricus Voglerus *Diætetic. c. 13. p. m. 53.* quod ad calculorum renalium generationem pertinet, primo notandum eſt, quævis calida, inprimis immoderatius vel inconſultius aſſumta huc plurimum facere. Idque inde colligitur, quod ita cum reliquum corpus, tum renes calidam intemperiem contrahunt, quam ad calculum *A potulentis.*

 gignen-

gignendum eſſe aptiſſimam uſus docet. Gignitur is enim a calore partes craſſas & terrenas ſanguinis vel ſeri exſiccando & cogendo. Quapropter calida illa intemperie correcta ſimul etiam generatio prohibetur, quod nempe eapſe effectrix cauſa ſi non plane ſublata, ſaltem imbecillior ſit reddita. Deinde ſunt nonnulla, quæ calculi generationem juvant, non ideo tantum, quod tunc renes plus juſto calefaciant, tum, quod in eos defertur, exſiccetur, ſed ſimul etiam una ſecum vehant craſſas atque terreſtres partes, quæ calore immodico accedente facillime in tophum aut calculum concreſcunt: Quod cum multa vina faciant, non etiam mirum eſt, tum articulorum tophos, tum renum calculos potoribus eorum gigni. Certas etiam cereviſias præ aliis ad calculum magis diſponere, teſtatur experientia, & ipſe aliquot utriusque ſexus perſonarum memini, quæ a pota cereviſia Kœnigſteinenſi, optimi alias ſaporis, ſtatim purpura ſcorbutica, vel calculo vexabantur, ab ejusdem autem cereviſiæ potu poſtea abſtinentes, iterum a tali malo liberabantur, vel non adeo cruciabantur.

Obſervatio.

§. 23.

Ab aqua petrefactio.

Ex ſola aqua calculum generari, paulo ante §. 17. ex Olao Borrichio, Dano, & Thoma Sherley, Anglo, adduximus, hoc vero loco plura tum ipſius aquæ petrefactæ, vel variarum rerum ab aqua calculo obductarum vel etiam in lapidem converſarum, tum etiam partium vel totius corporis animalis petrificationis exempla ex variis Autoribus recenſebimus. Aquam in cryptis ubique terrarum in lapides ſeu ſtirias mutari, prolixe demonſtrat Olaus Borrichius *l. a.* inquiens: Vix eſt in tota Europa montoſa regio, quæ antrum non oſtendat jam nativum, jam manu excavatum, in quo aqua pura, communis, inſulſa, per poros rimasque terræ deſtillans,

ſponte

ſponte in lapidem aliqua ſui parte coagulatur; partimque in ſtirias variæ magnitudinis denſata e fornice ſpecus dependet, partim in fundo concreta maſſas diverſæ molis & figuræ illapſu ſuo effingit. Ipſe ego ſimiles cryptas duas in Anglia, in Galliis duas, in Alpibus & Italia plures attente inſpexi, nec inſpexiſſe contentus, quantum licuit, preſſius expendi. In Anglia ergo ad Bathonium oppidum, Thermis Bladudianis celebre in monte vicino ſpelunca ſe aperit, in qua aqua pedetentim defluens in marmor ſubflavum concreta cernitur. Magnificentior Ukiſiana illa ad urbem Wellis caverna, ſed & horridior, & quantum videre licet, nativa, in qua parietes albi, quaſi mille adamantibus diſtincti reſplendent, alibi vaſtæ molis ſtiriæ ſaxeæ, allapſu guttarum aquearum quotidiano grandeſcunt, &, ſi auferantur, brevi nova ſobole repullulant. Fundum autem ſpeluncæ aſperant ingentes maſſæ lapidis albi, a deſtillantibus guttis formatæ, quæ & indies capiunt ſua incrementa. In Galliis in Crypta Sinonenſi, ab oppidulo Richelieu non ita procul remota, in manu excavatis elegantiſſimis porticibus aqua ſimpliciſſima ſenſim depluens non in ſtirias modo vertitur ſaxeas, hyeme quidem breviores, ob internum tum montis teporem, æſtate ferventiſſima longiores, ob interiorum frigus, ſive motum langvidiorem, ſed & guttæ in fundum cryptæ deſtillantes in maſſulas abeunt, piſis, amygdalis, piperi longo, aliisque tragematis externa facie perſimiles. Nec ab his abludunt Italicæ illæ, tum Piſas inter & Lucam in montanis conſpectæ, tum notiſſimæ Tiburtinæ, unde bellaria illa ſaxea, incolis Confetti da Tivoli appellata, quæ tum in Piſana porticu, horto medico incumbente, tum Romæ & Tibure magna varietate oculos paſcunt. Non attingo Baumanni Cryptam in Germania, non alias paſſim curioſis obſervatas. Hæc

Borrichius. vid. Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Tom. I. fol. 748. ſeq.* Sic lapidem durum forma domunculæ in Inſulis Feroenſibus allatum Thomæ Bartholino oſtendit Lucas Debes, Præpoſitus Feroenſis, ex aquarum ſtillicidiis artificioſe compoſitum. Exterior paries & inferior ex guttis compactus viſitur. Interior cavitas columnas ſeptem oſtendit, cruſtoſas, quaſi Turcicum frumentum ex totidem guttis aquæ concretas. Pavimentum ex laminis conſtat, columnæ rotundæ penetrant pavimentum & in radice infima ſeu fundamento firmantur. Ad latus cavernæ foramen adeſt, januæ inſtar. Tota moles pugnum æquans pulcram domunculæ ſpeciem exhibet. vid. Th. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 46. p. 84.* Juxta Philipp. Jacob Sachſ. a Lewenheimb *Epiſt. reſponſ. ad Joh. Dan. Majorem p. m. 69.* concreſcunt & lapideſcunt ipſæ aquæ tam calidæ, ſive Thermæ, quam frigidæ; refertque Sachſius ex Strabone, circa Laodiceam Hierapoli calidas ſcaturire aquas, cujus aqua adeo facile induretur, ut qui aquæ ductus deducant, integra ſepta ex his aquis conficiant. Et Geſnerus *de Foſſilib.* teſtimonium perhibet, thermarum aquas non raro in canalibus in ſtirias concreſcere. Sic & in frigidis aquis locisque ex Wernhero *de Hungar.* teſtatur dictus Sachs, ad arcem Fileg in comitatu Neograd ſpecum eſſe, in quo ſuperne deſtillans aqua continuo dureſcat, ut ibi videantur ſaxa ex hac deſtillatione concreta, ceu hominum ſtatuæ. Et ex Solenandro confirmat, in quibusdam Antris Montis S. Juliani in agro Piſano prælongas cameras ex aqua concretis ſtiriis dependere, non aliter ac in Lucenſi juxta convallem dictum pagum in ſpelunca inſigni deſtillantes aquæ guttæ in prægrandes columnas paulatim concreſcant. Ex ore comitis Nicolai Serini Herois illius decantatiſſimi refert Jacobus Tollius *Epiſtol. Itinerar. II. pag. m. 49.* quendam Croatiæ rivum ſibi

ſibi pontes ex ſe ipſo fabricare, ſenſim ſenſimque ripas incruſtando; cruſtasque eas adaugendo, donec aſſiduo incremento illarum contiguitas ad alteram ripam ſemet produceret, ſic ut & uſum pontium ſæpe præſtarent, verum onere nimio preſſæ conciderent & in rivum corruerent. Huc pertinet etiam, quod Petrus Johannes Faber *Hydrogr. Spag. Lib. II. cap. 14. Oper. Vol. II. p. m. 166.* narrat de fonte, qui in ſuburbio Clarimontis Comitatus Averniæ reperitur. Exit, inquit, ex rupe hic fons mirus & ſtupendus, & in ipſo exitu rupes producit & lapides albos, ita ut incolæ hujus urbis, dum pontes conſtruere cupiunt, ut rivulum fontis ſupermeare poſſint ad hortos ſuos inviſendos, fontis hujus aquam ſuper aſſeres pernicatim exſtructos tranſilire faciunt, & intra viginti quatuor horas pontem lapideum ſolidum habent, ut ſicco pede rivulum fontis permeent. Aqua iſtius fontis viſibiliter permutatur in lapidem, & nihilominus fluit ſemper, ut reliqui alii fontes; Et aqua ejus perlimpida eſt, nec differt colore & limpiditate ab aliis fontibus. Bruta ipſa ſiti oppreſſa falluntur & aquam ipſam epotant, ni impediantur; ac ſi potent ipſam, illico in ventriculo coagulatur in lapidem, inde mors ſubſequitur ex colico dolore hinc ſuborto, qui bruta omnia, quæ aquam ipſam potarunt, crudeliſſimis torminibus enecat: unde incolæ ſumma cum cautela bruta omnia ſua hinc & procul ab ipſo fonte avertunt. Ipſa enim aqua præſentiſſimum venenum eſt omnibus animantibus, quæ ipſam bibunt. Dum enim exhauſta eſt ex fonte ſuo illico in lapidem convertitur, quod & incolæ multis experientiis manifeſtum faciunt omnibus, qui hoc naturæ mirum non credunt. Suſcipiunt aquam ipſam in vitro & ſtatim aqua congelatur in lapidem, qui vitri figuram obſervat. Suſcipiunt vas terreum illudque aqua ipſa replent & breviſſimo tempore aqua ipſa condenſatur in

lapidem,

lapidem, qui vaſis continentis figuram retinet, &c. Il y a un Eau dans le Perou, qui eſtant expoſée au Soleil & miſe dans un Moule ſe petrifie en ſorte, que l'on en bâtit des maiſons. vid. *Journal des Savans Tom. IV. p.52.* Ex Thoma Moreſino refert Thomas Schirlæus *de Cauſ. Lapid. Sect. I. p. 17.* in Moravia obſcuram eſſe aquam, in qua nulla viſcoſa materia appareat, & tamen in lapidem coaguletur. Lapidum materiam ſeu ſemen eſſe aquam, apparet ex vita Peiresk. *Lib. I. p. 24.* Solitus ſcilicet erat ille ſe per æſtatem abluere in minore Rhodani alveo, in quo aliquando deprehendit fundum, quod alias æquabile & molliuſculum obſervaret, induruiſſe in globulos, moleculasve, qualia ova ſunt, cortice detracto, ubi coctiora fuerint. Id demiratus & collegit & detulit aliquot domum, ut Præceptori oſtenderet, & facti cauſam ſciſcitaretur. Miraculum vero adauctum, ubi poſt dies non ita multos, cum rediiſſet ad fluvium, deprehendit, moleculas induruiſſe plane in fluviatiles lapides, idemque etiam obſervavit contigiſſe iis, quas aſſervabat repoſitas domi. Atque exinde cœpit circa lapidum generationem philoſophari. Quippe, *ſecundum Lib. IV. pag. 346.* in ea non fuit ſententia, ut exiſtimaret omneis lapides ab initio mundi formatos; ſed voluit temporis progreſſu pleroſque ita fieri, ut ſinguli originem debeant ſuæ materiei propriisque ſeminibus, configurationem vero partim ad naturam, partim ad caſum referant acceptam. Nam, cum omnium materies ſit aqua, ſeu liquor aut ſuccus; exiſtimavit, variis in locis contineri, varia rerum ſemina, ac ſpeciatim lapideum, quod liquori immiſtum lactis inſtar ipſum coagulet, ſpecialemque imprimat formam. Aquas, etiamſi limpidiſſimæ ſint in tophos concreſcere, cum in terram decidunt, caverna montis prope Waltershuſam, Thuringiæ ad ſylvam oppidulum teſtatur. vid. Joh. Theod. Schenckii *Epiſt. 7. ad Phil.*

Jac.

Jac. Sachſ. cujus vid. Gammarolog. p. 973. De ejusmodi lapide ex aqua concreto, ſeu ſtalactite, pluribus etiam agit Olaus Wormius *in Muſæo, Lib. I. Sect. 2. cap. 6. fol. m. 50. ſeq.* quo loco varias ejusdem figuras variosque colores adducit. In ejusmodi tophis vel lapidibus ab aqua guttatim deſtillante ortis, variæ quandoque apparent figuræ, uti in Georg. Henning. Behrens. *Hercyn. curioſ.* oder Beſchreib. des Hartz-Walds *cap. 1. p. 15. ſeq. de Specu Baumanniano* legere licet: ſcilicet An dieſem curieuſen Orte finden ſich allerhand artige, erhabene, durchbrochene und glatte Figuren oder Bilder von menſchlichen wohl proportionirten Angeſichtern, allerley Thieren, als Löwen, Pferden und dergleichen, wie auch unterſchiedenen Blumen und Laub-Werck mit andern wunderlichen Sachen, welche die Natur durch die Verſteinerung des unaufhörlich herunter trieffenden Tropff-Waſſers alſo gebildet und gekünſtelt hat, die auch von dem Trauff-Waſſer ſo ſchön geglättet und poliret werden, daß es ſcheinet, als wären dieſelben von dem ſchönſten polirten Alabaſter, durch des beſten Künſtlers Hand gemacht worden, ja ich zweifele billig, ob ein Mahler ſolche beſſer mahlen und ein Bildhauer dieſelbe zierlicher verfertigen könne. Unter vielen andern iſt das daſelbſt befindliche Orgel-Werck ein überaus herrliches und ſchönes Kunſt-Stück der Natur; maſſen die Pfeiffen daran ſo naturel ſind, daß ſie auch denen von einem Künſtler verfertigten rechten Orgel-Pfeiffen nicht viel nachgeben werden. In einem Gewölbe dieſer Höhle, das einer Capelle ziemlich gleichet, ſtehet ein Tropff-Stein, der ohngefehr 4 bis 5 Schuhe hoch iſt, und insgemein der Münch genennet wird, weilen er natürlich als ein geſchorner Münch gebildet iſt, und ſelbigen gar artig mit einer Platte und andern Zugehör präſentiret ꝛc. In Gallia Narbonenſi Cadurci crypta reperitur, ubi deſtillans lapidificus humor & in pavimentum usque cryptæ defluens paulatim in altum excreſcens, duodecim veluti ſtatuas Monachorum in choro canentium efficit, uti ex Athanaſio Kir-

chero refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit.3. §. 8. p. 1058.* De aquis gypſeis & tophaceis in Alſatia, Helvetia &c. vid. Georg. Hier. Velſch. *Diſſert. II. de Ægagropil. p. 19.* Item de aquis petrificantibus ſeu tophis in Helvetia vid. Joh. Jacob. Scheuchzeri *Meteorolog. Helvetic. pag. m. 116. ſeq.* Et ejusdem *Hydrograph. Helvetic. p. 320. ſeqq.* Referente Johanne Baptiſta van Helmont. *de Lithiaſ. Cap. I. fol. m. 14.* in monaſterio rubeo, Zoniæ, prope Bruxellam, ac templi ſacrario ſpirant fontes aliquot ſaxa, quæ parieti apponunt, unco namque & ſecuri frequenter adnata ſaxa decutiunt Monachi. In Moravia, tribus milliaribus Brunna, eſt ſtupendum antrum, in quo ſtillantes guttæ e ſuperiori fornice, in illo cavo & multis labyrinthis intricato monte confeſtim in lapidem ſponte concreſcunt, & ſuo caſu alto varias lapideas ſtatuas & formas effingunt. vid. Oswald. Croll. *Præfat. de Signat. p. m. 7.* Juxta civitatem Biennam flumen clarum ac limpidum e monte ad mœnia in anguſtam plateam defluit, ubi parietibus adhærens in pumicem mutatur, qui adeo augetur, ut certis temporibus eum reſcindere oporteat, alioqui tandem, paucorumque annorum ſpatio, viam tranſitumque per plateas interciperet, ut refert Guilhelmus Fabricius, Hildan. *de Lithotom. Veſic. Cap. II. p. m. 26.* In Peruvia calidum quendam fontem vidit Joſephus Acoſta, cujus aqua brevi in rupem ſe durat, unde ferro exſcinduntur lapides idonei ædificiis, vid. Caſp. Schott. *Anatom. Font. Lib. VI. c. 8. p. 400.* ubi plura de aquis lapideſcentibus. Scribit etiam Georgius Agricola *de Natur. eor. quæ effluunt ex Terr. Lib. II. cap. 7. p. m. 225. ſeq.* Succus lapideſcens, aut in ſpeluncis ex commiſſuris & fibris veniſque emanans, vel antequam deciderit dureſcit in lapides, pendentque ejus ſtiriæ in cameris; ſicut non longe ab Auguſta Tiberii & Miezæ in Macedonia, vel, cum ejus guttæ jam deſtillarint,

vertun-

vertuntur in lapidem, ut in antris Coriciis; vel utroque modo, ut in ſpelunca illa nobili, quæ eſt ad Ambergam, ubi columnas candidas facit &c. Juxta Joh. Bapt. van Helmont *Supplem. de Spadan. Fontib. Paradox. III. §. 7. fol. m. 421.* ſunt fontes, quibus ſuccus percreſcens commiſtus eſt, qui delabente paulatim unda, tam in fundo, quam alvei parietibus, ſaxa & ſilices, perque cæcos venarum conductus rupes in ripis diſſeminant. Moſa enim exemplo erit, hic namque ab ortu ſuo, margine longe lateque lapideſcentem ſuccum imbibente, colles ſternit, Viſetum usque. vid. etiam Daniel. Beckher. *Microcoſm. medic. Cap. XV. p. m. 95.* De aqua lapideſcente vid. etiam Joh. Bapt. Tavernier Perſianiſche Reiſe *Cap. IV. fol. 16.* Phil. Jac. Sachſ. *Gammarolog. p. 937.* it. *de Lapidum Natur. p. 76. ſqq.*

§. 24.

Dantur etiam alii fontes & lacus lapidifici, ſeu quorum aquæ aliquid lapidei ſecum vehunt, quod injectis corporibus adhæret quaſique cruſtam vel corticem lapideum inducit; aliæ aquæ lignum & alias res in lapidem transmutant. Tales fontes petrificantes prope caſtrum de Slaines, nec non in ſylva Hamiltonia exiſtere ex Roberti Sibbaldi *Scotia illuſtrata* recenſent *Acta Erudit. Lipſ. An. 1685. Menſ. April. p. 175.* vid. etiam Joh. Theod. Schenck. *Epiſtol. ad Sachſ. cujus v. Gammarol. pag. 936. ſeq.* De his aquis ita loquitur Georgius Wolffg. Wedelius *Patholog. med. dogm. Sect. II. cap. 4. p. 218.* in montibus tophacei liquores ſtillando in lapides concreſcunt & partes terreæ aqueis occultari poſſunt, ſigillatæ ſalino principio. Exempla hujus rei hinc inde viſuntur & inprimis in ſpecu illo decantato Baumanni. Teſtantur id aquæ tophaceæ etiam in noſtris regionibus & in vicinis fluentes, ut ad fontem, Principum dictum, ubi ſenſim & ſenſim ex ſolo tophaceo, per quod fluit aqua, abripiuntur

Aquæ incruſtantes.

untur particulæ terreæ in limpidiſſimam ad ſenſum aquam, unde ſucceſſive ramulis arborum radicibusque iterum, prius occultatæ, affiguntur & ſupercreſcunt. Elegantiſſime idem alicubi in vicinia illa, prope pagum Welniz, occurrit in muſco terreſtri, qui non ſolum obducitur topho, verum etiam revera totus, vel lapideſcit vel conſumitur & in lapidibus concretis ſui figuram ramoſam & folioſam relinquit & exhibet. Juxta Joh. Jac. Bajer. *Orictograph. Noric. Cap. II. p. 9.* Aquarum lapideſcentium ſeu petrificantium veſtigia comparent inter pagum utrumque Rieden, ubi ex monte in vallem delabentes rivuli concretionibus lapideo-poroſis luxuriant. Sed multo elegantius ſpecimen occurrit ultra pagum, ab ortu vicinum, Hagenhauſen, dum itidem in montis cacumine, tribus diſtinctis ſcaturiginibus proſiliens aqua limpidiſſima & perquam frigida, muſcum, ligna, lapides & quævis alveo præcipiti obvia, cortice inveſtit tophaceo. Talis fons ſcaturit prope Jenam, ab incolis der Fürſten-Brunnen vocatus, in quo impoſita ligna, plantæ, vermes, ranæ, gammari, & quodcunque tandem injeceris ſenſim ac ſenſim, cruſta lapideſcente obducuntur. vid. Gothofr. Steinii *Lithograph.* §. *26. p. 32.* In agro Apenenſi a Thermarum copia, ad ſenſum limpidiſſima ac puriſſima, rotam molarem brevi tempore undiquaque denſiſſimo candicante lapide, unciarum duarum craſſitie incruſtatam vidiſſe ſe ſcribit Johannes Jacobus Wepfferus *Tract. de Apoplex. pag. m. 207.* Et juxta Gabriel. Fallop. *de Metall. ſeu foſſilib. cap. 9. Oper. Tom. I. fol. m. 292.* in balneo Aponitano reperietis concretum lapidem, ſimiliter & circa canalem ligneum ducentem aquam pro volvenda mola, & circa aquæ ductum ex factitio lapide conſtructum &c. Ejusmodi etiam fontes in agro Francofurtano ad Oderam verſus auſtrum inter vineas profluere ex Becmanno & Thurnheuſero probat Henricus Chriſtianus Hennius

nius *Annot. in Jacob. Tollii Epiſtol. itinerar. II. p. m. 61.* Idem Autor etiam *l. a.* refert, ſe inter ſua naturæ ludentis miracula poſſidere nonnulla fruſta ſtraminea & lignea cruſtis lapideis, quæ tartarum æmulentur obducta in fontibus ſalinis, prope Nauhemium, oppidum ſive pagum majorem, juxta Fridbergam in Wetteravia reperta. Leandro Alberti *nella Deſcrittione di tutta l'Italia pag. m. 54.* ejusmodi fontis in Territorio Volaterano reperiundi his verbis mentionem facit: Eſce alle radici del monte Utimento, da un ſaſſo una fontana d'acqua di tal natura, che tutte le coſe, che vi ſono poſte dentro, frà ſpatio di quindeci giorni, di pietra coperte ſi ritrovano. Prope Oxoniam extra urbem per Clirum rivulus decurrit, cruſta lapidea ramos arborum injectos obducens; lignum equidem non vertit in lapidem, ſed illud primum obtegit lapidea membrana, hinc ligno ſenſim putreſcente & abeunte in limo ſimilem maſſam, lapidea illa cruſta paulatim arctius coit, & cavum jam ante ligno oppletum ſua mole infarcit. vid. Thom. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. IV. Epiſt. 92. p. 528.* Plura reperies in Ph. Jac. Sachſii *Diſſert. de mirand. Lap. natur. p. 71. 74. ſeq.*

§. 25.

Non modo autem ejusmodi aquas lapidificas variis rebus cruſtam lapidoſam ſeu gypſeam ſuperinducere, ſed easdem, imprimis vegetabiles, quoque in lapideam duritiem transmutare leguntur. Fons enim ille, circa vineas Francofurti ad Oderam, cujusmodi mentionem fecimus, quemque Studioſi fontem Poëtarum nominabant, ligna illapſa & per aliquot dies contenta in lapidem convertebat, corticem poſt corticem durum ligno induendo, & tandem id ipſum in formam lapidis rari & friabilis transmutando, uti ex Godefrido Smollio refert Matthias Unzerus *de Nephritid Lib. I. cap. 4. p. 18.* Folia betulæ in lapidem converſa, fruſtulum rami betulæ cum *Aquæ lapidificæ.*

 cortice

cortice & nonnulla alia vegetabilia annotavit Torchillus Arngrimus Windalinus. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. III. Obſ. 87. p. 163.* De cote e ligno querno, in lapidem mutato, item de alia e ligno fagino in lapidem mutato, vid. Joh. Kentmann. *de Reb. foſſilib. Tit. 6. p. m. 35. b.* quo loco hanc fagum cum trunco, ramis, foliis altitudine centum & ſeptuaginta ulnarum ſub ſaxo cinereo duriſſimo ſub terra in valle Joachimica repertam fuiſſe, addit. In Græcia amnis Ismaſar in Theſſalia lignum vel quodvis aliud immiſſum confeſtim in lapides convertit, vid. Jo. Jac. Sachſ. *de mir. lapid. natur. p. 70.* In vici, qui Gymenius appellatur, fonte, ligna in lapides dureſcere ſe vidiſſe ſcribit Johannes Bruyerinus *de Re cibar. Lib. XVI. cap. 17. p. m. 899.* Varia ligna ſaxea ſeu in lapides converſa, ſe poſſidere in Muſæo ſuo, & quidem *Lib. I. ſect. 2. cap. 13. fol. 89.* monſtrat Olaus Wormius, nimirum fagini ligni fruſtum ſatis grande, quod cotis vicem egregie ſuſtinet, colore nigricante, in longitudinem tamen pedum circiter duorum protenſum. Item fraxini lignum in lapidem verſum, quinque digitorum longitudine, duorum latitudine, ex cinereo flaveſcens, ponderoſum, aſſulatim coagmentatum, adeo ut diſtincte ſeptem numerari poſſent laminæ, duritie inſigni, cotis vice ut fungi poſſet. Fibræ ac nodi ligni exacte adeo diſcerni poterant, ut niſi manibus tangeres ac pondus explorares, adhuc lignum eſſe jurares. Porro lignum tiliaceum, candidum, molliuſculum ea parte, qua politum eſt, ſed ubi a reliquo abſciſſum, fibris, ſtriis ac nodis ligneis præditum. Denique fruſtum oblongum lignum quercinum referens, ſed cinerei coloris &c. Lignum petrefactum in ſua ſe ſervare Phyſicotheca ſcribit Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 148. p. 234.* Ibidem etiam addit, ſe monſtrare poſſe veriſſimum Muſcum, jam lapidem factum

omni-

omnimode, niſi quod in altera parte ſuperficiei ſuæ adhuc dum mollicula & plane herbidi coloris ſuperbiat porti-uncula. Vidit etiam idem Hannæus pyrum in lapidem converſum, cujus petioli dimidia pars & quidem extrema, vegeta adhuc erat & ſciſſilis, rigeſcente licet cum ipſo pyro ſuperiore ſui parte media: Fontem quendam in Britannia in Foreſta de Knarresborn eſſe, cujus aqua ligna, frondes, carnes, in lapides mutantur, poſtquam aliquod tempus in eo reſederint ex Guil. Gilberto refert Simon Schultzius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 126. p. 136.* quo loco etiam lacus in Hibernia meminit, circa quem nec herba, nec arbor ulla naſcitur, ampliſſimo circumquaque ſpatio, in quem ſi lignum infigas, anni circiter unius curriculo, id, quod in terra fixum erat, in lapidem convertetur; quod deinceps aqua operietur, in ferrum; reliquum aqua extans ligni formam naturamque ſervabit; ita lapis, ferrum & lignum, eodem in ſtipite commixta inaudita novitate conſpectantur, Intra terram in tractu Elbogano inventæ ſunt permagnæ abietes una cum corticibus in lapides converſæ; Item in Bohemia Cracovicii ad rivum effoſſæ ſunt arbores cum ramis, ex quibus Barones Colembratii curarunt fieri cotes angulatas. In Miſnia in quadam piſcina plures arborum diſſectarum truncos in lapides mutatos. In Hildesheimio quoque in terra aluminoſa inventum eſt lignum quernum in lapidem converſum: in eodem e regione arcis Mariæburgi collis eſt plenus lapideis trabibus, uti in Georg. Agricol. *de Natur. foſſil. Lib. VII. cap. 22. p. m. 659. ſq.* legimus. Prope Alzei in tractu pagi Eppelsheim in radice cujusdam collis rivulum, in quo muſcus ibi naſcens indureſcit & egregie corallia imitatur, ſe inveniſſe refert Johannes Daniel Geierus *Trig. med. de Montib. Conchifer. Tr. 1. §. 12. pag. m. 11.* ubi plura exempla allegata reperies. Bina quoque exempla extant in Petr. Andr.

Matthiol.

Matthiol. *Epiſtol. Lib. 3. fol. m. 142.* alterum de ligno in Armenium bolum mutato, alterum de abiete in lapidem converſa; hujus ſcilicet integer arboris caudex, totus lapideus factus, cortice adhuc non immutato, præterquam in colore, in Bohemiæ montibus, in lapidea quadam fodina fuit repertus. Thomas Schirlæus *Diſſertat. de Cauſ. Lapid. & Petrificat. p. m. 20.* ſcribit, ſe prope Wrixham, oppidum in ſeptentrionali parte Walliæ, vidiſſe fontem, qui brevi temporis ſpatio baculos, ſtramina, folia, coria & alia injecta in lapidem convertit. Ibidem etiam plura exempla adducit. In Inſula Melita apud Dominum Vice-Cancellarium lignum petrificatum ex urbe Africæ, non ita pridem in petram converſa, ſe vidiſſe ait, Thomas Bartholinus *Epiſt. medic. Cent. I. Epiſt. 53. p. m. 225.* item *Hiſtor. anat. Cent. II. Obſ. 100. p. 308.* De Piedro Pou, ſeu lapide ex ligno facto, qui in aqua quadam in Ternata reperitur, quæque aqua omnia ligna in lapides convertit. vid. Obſervationem Hermanni Nicolai Grimm. *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 150. p. 369.* Selon le *Journal des Scavans Tom. XII. p. m. 53.* il y a un Etang au deſſus de la Ville d'Armagh en Hibernie, où ſi l'on enfonce un long bâton & qu'on le retire, quelques mois apres, la partie, qui aura eſté cachée dans la bouë, ſe trouvera de fer, celle qui aura eſté dans l'eau, ſera de pierre, & ce qui aura reſté au dehors, ſera de bois, comme auparavant. Meminit etiam Jacobus Tollius *l. a.* ſe Berolini lapides politos atque perelegantes vidiſſe, qui e ligno in lapidem mutati fuerant; ibidemque addit, ſe Amſtelædami lagenulam vinariam viticibus intextam vidiſſe, cujus ea pars dimidia, quæ aquæ impoſita cum vino fuerat, in lapidem induruerat, altera priſtinam naturam mollitiemque obtinebat. Lignum in lapidem converſum, quod ex Norvegiæ fluvio prope Bergam fuit extractum, vidit Theodorus Craan, vid. ejusdem *Diſſertat.*

de

de Homin. cap. 138. p. m. 694. Mottruvii ad Lacum Lemanum, in ditione Bernenſi, ab alto monte aqua pura limpidaque delabitur, quæ gramen ac herbam, omniaque obvia in duros lapides, qui neque in aqua reſolvuntur, neque in igne liqueſcunt, convertit, uti vidit Guilhelmus Fabricius Hildanus, cujus evolve *Tract. de Lithotom. Veſic. Cap. II. p. 26.* Varia folia arborum, ligna, & alia mediante ſucco quodam lapidifico in lapidem converſa reperiuntur in Muſæo Brackenhofferiano, *pag. m. 14.* Zwey Meilwegs von der Stadt Perigneux in Franckreich, iſt ein Brunn, deſſen Waſſer ſich in Stein verändert, und als Eiß gefrieret, auch verſchiedene ſeltſame Figuren machet. Was man darein wirfft, wird mit einem ſandigten Baſt überzogen. v. Beſchreib. Groenlands *Cap. 6. p. 20.* In Islandia ſunt aquæ, quibus immerſæ res quæcunque in lapidem transmutantur. v. Thom. Barthelin. *Act. Hafn. Vol. 1. Obſ. 46. p. m. 84.* In Glevetg ad lacum Achignilium nuncupatum in Scotia, rivulus eſt, ita Agrifolium in lapidem ſubviridem commutans, ut ollulis fuſoriis aliisque utenſilibus conficiendis, commode inſerviat. In Arno fluvio prope Florentiam fagi truncus ad longitudinem cubiti inventus totus lapideus factus, veſtigiis ſaltem remanentibus ex quibus dignoſceretur. v. Guern. Rolfinc. *de Vegetabil. Lib. II. Sect. 4. c. 2. p. 147.* quo loco, dictus Autor ſequentia addit: Radix Bryoniæ lapidefacta in Gallia non longe ab arce regia Fontainebleau viſa. Utriusque fragmenta in Timiotheca Rolfinciana ſunt conſpicua. Lignum petroſum a Fr. Corvino, cive romano ſibi dono datum monſtrare docet Rarithecium Schenckianum. Varia ejusmodi exempla recenſet Thomas Schirlæus *l. a. p. 16. ſeq.* e. g. Albertus Magnus refert, in mari Balthico ſive Danico, prope Lubecam ſuo tempore inventum fuiſſe, ramum arboris cum nido & pullis avium in eo; ligno, nido & avibus omnibus in lapides converſis. Narrat etiam Do-

mitius Bruſonius, ramos arborum cum foliis in fluvium Sylarim conjectos lapideſcere. Marbodius certos nos reddit, in Gothia fontem eſſe, quicquid illi injiciatur, in lapidem transmutantem: Ipſumque Imperatorem Fridericum, fidem his adhibere nolentem, eo miſiſſe chirothecas ſuas, annulo proprio obſignatas, partemque chirothecarum fonti immerſam cum ſigillo paucos poſt dies lapidem evaſiſſe, cum altera pars corii formam retinuiſſet. Bartholomæus a Clivola affirmat, inter Cæſarem & Juanam, civitates Cappadociæ, lacum eſſe, cui pars arundinis aut baculi impoſita, gradatim lapideſcat, parte altera, quæ aquæ non erat immiſſa, remanente, quod ante fuerat. Anshelmus Boëthius ſcribit; in Anglia prope fluvium Deam ſub Weſt-Cheſter, magnam eſſe cavitatem, in quam quicquid aquarum defluit, in lapidem vertitur. Juxta Gabriel. Fallop. *Tract. de Thermal. Aqu. atque Metall. Cap. VIII. Oper. Tom. I. fol. m. 212. ſeq.* in Hetruriæ valle quadam præterlabitur Elſa fluvius, & in vicino colle eſt caſtellum, Collis appellatum, ſupra quod oritur flumen illud limpidiſſimum, quod cum pauco ſpatio fluxerit, recipit in ſe torrentem, Sena vulgo dictum, qui torrens ſcatet quodam lapide, qui confuſus eſt cum illa aqua, ut eo patet, quoniam & ligna & herbæ & omnia, quæ in aqua illa manſerint, circumcirca ſuperficiem lapideſcunt, quod non alia certe ratione fit, quam quia ſimul cum aqua fluit & ſuccus lapideus, qui non eſt cum aqua illa commixtus &c. De Mitulo in lapidem converſo vid. Franc. Calceolar. *Muſæi Sect. III. f. m. 420.* Eſſe in Islandia fontem cuncta in lapidem transmutantem ſcribit Saxo, vid. Georg. Horn. *Hiſtor. natural. Lib. I. cap. 13. p. 47.* In campo re ac nomine longo, intraque Cavernam Guerineam reperta fuiſſe folia ex quercu, alno, ilice, ulmo, nuce, populo, hedera, lauro, aliisque arboribus ita converſa fuiſſe in lapides, ut ſuis tamen nervulis & denticu-

lationibus ſuas indicarent ſpecies, vide Petr. Gaſſend. *de Vit. Peireſc. Lib. IV. p. 346.* Plura de ejusmodi aquis & fontibus vid. Georg. Agricol. *l. a. p. 226. ſeq.* Caſp. Schott. *de Fontib. Lib. VI. cap. 8. p. 404.* Gualter. Charlet. *de Lithiaſ. Cap. 1. p. 4. ſeq.* Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. IV. Menſ. Mart. Obſ. 16. p. 92.* Ph. Jac. Sachſ. *Epiſt. de mir. Lapid. nat. p. 72. ſeq. 77.* Joh. Jac. Bayer. *Oryctograph. Noric. cap. VI. p. 48. ſeq. 50.* Henr. Chriſt. Hennin. *Annot. ad Jacob. Tollii Epiſt. itiner. II. pag. 61.*

§. 26.

Quandoque etiam arbores & alia vegetabilia extra aquam in lapides mutata reperiuntur, qualia exempla aliquot modo recenſuimus, v. g. fagi altitudine centum & ſeptuaginta ulnarum ſub terra in valle Joachimica reperti; item magnæ abietis in lapidem converſæ ex Kentmanno, &c. quibus adhuc addendum, quod ex Hiſtoria naturali Gabrielis Rzacynski commemorant *Acta Erudit. Lipſ. An. 1722. p. 11.* in Terra Leopolienſi arboretum inveniri ſub nomine ſylvæ lapideæ, vernacula les Kamienny, ita appellatum propter lithoxyla numeroſa in radicibus, ſi non truncis etiam & corticibus arborum reperiunda: ſicuti in Podolia etiam fagi antiquiſſimæ eſſe dicuntur, quarum partes terræ proximiores inſervire ſolent villanis ſilicis loco ad ignem chalybe provocandum. Johannes Theodorus Schenckius *Epiſt. ad Phil. Jac. Sachſ.* ita ſcribit: Quercum petrefactam aluit per annos arx iſta in Miſnia celeberrima Electoralis, Auguſtoburgum dicta; de cujus trunci reſidua mole fruſtula habeo & aſſervo, quæ marmore duriora & ad ſigilla ſculpenda aptiſſima ſunt. v. Phil. Jac. Sachſ. *Gammarol. p. 937.* Prope Acidulas Egranas quercum in ſaxum induratam monſtrari memorat Chriſtianus Langius *in Diſſert. de Acidul. Cap. I. §. 23.* Et Johannis Jacobi Leibnitzii

Arbores in lapides mutatæ

nitzii *Memorabilibus Bibliothecæ Norimbergenſis p.m.16.* inſeritur Pyrus, quæ in lapidem ſolidiſſime congelavit, quod aquæ virtuti Leibnitzius cum multis ætate ac uſu edoctis adſcriberet fidentius, niſi fide data accepiſſet, in ædibus nobiliſſimæ familiæ conſectæ arboris truncum ita obriguiſſe, ut, ſi ferro everteres, ignem exoneret, ſine tamen ullo lymphæ confinio; Quo loco dictus Autor etiam ſequentia annectit: Faſtorum Francofurtenſium fide uti ſi libeat, retulere illi Anno 1628. Nobilis Hungari opes magnificas, in ſubterraneis reconditas, filiam quæſiviſſe, parentis ex aſſe hæredem; inveniſſe etiam arcam, quæ effracta, cum diu ſatis ſub malleis gemuiſſet, lapide undique induta, effudit lapidea omnia, quæ aurea acceperat, præſentiſſima adhuc poculorum & monetarum figuræ: ut certiori itinere ad egeſtatem ſe feſtinaſſe heres deprehenderit; quam fortunæ amplitudinem. De certo loco Angliæ, ubi in terra arenoſa, non obſtante defectu fontis petrificantis, lignum in lapidem vertitur, vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſ. Anglic. 1665. p.m. 77.* vid. *Journal. des Sçavans 1666. Tom. I. p. 581.* ubi dicunt: Nous avons dit, qu'une certaine terre ſablonneuſe, qui ſe trouve dans le Royaume d'Angleterre, convertit en pierre le bois, que on y met, ſans qu'il y ait dans cette terre aucune ſource petrifiante.

§. 27.

Dubium. Circa hactenus adductam petrificationem nonnulli dubitant, an lignum vel alia ejusmodi fontibus vel aquis petrificis injecta revera & penitus, an vero ſuperficietenus tantum in lapides transmutentur, quibus Thomas Schirlæus *de Petrificat. Sect. 8. p. 118. ſeq.* ita reſpondet: Ea eſt quorundam opinio, mutationem foliorum, muſci, ligni, corii aliarumque ſubſtantiarum in lapides non eſſe reales transmutationes corporum illorum in lapides ope petrifici ſeminis:

nis: ſed meram duntaxat appoſitionem certarum particularum lapidearum, in aqua latentium, corporibus immerſis ſeſe applicantium; & quod hac ratione ſuperinducantur cortice lapideo, continuaque ejusmodi additione augeantur quoad molem & pondus. Quodſi ita eſſet, folia, ligna, &c. aquis hujusmodi injecta non realiter transmutarentur in perfectam lapidum naturam, ſed apparenter tantum. Si tamen rem penitius conſideremus, deprehendemus, non meram tantum eſſe aggregationem lapidearum particularum, atque incruſtationem duntaxat externarum partium rerum aquis iſtiusmodi immerſarum: ſed minimas etiam atomos ligni, corii, &c. realiter lapidum naturam induere, adeo ut pro alio corpore præterquam lapideo, haberi non poſſint, non ſolum oculorum noſtrorum judicio, ſed & optimorum microſcopiorum ſuffragio. Imo ſi ignis examini ſubjiciantur, non aliud extorquebunt judicium. Ardent enim inſtar ligni, calcinantur vero more lapidum aliorum. Et quamvis majora fruſta lignorum & arborum non æque convertantur in lapides, atque ramuſculi, folia, muſcus; ſucceſſu tamen temporis ingens etiam lignorum moles totaliter lapideſcit intrinſecus & extrinſecus; adeo ut beneficio aquarum petrificarum corpora injecta non ſolum lapideo ſuperinducantur tegumento, ſed ligna, folia &c. realiter & vere transmutentur in lapides. Notandum autem, me non negare aggregationem corpuſculorum in aquis iſtiusmodi latitantium, quorum beneficio res transmutatæ augeri poſſint, & quoad molem & quoad pondus; ſed quod congregatione hac integra abſolvatur transmutatio, hoc eſt, quod nego. Hæc Schirlæus.

§. 28.

Pariter etiam in Regno animali tam brutorum, quam hominis partes, interdum etiam tota animalia petrifi- *Renes petrefacti.*

cata reperiuntur. v. g. Renem petrefactum ſeu lapideum ex muliere exſectum ſe vidiſſe ait Johannes Dolæus *Encyclopæd. medic. Lib. III. cap. 13. p. m. 587.* Renem perfecte ſiliceum, aliquot uncias pendentem, e cadavere Norwagi cujusdam exciſum, ſe ſervaſſe refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 4. App. p. 211.* In ſereniſſima quadam Principiſſa Barutho-Brandenburgica totus fere ſiniſter Ren fuit petrefactus, niſi quod in angulis exiguum carnis parenchymaticæ adhuc aderat, teſte Gothofredo Steinio *Lithograph. curioſ. §. 29. pag. m. 80.* De Rene humano poſt exſiccationem lapidis duritiem acquirente vid. Frid. Ruyſch. *Theatr. anat. IV. p. m. 49.* In fœminæ nobiliſſimæ, Helenæ de Scalin, poſt maximos dolores nephriticos defunctæ corpore, ambo renes in alabaſtrinam duritiem & ſoliditatem obriguiſſe fuere inventi, juxta Phil. Jacob. Sachſ. a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 27. p. 95. ſq.* & ſecundum ejusdem Sachſii *Gammarolog. Append. p. 901.* tam dexter, quam ſiniſter ren penitus fuit petrefactus, in quibus conſpicuæ venulæ & arteriæ ſubſtantiam renum prius perreptantes. Ponderavit ex his ren dexter major undecim lotones. Creditum etiam fuit, fratrem Dietericum a Scal ſimiles petrefactos geſtaſſe renes, ſiquidem cum doloribus nephriticis infeſtaretur, lumbos fornaci admovit, ut prope ſe ureret; non tamen ullum ſenſit calorem præ doloris atrocitate, vid. etiam Chriſt. Frid. Garmann. *Epiſtol. 38. p. 169.* Similem, vel potius, ſi omnes circumſtantias conſideramus eandem cum antecedenti, Obſervationem recenſet Stephanus Blancardus *Anatom. pract. Obſ. 45. p. m. 143.* item *Oper. med. Tom. II. pag. m. 166.* quo loco ipſa Sachſii verba leguntur. Inquit etiam Niclas Venette *des Pierres Cap. IV. Art. 8. p. m. 72.* Outre pluſieurs Obſervations des pierres, qui ſe ſont trouvées dans les reins des hommes Meichſnerus nous dit, qu'un rein

de la

de la femme de l'Electeur Palatin eſtoit presque tout petrifié. Veſicæ lapideæ mentio fit in Hiſtor. Fœtus Muſſipont *pag. 45.*

§. 29.

In ſectione cujusdam mulieris triginta ſeptem annorum uterum lapideum, ponderis ſeptem librarum, inveniſſe Claudium a Sancto Mauritio refert Matthias Unzerus *de Nephritid. Lib. I. cap. 4. p. m. 16.* vid. etiam Joh. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. IV. fol. 602. ſq.* quo loco ſe uterum dividi curaſſe, quia in ejus apertione fœtum quoque lapideum invenire ſperaverit; verum ſpe fruſtratum totum uterum lapideum inveniſſe, addit. Uterum ovis lapideſcentem ſequentibus verbis deſcribit Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 149. p. 235.* Ne pigeat nos itineris, ſi ovile ingredimur ovem viſuri, quam fœtam noverat opilio, ſed parientem vidit nunquam: Dederat hæc certiſſima graviditatis indicia, at partus tempus tranſiliit levipes, quaſi aliud aliquid actura, ringentibus veterinariis omnibus, &, quid de ipſa futurum ſit, neſcientibus. Trahitur poſt menſem menſis, ſine ullo pinguitudinis, nedum ſanitatis, diſpendio. Interea præter exſpectatum impinguit ita, ut inhabilis crederetur ad ſuſtinendum injurias hyemis, dignior, quæ coquinarum in cenſum veniret. Sic ſuæ ſorti relinquebatur ovis, donec mactatori in prædam cæderet, tanto inſpiciendi ventrem ardore detento, ut apud ſe vix eſſe videretur. Haut bene palpitare deſierant mactatæ præcordia, antequam extiſpicinæ huic intentus lanio obſervat ſiniſtro hypogaſtrii lateri adhærentem, prout ille ſuſpicabatur, tumorem cyſticum, prout autem revera erat, uterum ipſiſſimum, levem equidem, ſed ſaxeum adeo, ut quosvis cultros hebetaret facillime, Næviana Cote obfirmatior longe. Tandem in auxilium evocabatur ſecuris, ad cujus repetitos, ut id reſonaret, in- *Uterus lapideſactus.*

flictus

fliſtus prodiit in conſpectum agnellus albus, mortuus quidem, ſed omni vel tenuiſſima putredinis, ſive urgentis, ſive imminentis, ſuſpicione ſe exſolvens. Utrum in eandem, quod veriſimile eſt, lapideam duritiem, cum continente converſum fuerit hoc contentum, nec ne, ignorare cogor; cum, non ſine inſigni indignatione, apud me conqueſtus fuerit ejusdem ovis poſſeſſor, idemque Muſarum cultor indefeſſus, abſente ſe hanc actam fuiſſe comœdiam, nec citius hoc oſtento ignaros ſuos oculos paviſſe Corydones, quam in fimetum merſiſſent Agnellum, Muſæo digniſſimum.

§. 30.

Mammam. Totam mammam ſcirrhoſam & quaſi lapideam, ita ut pondere ſuo valde moleſta eſſet, in fœmina quadam lactante obſervavit Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 8. p. 63.* Mammam muliebrem in ſaxeam plane duritiem converſam vel lapidefactam, quod poſt mortem lapidificæ aquæ immerſa fuerit, Patavii ſe vidiſſe, Johannes Heurnius oculatum teſtem ſe ſiſtit. vid. Phil. Jac. Sachſ. *Diſſert. de mirand. Lapid. Natur. p. 85.*

§. 31.

Lien. Lienem colore lividum & nigrum, ſubſtantia admodum induratum, ſcirrhoſum & fere lapidoſum in Sereniſſimi Ducis Brunſuicenſis filiolo unius anni, epilepſia defuncto invenit Matthias Tilingius, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 133. p. 180.* Et lienem plane lapidoſum conſpexiſſe Petrum Foreſtum ex eodem allegat *pag. 181.* v. Foreſt. *de incertit. Urin. Lib. II. c. 3. fol. m. 199.* Secundum *Hiſtor. Acad. Reg. ſcient. An. 1700. p. m. 278.* oſtendit Dominus Littre lienem humanum omnino petrefactum, unciam unam cum ſemiſſe pendentem. Adhærebat omnibus vaſis ligamentisque, quibus naturaliter ſplen adhærere ſolet, ut adeo dubium, quin hoc viſcus revera ſit, nullum ſupereſſet.

Homo

Homo ille ſexaginta ætatis annorum fuerat, & mortuus erat e lapſu, neque unquam, quantum cognitum erat, de liene aut huic reſpondente malo conqueſtus fuerat. Pancreas lapidoſum vel ita durum, ut lapidem æmularetur in vetula quadam fuit repertum, teſte Dominico Panarolo *Pentecoſt. I. Obſ. 44. p. 27.*

§. 32.

Hepar non ſolum in ſcirrhum mutatum, ſed in lapideam quaſi duritiem converſum, in femina quadam gravida poſt puerperium defuncta, obſervavit Petrus Foreſtus *Obſ. medic. Lib. XIX. Obſ. 14. fol. m. 223.* in cujus Scholio aliud exemplum de quodam viro Senenſi, cujus jecoris anterior pars & univerſa ſiniſtra ad modum lapidis indurata erat, ex Andreæ Veſalii Epiſtola de China recenſet: vid. etiam Godofred. Mœbii *Phyſiolog. cap. 14. p. 349.* & Remberti Dodonæi *Annotat. in Anton. Beniven. Obſ. 3. p. 142.* Hepar anſeris ſiliceum annotavit Alexander de Inſula, inquiens, An. 1191. mactavit coquus noſter anſerem pro fratribus, & ecce totum ejus epar, præter omnium expectationem, plane fuit ſiliceum (non lapideum) ut etiam mallei percuſſiones elideret, colore ſubruffo reperimus. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. App. p. 211.* *Hepar.*

§. 33.

Teſticulum equi petrefactum Venetiis ab Antonio Gott, Mercatore in Fontego de Todeſchi cum admiratione omnium oſtenſum fuiſſe, ex Matthiolo narrat Philippus Jacobus Sachſ. *l. a. p. 85.* qui etiam ibidem inquit, claviculam colli humani Muſæum Domini de Forges, Angli, & caput hominis petrefactum videndum ſibi præbuiſſe Porticum Horti Piſani. Cranium humanum, panem, lignumque in mari repertum, omnia in adamantem converſa ſe ſcire, ſcribit Dominicus Panarolus *Arcanor. Faſcicul. I. p. 209.* *Teſticulus.*

De Calvaria ſaxea, vid. Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 5. p. 1054.*

§. 34.

Cerebrum. De cerebro bovis petrefacto ſequentem obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 26. p. m. 92.* communicat Johannes Theodorus Schenckius, & quidem ex literis tunc temporis Patavii degentis, Lucæ Schrœckii: Circa principium Anni 1670. in quodam vicino Patavii pago bos quidam mactatus cerebrum in marmoream plane duritiem exhibuit, qui aliis bobus ſtupidior, capite ſemper pendulo & quaſi nutante inceſſit, usque dum tandem plane marceſcere inceperit, unde ipſum jugularunt, ſed aperto corpore omnia membra ſalva invenerunt; disrupto autem cranio, ſtupiditatis iſtius cauſa reperta fuit: Cerebrum hoc in Monaſterio dicto D. Juſtinæ jam aſſervatur. Et juxta Scholion ejusdem Obſervationis, eandem Hiſtoriam fere eodem tempore Philippo Jacobo Sachſio literis e Vienna narravit Georgius Sebaſtian Iung his verbis: Nuper ex Italia Viennam redux D. Hempelperger narravit mihi, ſe Patavii menſe Januario Anno 1670. vidiſſe cerebrum bovinum (excepto cerebello ac medulla ſpinali) totaliter petrificatum, quod in ſectione publica D. Scarabicius demonſtravit. Obſervatum fuit, bovem hunc quatuordecim diebus & ultra, antequam mactaretur, notabiliter ac ad ſenſum manifeſtiſſime indies defeciſſe ac contabuiſſe, quod a defectu ſucci nutricii per nervos defluentis ob cerebrum, proximam hujus ſucci materiam, a ſpiritu gorgonico in lapidem coagulatum proveniſſe exiſtimo. Hæc Jungius. Eandem Obſervationem anatomicam ſequentibus verbis ad Johannem Jacobum Dobrzensky perſcripſit Johannes Wenceslaus Hein ab Heinfeld *l. a. Obſ. 130. p. 289.* ſcilicet habuiſſe Monachos Ordinis S. Benedicti ad S. Juſtinam bovem, quem, utpote macello deſtinatum, ſaginabant;

ginabant; at bos objectam eſcam avide devorans nullatenus tamen pinguefieri potuit, unde reſolverunt eundem occidere & indagare cauſam ejusdem macilentiæ. Anatomiam ſpectantibus plurimis ſtudioſis exercuit Sebaſtianus Scarabiccius Patavinus Profeſſor. Ubi igitur ventum eſt ad cerebrum, illud totum inſtar ſaxi repertum eſt. Obſtupeſcentibus omnibus, putarunt primo, vi ingentis frigoris congelatum eſſe, unde poſito capite in catinum ad ignem aqua ſuperfuſa ſat longo tempore coxerunt, at finita coctura, ut prius, cerebrum duriſſimum repererunt. &c. Eandem hiſtoriam ſibi retuliſſe Padua reducem Johannem Baptiſtam Mæſt, Salisburgenſem, ibidemque nationis Germanicæ conſiliarium annectit *l. a. p. 290.* dictus Dobrzensky. Cum vero hujus cerebri bovini non totam ſubſtantiam, ſed exteriorem ſaltem cerebri corticem petrefactam fuiſſe deprehenſam, referatur, ex ipſius Sebaſtiani Scarabiccii libello de hoc oſtento naturæ edito, ſequentia refert Lucas Schrœckius *Schol. in Johann. Helwig. Obſ. 147. p. 392.* ſub die 29 Auguſti An. 1669. Rev. P. D. Michaël Micheli, Monachus Benedictinus duos boves in publicis Conſylvarum nundinis juſto emerat pretio, eosdemque opipare alendos ac ſaginandos in villam Corezolæ immiſerat. Verum enim vero poſt aliquot menſes ſpe nonnihil ſe fruſtratum eſſe deprehendit; ſiquidem, licet ambo ipſi boves eodem prorſus veſcerentur cibo, de eadem omnino biberent aqua, in eodem morarentur ſtabulo, atque ab iisdem bubulcis, nullo interpoſito diſcrimine, quotidie curarentur, nihilominus unus ex illis (altero jam pingue formoſoque facto) nedum ullam comparaverat pinguedinem, aut venuſtatem, ſed debilis ac gracilis apparens, demiſſo, præter communem bovum conſuetudinem, capite, tardoque gradu incedebat. Acceſſit tandem tempus, quo juxta morem familiæ boves ipſi mactari debebant, ut de eo-

rundem carnibus pars una ſale condiretur, altera vero pro farciminibus efficiendis inſerviret. Quapropter ambo hinc deducti, atque in Maſerati villam immiſſi, uterque ſub eadem diei hora, eademque macellarii manu, & in eodem prorſus loco fuit interfectus. Abſciſſa ſtatim utrique ipſorum capita Patavium in Cœnobium S. Juſtinæ deportata fuere, ubi eo mirabilior Naturæ metamorphoſis contigit videnda, quo rarius contigiſſe apud Scriptores non deprehenditur. Tradita tunc fuere ipſa bovum capita Fratri Laurentio de Bergomo (ſic enim appellabatur Monachus ille, qui tunc temporis coqui officio inibi fungebatur) qui arrepto peracuto gladio, alterum ex illis capitibus, uno jam facillime in fruſta conciſo, nunquam ultra cranium potuit diſſecare. Obſtupuit prima fronte bonus ille Monachus, atque adeo licet de ipſo nequiret, ſecundum Virgilium, dici: ſteteruntque Comæ, quia caput omnino ſui ordinis habebat depilatum; Vox tamen præter modum ejus faucibus hæſit; dum interim abjecto cultro animoque in iram parumper concito, in hanc prorupit exclamationem: Quid eſt hoc? qualis hic intus latet Diabolus? Poſtmodum grandem arripiens ſecurim plures in ipſum caput (fruſtra tamen) ictus immiſit. Hinc ira in admirationem, imo & in nonnullum pavorem converſa, ſecurim deponens, ambabus manibus caput ipſum in adverſam partem convertit: Quo facto iterum admovens ferrum exiguo labore cranium ejusdem reſupini capitis in duas partes diſcerpit. Cæterum infra ipſius cranii concavum non cerebrum tenue ac molle, ſed gravem durumque lapidem invenit; qui licet omnimodam præ ſe ferret naturalis cerebri figuram, atque adeo nedum colore, ſed cerebri lineamentis undequaque interciſis, ac colligatis deſignaretur; tantæ nihilominus erat duritiei, talemque præ ſe ferebat frigiditatem, ut nedum marmor,

ſed

ſed ferrum æmulari videretur. Cerebrum hoc in verum lapidem mutatum, vivente bove, ex cranii concavo cum admiratione deductum fuit, &, ut certius ipſius durities tentaretur, gladiis iterum ac bipennibus, deinde grandioribus malleis fuit repercuſſum. Tandem in bullientem aquam immiſſum, imo & inter flammas & accenſas prunas projectum tam valde reſtitit, ut ab omnibus cœnobitis, ac aliis, qui undiquaque confluxerant, infrangibile fuerit judicatum. Aliud exemplum cerebri bovini lapideſcentis in capite ſequenti, de lapidibus in cerebro, reperies.

§. 35.

De Brachio petrefacto hanc Obſervationem recenſet Johannes Helwigius *Obſ. phyſ. medic. 147. p. 391.* Anno Chriſti 1632. Clariſſimus Dn. Johannes du Ranc, Profeſſor Medicus, cum eo tempore in Academia percelebri Monſpelienſium verſabar, ſub demonſtratione ſimplicium, inter alia etiam Studioſis contemplandam publice oſtenderat partem brachii alicujus humani, frigore in lapidis ſubſtantiam transmutati, in qua adhuc lineamenta nervorum ac oſſis exacte ſpectabantur. Hoc tamen brachium non ratione frigoris, ſed alterius alicujus abſtruſioris principii vi fuiſſe lapidefactum, ſtatuit Lucas Schrœckius in Scholio ejusdem Obſervationis. Duas digiti humani articulationes petrefactas, in quibus omnes apophyſes accurate adhuc expreſſæ cernebantur, apud Bernh. Albinum, Profeſſorem Lugdunenſem, ſe vidiſſe ait Chr. Henric. Erndelius *in Itiner. Anglican. & Batav. p. 67.* *Brachium.*

§. 36.

De ſeminis petrificatione raram Obſervationem communicat Nicolaus Blegny *Zodiac. Med. Gall. An. II. Menſ. Mart. Obſ. 4. p. m. 74.* ſcilicet Dominus de la Saulx ex prima *Semen.*

conjuge quanquam plurimos ſuſcepiſſet liberos, ac demum jam pridem viduus ad ſecundas tamen propemodum ſexagenarius convolavit nuptias, ſed inſtitutum infelix ſucceſſus excepit. Etſi enim libidinis æſtu continuo impelleretur, ac ſæpe rigida erectio illius comes eſſet, coitus tamen ſemper imperfectus fuit illius culpa; nec enim ejaculatio unquam conſecuta eſt. In hujus, decimo octavo menſe a nuptiis defuncti ſectione deprehendebatur, quod materia ſpermatica cohibita in vaſis, ibi in lapidem induruerit, adeo ut vaſa ejaculantia lapidibus duriſſimis, plerisque rotundis, inſtar piſorum ſcaterent. Veſicæ petrefactæ ex Johanne Schenckio meminit Antonius Deuſingius *in Hiſtor. Fœtus Muſſipontan. ſive in Joh. Bened. Sinibald. Geneanthrop. App. p. 45.*

§. 37.

Lacrymæ. Sequentem obſervationem de Lacrymis petrefactis annotavit D. Emmeri: Ruſticæ puellæ, annos decem nata, cum quibusdam coætaneis in pago colludenti ſocia arenæ manipulum in oculos conjicit: Graviter inde primis diebus afflicta fuit trimeſtrique abſoluto moleſtiorem dolorem in oculi ſiniſtri cantho majore percepit, cujus cauſa manum illi admovit, imo partes circumſitas digitis compreſſit: calculos binos aut ternos duriſſimos, piſis magnitudine æquales, inde expreſſit illa compreſſio; Eventus teſtes procul omni dubio ratum habuerunt, lapides hos nihil aliud eſſe, quam reſidua aliquot arenarum grana in oculos projecta, ſed effluvio illo ad plures dies producto, prodigium famam excitavit: Curioſitate quidam permoti de veritate indaganda fuere ſoliciti. Poſtquam autem dicta puella ob falſitatis ſuſpicionem cubiculo cuidam ad aliquot tempus concluſa, & omnia circa eam accurate examinata fuiſſent, Matrona quædam Illuſtris ex ejusdem oculo ſiniſtro quatuor lacrymas petrefactas eruit, e quibus

una

una fabæ fuit magnitudine, ſilicea duritie donata, triangularis, alba, ſplendidi quippiam obtinens. vid. Nicol. de Blegn. *Zodiac. Medic. Gallic. An. I. Mart. Obſ. 8. p. m. 63. ſeqq.* ubi harum lacrymarum figuras, & alia reperies. v. etiam *April. p. 79. ſeq. & Jun. p. 97.* ubi de fraudibus in his lacrymis petrificatis. De his lacrymis petrefactis ita loquitur Antonius Valiſnerius *de' Corpi marini p. m. 156.* Ginco di mana ſcaltra e ingannatrice furono pure certe lagrime, che una franceſe moſtrava impietrite, uſcenti dagli occhi ſuoi, del che finalmente quegli eruditi in cognizione ne vennero. Et Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſ. med. phyſic. Cent. I. Obſ. 14. p. 19.* inquit: quæ de lacrymis petrefactis rumor Gallicus olim ſparſerat, fraudes erant & impoſturæ. vid. etiam *Cap. II. §. 6.*

§. 38.

Rerum petrificatarum catalogo inſerit etiam Philippus Jacobus Sachſius *de mirand. lapid. natur. p. 88.* molam lapideam equæ cujusdam Hiſpanicæ generoſi Domini de Baſſonpiere in Aula Lotharingica, quæ demortua fœtus loco molam lapideam prægrandem non ſine admiratione adſtantium exhibuit. *Mola equæ.*

§. 39.

De Lepuſculo in alvo matris petrefacto rariſſimam obſervationem ſequentibus verbis *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 48. p. 234. ſeq.* recenſet Georgius Hannæus: Capiebatur anno ſuperiore in venatu lepus pulpamentum daturus, ſed pedum velocitate ſupra modum pollens. E ventre fiſſo confeſtim protractus eſt, una cum exenteratis viſceribus, catulus leporinus, ſiliceus planiſſime, & tantæ magnitudinis, quantam vix abſolviſſet, ſi duos menſes extra clauſtra vixiſſet materna. Obſtupuit venator ad obtutum inſolitum, atque novum heic mimum daturus Anatomicum, ſaxo impoſitum lepuſculum ferreo quodam comminuebat *Lepuſculus.*

nuebat volgiolo, ferocia tanta, ut ſpargerentur per campum membra diſtracta. Sic lapis ſuper lapidem confractus! Ego hanc victimam lapideam, incudi ſubductam, auro redemiſſem, ſi flectere temporius potuiſſem nimium feſtinantes hujus Popæ manus, gratuito malas.

§. 40.

Fœtus humanus.

Quandoque etiam fœtum humanum in utero materno adhuc detentum in ſubſtantiam lapideam converti, teſtantur exempla. In partu enim fœtum lapideſcentem ſeu petroſum a matre excluſum ſe vidiſſe Felici Platero Medicus quidam iſtius ſeculi clarus narravit, idemque ſcripto publico teſtatus eſt, vid. Fel. Plater. *Prax. Tom. III. cap. 15. pag. m. 818.* Nota eſt etiam alia Hiſtoria fœtus ſeu embryonis in utero materno per octo & viginti annos contenti, petrefacti & poſt mortem exſecti; id quod Anno 1582. die 16. Maji in vetuſto Gallorum Senonum oppido factum eſt. De hoc fœtu lapideo edidit Johannes Alboſius, Medicus Regius, Tractatum, cui titulus Portentoſum Lithopædion, ſive Embryum petrefactum Urbis Sennonenſis, addicta Exercitatione Academica de hujus indurationis cauſis naturalibus. Mulier ſcilicet Senonenſis, nomine Columba Chatry, quæ Ludovico Caritati homuncioni (quadrato tamen & bene habito) ex vulgari plebe & ſartori veſtiario nupſerat, ab annis quadraginta octo fracta ætate & valetudine occubuit decimo ſexto menſis Maji annum ætatis agens ſexageſimum octavum. Hæc ante annos viginti octo, quæ nunquam antea uterum geſtarat certiſſima habuit inchoati hominis indicia. Nam menſes illi ſtatim ſubſtiterunt. Pica primis menſibus laboravit, tempeſtivum embryonis motum & frequentem perſenſit, tumore lumborum & abdominis paulatim ſuccreſcente mammiſque lacte turgentibus. Tandem autem decurſo pene veræ geſtationis curriculo, labores puerperii graves & abdominis

nis dolores experiri incepit, urina ad aliquot dies ſuppreſſa, quæ poſtea currente veluti alveo & magna vi erupit, profuſo illo ichore, non tam ex veſicæ meatu ſcaturiente, quam ex mulieris loculis, amnio tunica disrupta, cum una cum iſtis ſeroſis recrementis, (quas mulierculæ aquas vocant) aliquis concreti ſanguinis trumbus emerſerit. Inde autem & mammæ concidere viſæ ſunt, motus infantis aut ignavus, aut nullus, labores mulieris tolerabiliores. Quibus omnibus attonitæ fuerunt obſtetrices, quæ antea certiſſimum puerperium expectarant. Ipſa autem gravida ad extremam vitæ calcem de valetudine, tumore, duritie, torminibus alvi, de gravi pondere, modo in hanc, modo in illam partem procumbente conqueſta fuit. Poſtquam autem fato eſſet functa in ipſius diſſecto abdomine uterus reperiebatur rugoſus & verſicolor, tactu durus, teſtaceus & craſſus. Tum Chirurgi novaculam in portentoſam illam molem & gypſeam injiciunt, qua ad aciem cultelli renitente ſcalprum altius adigunt, & magna vi uterum ſecant diductisque duriſſimis vulneris labris, infantem in orbem implicitum vident, totamque iſtam molem ex illo veluti antro & manibus & uncis vi abſtrahere conantur. Situs infantis erat pene ſphæricus &c. Tibia utraque ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis ita inter ſe compactis & lapidefactis, ut totum iſtud opus dixiſſes eſſe alicujus Phidiæ, qui vel ex ebore vel ex marmore maturæ ætatis embryi abſolutiſſimam iconem expreſſiſſet &c. vid. *Collectan. de diuturn. Gravidit. p. 11. ſeqq.* Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar. p. 294. ſeqq.* Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. II. Obſ. 100. p. m. 309. ſeq.* quo loco ex Thuano refert, corpuſculum illud Agendici, Senonum, ubi extractus erat infans, poſtmodum a prætereuntibus miraculi inſtar viſum fuiſſe. Et *pag. 211.* ita pergit Bartholinus: Tranſiit deinde mirandus hic fœtus ad Pariſienſem mercatorem

primarium Preteregle, curioſum rerum rariorum, apud quem vidit obſtetrix Bourgeſia. Hinc ab aurifabro & gemmario Giliberto Vautron Venetias aſportatus. Tandem ex Italia 1653. migravit ad Sereniſſimum Regem Danorum, Dn. Fridericum III. qui iterato mihi clementer & videndum & accuratius examinandum conceſſit &c. vid. etiam Joh. Georg. Schenck. *Hiſtor. Monſtror. pag. 90. ſeqq.* Mauric. Cordæus *in Hippocrat. Lib. 1. de Muliebr. Comment. in Iſrael. Spacch. Gynæc. fol. m. 740.* Joh. Schenck. *Obſerv. medicin. Lib. IV. fol. m. 609.* Chriſtian. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 109. ſeq. p. m. 1134. ſeq.* Joh. Nicol. Pfizer. *de Natur. & Morb. Mulier. Lib. I. Part. III. cap. 34. p. m. 243. ſeq.* Dan. Sennert. *Pract. Medic. Libr. IV. Part. 2. Sect. 4. cap. 8. p. m. 323. ſeq.* Phil. Jac. Sachſ. a Leeuwenh. *de mirand. Lapid. Natur. p. m. 86. ſeq.* Louyſ. Bourgeois Hebammen-Buch *Lib. II. cap. 36. p. 77. ſeqq.*

§. 41.

Fœtus Muſſipontanus.

Deinde etiam nota eſt ſingularis Obſervatio Muſſipontana de Fœtu extra uterum in abdomine matris retento tandemque lapideſcente. Mulier ſcilicet Muſſipontana annum ætatis ſexageſimum prætervecta, exili corpore & exigua admodum ſtatura, jam pridem orbata conjuge, ex quo alias non ſemel prolem ſuſceperat, ſex prope luſtris cælibem agebat vitam. Aſt ſexto Kalendarum Auguſti 1659. neſcio quo abrepta impetu ſeſe e ſuperioris cubiculi feneſtra in ſubjectam planitiem hora ante meridiem ſexta egit præcipitem, cum vix ullum antea dediſſet prævium aut phantaſiæ, aut rationis aberrantis argumentum. Ex tam violento caſu graviter ſaucia duas circiter poſt horas extincta eſt. Sed quoniam, dum in vivis ageret, non raro apud medicos conqueſta fuerat, ſe lapideam utero geſtare molem (ſentiebat enim tribus infra umbilicum digitis

pondus & permoleſtum & grave, ex quo & injuſſæ alvi dejectiones & invitus plerumque urinæ fluxus, imo & ipſius ani procidentia ſequebatur) placuit extiſpicio rem totam diligentius indagare. Itaque Dominus Pillement, Medicæ Facultatis Decanus ac Primarius in hac Alma Univerſitate Muſſipontana Profeſſor, demortuæ cadaver ſecari juſſit, & reſectis primum communibus abdominis integumentis adactoque omentum usque ſcalpello, emerſit illico moles, quæ quadrimi infantis capiti magnitudine nihil cederet. Totam hanc molem natura in orbem fere conglomeraverat & duriſſimo involucro obtexerat, quod bubuli ventriculi tunicas colore referret & craſſitie. Bajulæ mulieris corpori quinque firmiſſimis retinaculis cohærebat & quatuor quidem vincula ex totidem peritonæi lateribus orta, pendulam molem fulciebant, quintum vero eandem tenuioribus inteſtinis incumbentem, iisdem etiam tenacius annectebat, ſive id ad majorem firmitatem ita naturæ providerat, ſive inobſervabili meatu chyli inde refluentis aliqua portio per arcanas lactearum valvulas poſſet ad latentis fœtus alimentum derivari. Ubi primum tegmen illud duriuſculum immiſſa removit obſtacula, ſtabulantem in medio fœtum facile deprehendimus decuſſatis in crucis formam brachiis, & utraque tibia communem aliis in utero ſitum retinente: illa tamen eadem membra, nullis diſtincta intervallis, ita cum reliquo corpore coaluerant, ut inſpiciantium aciem oculosque propemodum ſubterfugerent: quamvis nec hanc, nec alias hujus corpuſculi partes ulla in re mancas aut mutilas ipſa formatrix vis reliquerit. Nam cerebri veram germanamque ſubſtantiam utraque tunica, & obducta inſuper cranii compago eaque duriſſima coërcebat: Claudebantur etiam ſub epigaſtrio & hypogaſtrio reliqua viſcera, ad vitæ operationes neceſſaria, cor nempe, pulmo, jecur,

ventriculus, lien, renes, diaphragma, fellis folliculus, veſica, inteſtina, nec defuit etiam uterus, ſuis quoque omnibus numeris abſolutus, quoque uno indicio infantis ſexus innotuit. Neque vero illud prætermiſſum oportuit, quod jam aliquatenus lapideſcere cœperat, vultu præſertim in gypſeam quandam duritiem abeunte, nec ultra eam magnitudinem excreverat, quam juxta conſuetas naturæ leges ſemeſtris fœtus aſſequitur. Cœterum uterus mulieris, quæ intra abdominis latebras hocce prodigium complexa tot annis geſtaverat, tam illæſus intactusque repertus eſt, quam qui maxime, nullo prorſus obductæ cicatricis veſtigio. Quam obſervationem cum variorum Autorum, v. g. Laurentii Strauſſii, Antonii Deuſingii & aliorum Reſolutionibus, Conſiderationibus & Judiciis in Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. Appendic.* reperies. vid. etiam Arnold. Senguerd. *Diſcurſ. de Oſtent. Dolano p. 30.* Hunc fœtum Muſſipontanum Pariſiis vidiſſe Comitem Digbæum ad Thomam Bartholinum perſcripſit Johannes Daniel Horſtius, vid. Th. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt. 7. p. 21. ſeq.* Et in ſubſequente *Epiſt. 8. p. 22. ſeqq.* Idem Bartholinus dicto Horſtio mentem ſuam de mirabili fœtu Muſſipontano prolixe explicat; vid. etiam ipſius *Tract. de inſolit. Partus viis Cap. 11. p. 78. ſeq.*

§. 42.

Fœtus. Pariſiis etiam fœtus humanus eſt excîſus, adultæ magnitudinis, in petram verſus. Fractus eſt illi pedis digitus intusque tendines & oſſium articuli apparuerunt. Itemque confracta gingiva (erat nempe hiante ac velut ejulante ore) dentem ſubtus oſtendit, in maxillæ theca; Quod mihi (inquit Johannes Baptiſta van Helmont *de Lithiaſ. Cap. 1. §. 11. fol. m. 13.*) teſtatus eſt amicus, qui acuendis inſtrumentis, parando organa Matheſi dicata, ſolebat ſæpe in hujus fœtus dorſo cotem facere. Hiſtoriam anatomicam

fœtus

fœtus totis viginti quinque annis in utero deliteſcentis, cujus epiploo maſſa quædam adnata erat, octo librarum civilium ponderis, id eſt, unciarum centum viginti octo, & cujus univerſa ſuperficies erat cruſta pollicis craſſitiem æquans, imo majorem quibusdam in locis, quæ cartilagineam duritiem fere adepta erat, cum variis circumſtantiis in Margaretha Matthieu, Johannis, Pugetii Pannorum tonſoris Tholoſani obſervatis, communicat Nicolaus de Blegny *Zodiac. Med. Gall. An. I. Januar. Obſ. 9. p. 9. & Februar. Obſ. 8. p. 52. ſeq.* Sequentem relationem legimus *dans le Journal des Sçavans Tom. VI. p. m. 312.* Marguerite Matthieu femme de Jean Puget Tondeur de draps eſtant, en ceinte en l'an 1652 ſentit ſur la fin du neuvieme Mois de ſa groſſeſſe les douleurs de l'enfentement avec les efforts, que les femmes font ordinairement, quand elles ſont preſtes d'accoucher. Elle vuida les eaux, mais l'Enfant ne ſortit point. Pendant l'eſpace de 20 ans elle a ſenti quelques mouvemens de cet enfant, avec diverſes incommoditez, les quelles l'obligeoient de temps en temps ſuivant qu'elle en eſtoit preſſée de prier ſon Chirurgien d'ouvrir ſon ventre pour tirer ce fardeau incommode. Depuis les ſix dernieres années cette femme n'a plus ſenti des mouvemens de cet Enfant, mais eſtant malade elle fit a ſon Chirurgien la priere de l'ouvrir dés qu'elle ſeroit morte pour tirer de ſon ventre l'Enfant, qu'elle y portoit. Cette femme eſtant decedée le 18. de Juin de l'année 1678. ſon Cadavre fut ouvert le lendemain 19. du méme mois, & on trouva dans le ventre hors de la matrice l'Enfant mort, ſans aucune liaiſon avec la matrice, la teſte en bas, les feſſes penchant vers le côté gauche, les bras & les jambes en la poſture, que la figure y les repreſente. Tout le derriere de cet enfant eſtoit couvert de l'Epiploon, qui eſtoit épais d'environ deux doigts, & eſtoit fortement attaché

en divers endroïts à ce corps, de façon, qu'on ne pût l'en ſeparer, qu'aret l'eſcalpelle, tres-peu de ſang coulant, quandon l'en ſeparoit. Ce petit corps peſoit huit livres. Le crane éſtoit fracaſſé en pluſieurs pieces, le cerveau de la conſiſtance & couleur de l'onguent roſat. Les chairs etoient rouges à l'endroit qu'elles étoient unies à l'Epiploon. Les autres etoient ou blanchâtres, ou jaunes, ou un peu livides, excepté la langue, qui avoit la molleſſe & la couleur naturelle. Toutes les parties internes étoient flétries de couleur noirâtre ſans aucune trace de ſang, excepté le cœur, qui avoit conſervé quelque rougeur. Le front, les oreilles, les yeux, le nez, la bouche étoient couverts d'une matiere calleuſe de l'epaiſſeur d'un travers de Doigt, &c. Fœtum parvulum digiti inſtar, omnibus abſolutum membris, durum admodum, ac tanquam e latere coſto conſiſteret, alterius fœtus amnio adhærentem haud aliter quam majoribus oſtreis minus quandoque adhæret, obſtetrix quædam, Eliſabetha Tombay obſervavit. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſervat. rarior. Cent. I. Obſ. 74. p. 323.*

§. 43.

Adulti homines in ſaxum mutati.

Non ſolum autem Embryones vel fœtus utero adhuc incluſi, verum etiam alii majores extra uterum & nonnunquam adulti homines in ſaxeam ſubſtantiam variis ex cauſis transmutantur. Ex urbe enim quadam Africæ non ita pridem in petram converſæ puer petrificatus ad Cardinalem Richelium fuit miſſus, quem Melitæ ſe vidiſſe refert Thomas Bartholinus *Epiſtol. medic. Cent. I. Epiſt. 53. p. 225.* Et *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſtor. 100. p. m. 308.* inquit idem: ſeculo noſtro in Africa prope Tripolim certo iræ divinæ argumento oppidum ſubitanea transmutatione in ſaxeam duritiem fuit converſum, ex quo puer petrificatus ad Cardinalem Richelium transmiſſus fertur. Sic

vir

vir in lapideam ſubſtantiam converſus Romæ in Palatio Ludoviſiorum oſtenditur, cujus argumentum ipſa oſſa præbent & coſtæ ſuam adhuc formam ſervantes, v. Thom. Bartholin. *de Unicorn. cap. 37. p. m. 370.* item *Cent. II. Hiſtor. 100. p. 308.* Et Philippus Jacobus Sachs a Leeuwenheim *de Mirand. Lapid. Natur. p. 85.* inquit: Totum hominem induratum videndum mihi præbuit Romæ Cardinalis Ludoviſii Palatium, in quam marmoream vivi quondam hominis ſtatuam in arca decumbentem ingenioſe luſit Andreas Gryphius binis Epigrammatibus, *l. a. p. 86.* reperiundis. Ejusmodi indurationem vel transmutationem Sanctæ Roſaliæ cadaveris recenſet Caſpar Schottus *Anatom. Font. Lib. VI. Cap. VIII. p. m. 402.* Talis, inquiens, in lapides indureſcentia contigit in Ercta monte prope Panormum Siciliæ, quem nunc montem peregrinum & montem S. Roſaliæ vocant; in quo, cum certo conſtaret, dictam ſanctam e Caroli Magni proſapia natam, vitam eremiticam egiſſe, & diem ſuum ultimum obiiſſe. Diu tamen & ſæpe ſacrum ejus corpus reperiri, cum multis in locis, ac circum etiam ipſum, non ſemel fodiſſent, non potuit, donec Anno 1624. cum Peſtis ſæviſſima Panormum ac totam fere Inſulam miſerandum in modum depopulata fuiſſet, conſtaretque traditione parentum, inventum iri dictum corpus tunc, quando vel maxime egerent Inſulani Sanctæ apud Deum patrocinio, ob idque iterum ſedulo conquireretur, caſu a foſſore quodam lapidem ingentem, ut putabatur, impacto ingenti malleo confringente fuit deprehenſum: Jacebat enim in latus reclinatum dexterum, brachiis ante pectus in crucem complicatis, dormientis ſpecie, in caverna, quæ antea non niſi per anguſtum foramen homini uni intro repenti introitum conceſſerat, poſtea vero dilatata fuerat. Aquæ autem ſtillicidia, e cavernæ tholo decidentia ſacrum depoſitum cruſta lapidea

it-

ita obduxerant, ut ſaxum ſolidum appareret. Inquit etiam Petrus Borellus *Hiſtor. & Obſ. med. Cent. I. Obſ. 5. p. 11.* ſunt ſpiritus quidam lapidifici, qui e cavernis erumpentes quandoque obvia quæque in lapides vertunt, ut videre eſt apud Uvilflietrum & Aventinum in Hiſtoria Bavariæ, in qua ait, quadraginta paſtores cum vaccis lapidefactos fuiſſe. Ingentia corpora obriguiſſe ex Analect. Miſcell. menſtr. Matthiæ Zimmerm. refert Johannes Jacobus Leibnitz. *Memorab. Biblith. Norimb. p. 37.* In cryptis prope Pergamum aliquot cadavera, illorum ſcilicet, quos belli pavor in abdita compulerat, fuiſſe a ſuperficie in centrum usque petrificata, commemorat Johannes Baptiſta van Helmont *de Lithiaſ. Cap. 1. §. 12. Oper. Part. II. fol. m. 13.* An. 1348, ex terræ motu quinquaginta amplius homines ruſticos, item mulgentes cum vaccis extinctos obriguiſſe, & corpora a ſpiritu in ſalarias ſtatuas redactos apud Charinos fuiſſe, ex Aventin. Hiſtoria Bavarica adducit Matthias Unzerus *de Nephritid. Lib. I. cap. 4. p. m. 18.* Eandem metamorphoſin quosdam in Chyle, Americæ antarcticæ regione ſubiiſſe, refert Henricus Mundius *Comment. de Aere vital. cap. 11. p. m. 61.* Circa annum 1320. intra Ruſſiam & Tartariam in altitudine graduum 64. non procul a palude Kitaya, Horda Baſchirdorum penitus in petras transmutata legitur cum toto armento, curribus & armamento. Dicunturque etiamnum homines, cameli, equi, greges atque omne concomitans curruum & armamentorum genus, ſub dio concretum, horrendo ſpectaculo, adhuc inſaxata ſtare. vid. Joh. Bapt. van Helmont *l. a. fol. 14.* Simile quoddam accidens cohorti Equitum Hiſpanicorum contigiſſe ex Acoſt. refertur. vid. Frid. Nitzſch *Ephemerid. Erudit. An. 1666. p. m. 556.* vel *Journal des Sçavans Tom. I. p. 582.* & Lazar. River. *Prax. Medic. Lib. 14. cap. 1. Tom. II. p. 143. ſeq.* Quæ tamen exempla nonnullis ſuſpectæ fidei videntur.

videntur. vid. Jacob. Gaffarell. *Curioſit. inaudit. c.5.p.m.83.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. p. 1059.*

§. 44.

Similis etiam extraordinaria tamen, metamorphoſis *Uxor Lothi.* erat cum juxta Geneſ. Cap. 19. v. 26. in excidio Sodomæo & Gomorrhæo Lothi uxor contra divinum præceptum inobediens per cordis duritiem retro verſus ſuam patriam & bona relicta reſpexiſſet, atque in ſtatuam ſalariam vel lapideam transmutaretur, de qua Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit.3. §. 165. ſeqq. a pag. 1170. usque ad pag. 1177.* more ſuo varia curioſa collegit. vid. etiam Simon. Majol. *Dier. Canicul. Lib. I. Cap. 18. fol. m. 236. ſeqq.* Hanc uxoris Lothi ſtatuam Johannes Daniel Major *de Cancris petrefact. §. 26. p. 22.* rectius lapideam dici ſcribit. E contra vero Philippus Jacobus Sachs *Epiſt. de Mirand. Lapid. Natur. p. 66.* eam ſtatuam non tam in lapidem, quam ut plerique interpretes, volunt, in ſtatuam ſalis verſam fuiſſe, ait. De hac, pergit idem, mirandum, eam ad multa ſecula duraſſe, cum & Burchardus, qui vixit abhinc tredecim annis, teſtetur, ſtatuam hanc ſua adhuc ætate inter Engaddi & mare mortuum extitiſſe, quamque ſuo tempore viſam memorat Adrichomius in Theatro Terræ ſanctæ & Abulenſis &c. Utrum vero hujus ſtatuæ ſal ſali noſtro culinari ratione duritiei ſimile fuerit, quod ab aqua & aere pluvioſo facile liquatur, utique dubitandum, cum variæ hinc inde dentur ſalis differentiæ, ut alterum ſal altero longe deprehendatur durius atque compactius, ita ut aquæ & imbrium impetum non reformident, quale dubio procul fuit illud, ex quo montibus exciſſo, ceu lapide juxta C. Plin. *Hiſtor. Nat. Lib. V. cap. 5. fol. m. 6.* Hummanientes domus ſuas conſtruunt. Et *Lib. XXXI. cap. 7. f. 552.* inquit idem Plinius: Sunt montes nativi ſalis, ut in Indis Oromenus, in quo lapidicinarum mo-

do cæditur renaſcens: majusque Regum vectigal ex eo eſt, quam ex auro atque margaritis. Carrhis Arabiæ oppido muros domosque maſſis ſalis faciunt, aqua ferruminantes &c. Plura de Lothi uxore vid. *Parthenolog. noſtr. Sect. II. cap. 11. §. 47. p. 265. ſeq.*

§. 45.

D...tes lapi-dei.

Huc ſpectant etiam dentes & varia animalium oſſa, in ſaxeam naturam verſa, quæ hinc inde in variis ſpecubus eruuntur, atque a nonnullis inter petrefacta referuntur. De dentibus in ſpelunca, tribus fere paſſuum millibus Panormo diſſita, repertis, ſequentem Obſervationem ex Athanaſio Kirchero refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 5. p. 1054.* Hanc ſpeluncam ingreſſus cum Illuſtriſſimo Marchione Carolo di Vintimaglia oſtendit ipſi comes in ſiniſtro antri pariete, longe lateque exporrectum mirum naturæ opus: Paries dentes referebat parvos, mediocres, maximos & exceſſivæ magnitudinis, ea ſerie, qua natura maxillis animalium inſerere ſolet, infixos, tanta copia, ut centum carros inde onerari poſſe, facile crediderim, tanta naturalium dentium ſimilitudine, ut vix hos ab illis diſtinguere potueris; ſupra quidem candorem pelluſtrem, inferius vero radices monſtrabant acutas, omnes tamen in lapidem ſolidum converſos. Tunc ecce ad me, Vir Illuſtriſſimus, hi ſunt dentes, quos nonnulli impoſtores hinc exemtos pro gigantum aut elephantorum dentibus (erant enim aliqui exceſſivæ, ut dixi, magnitudinis) imperitæ plebi vendunt. Sed non ſtetit hic mira naturæ induſtria, amplius diſcurrit, ulterius progreſſus in ſubterranei curriculi parietibus, neſcio quæ humanorum membrorum lineamenta intuiti ſumus, nunc enim tibiarum protuberabant formæ, vertebrarum genuumque veſtigia, nullo tamen ordinis nexu ſpectabantur;

vide-

videbantur quoque nonnulli tumores argillacei ingentes, qui exciſi, ex una parte os genuum, ex altera concavitatem relinquebant, calvariæ haud abſimilem; nihil tamen inter omnia oſſeæ ſubſtantiæ veſtigia organizatum, uti ſunt caput, manus, pedesque reperiebatur; unde luculenter admirabilem naturæ in oſſibus ſimilibus ſaxis formandis induſtriam primo cognovi. Hæc Kircherus. De dentibus Draconum hanc obſervationem recenſet Petrus Borellus *Obſ. medic. Cent. II. Obſ. 85. p. m. 181.* in antiquis ſpeluncis reperiuntur lapides dentiformes, Dentes Draconum vocati, qui in aquam projecti bullas excitant, & adverſus venena valere feruntur. Ejusmodi autem multi reperiuntur in ſpelunca vocata de Senevieres apud Cadurcos, caſuque reperti ſunt, quoniam ſaxa, quibus hærebant, in aquam fontis forte decidiſſent, illam medicatam adeo reddiderant, ut bos ægrotans ea curatus fuerit &c. Juxta ſylvam Semanam ad radicem arcis Brunſuicenſis Scharzfeld vidit Johannes Daniel Horſtius erui oſſa, dentes, mandibulas, varias urſarum, leonum, hominum & aliorum animantium æmulas, vid. Garmann *l. a.* & Georg. Henning. Behrens *Hercyn. curioſ.* oder curieuſ. Hartzwald *c. I. §. 2.* von der Schartzfeldiſchen oder Schartzfelſiſchen Höle *p. m. 35. ſeq. 40.* ubi inquit: das allda ſo genannte Unicornu foſſile iſt nicht einerley geſtalt, denn bald ſiehet ſolches als wie ein Horn, Hirnſchädel, Kinnbacken, Schulterblat oder Rückgrad aus; Bald ſtellet daſſelbe eine Rippe, Zahn, Schien- und Hüfft-Bein, auch andere Knochen, ſo von Menſchen und Thieren herkommen, für, auch wird welches angetroffen, das eine unförmige Maſſe oder ungeſtalter Klumpe iſt; Dannenhero auch ſolches vor ein animale oder verſteinerte Knochen ausgegeben wird ꝛc. Notat etiam Gorropius, vidiſſe ſe oſſa magnitudinis inſolitæ, in terra naturaliter producta: unde forte exiſtimarunt veteres, fuiſſe in terra aliquando gigantes prodigioſæ magnitudi-

 nis,

nis, quibus errandi cauſam præbuit ignoratio ſecretorum Naturæ. vid. Jac. Gaffarell. *Curioſit. inaudit. Cap. V. §. 3. pag. 83. 85.* Secundum Caſp. Hoffmann. *Paraleipom. officinal. Sect. I. cap. 25. Opuſcul. p. m. 521.* eſt in vicinia Altorfina, prope Veldum oppidum, crypta profunda & ampla, dicta das Geiſſeloch, e qua oſſa reperiuntur lapidea, magna & parva, variarum figurarum, femoris, dentium, &c. quæ eandem ſubſtantiam habent, eundemque effectum cum unicornu ſeu ebore foſſili; quorum non exiguus Hoffmanno fuit apparatus. De hac crypta Veldenſi & Grünſpergenſi, in quibus talia oſſa quondam fuere reperta, vide etiam Joh. Jacob Baieri *Oryctograph. Noric. Cap. VI.* in quo de quorundam vegetabilium & animalium in lapides transmutatione agit, *pag. 53. ſeq.* Idem etiam *p. 55. ſeq.* ad petrificata ex animalibus refert Ichthyoſpondylos, aut piſcium majorum vertebras, item Ichthyomorphos lapides aut Ichthyolithos Pappenheimenſes & Eyſtettenſes his ſubjungit, hæcque omnia, ſcilicet unicornu foſſile, vel oſſa vel Ichthyoſpondylos, pro univerſalis diluvii reliquiis habet; facile tamen credit, ſequentibus etiam ſeculis quædam oſſa animalium hinc inde, variis caſibus terræ idoneæ mandata, conceſſo ſufficienti temporis ſpatio, cæteriſque paribus, ſimilem quadantenus diluvianis illis alterationem ac immutationem ſubiiſſe. Refert etiam Johannes Jacobus Marx in der Material-Cammer *p. 92.* daß unlängſt bey dem Bambergiſchen Städtlein Bodenſtein, welches in Bergen und Felſen ſtecket, in einem felſichten Loche, dergleichen Beine und groſſe Zähne, welche gantz in der Erden calcinirt geweſen, gefunden worden seyn. De unicornu foſſili (quod Archangelus Riccio *nel Teſoro delle Gioje cap. 54 p. m.* 222. vocat Avorio ſincero, calcinato per Vecchiezza ſive Ebur ſub terra vetuſtate temporis calcinatum) ſcripſit Johannes Laurentius Bauſch Schediaſma, in quo de proxima generationis

hujus

hujus mineralis materia pluribus agit, vid. Joh. Mich. Fehr *Anchor. Sacr. vel de Scorzoner. p. m. 172. ſeq.* Imprimis etiam lectu dignus eſt Johannis Samuelis Carl *Lapis Lydius Philoſophico - Pyrotechnicus ad Oſſium foſſilium Docimaſiam analytice demonſtrandam adhibitus &c.* in quo non ſolum variorum Autorum ſententias adducit, verum etiam propriam multis experimentis Chymico - Phyſicis confirmat. De ejusmodi autem oſſibus foſſilibus & unicornu foſſili &c. evolvi inſuper poſſunt Thom. Bartholin. *de Unicorn. cap. 37. p. m. 365. ſeq. M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 48. p. 139. ſeq.* Joh. Dan. Geyer. *de Montib. conchifer. ac Gloſſopetr. Alzeienſ. Tr. I. §. 12. p. 10. ſeq.* Anton. Deuſing. *Conſiderat. Fœt. Muſſipont. Sect. 5. §. 124. p. 44.* Franc. Calceolar. *Muſæi Sect. III. fol. m. 408.* Chrid. Frid. Garmann. *de Miracul. Mort. Lib. III. Tit. 3. p. 1054. ſeqq.*

§. 46.

Aliquot Viperas Melitenſes petrefactas, de quibus notatu dignum, quod omnes capite careant, ſe apud Profeſſorem Lugdunenſem, Bernardum Albinum, vidiſſe recenſet Chriſtianus Henricus Erndelius *in Itinerar. ſuo Anglic. & Batav. p. m. 67.* *Viperæ Melitenſes.*

§. 47.

Cauſæ non tam naturali, quam ſupernaturali adſcribenda eſt ſubitanea alimentorum in lapides mutatio, ſi vera eſt, quam recenſet Simon Majolus *Dier. Canicular. Part. I. Cap. 18. fol. m. 236.* Mendicus, inquiens, quidam decrepitus, in maris littore a nautis petebat Chriſti nomine eleemoſynam, efflagitabatque modicum in cibum ex iis rebus multis, quibus navis onuſta eſſet. Præfectus plus æquo immiſericors reſpondit: abi hinc ſenex, nihil hac in navi eſt, præter lapides. At mendicus: ſi ita eſt, ut nihil *Alimenta in lapides mutata.*

præter lapides habeatis, faxit Deus, ut ita appareat. Mirum mox, quicquid eſculentum ibi eſt inventum, verſum eſt in lapides, erant autem plurima ejus generis parata, & devecta e longinquo. Dactyli igitur, olivæ atque alia hujusmodi omnia, genuina retenta forma ac colore, lapides erant, quos ſe vidiſſe attrectaſſeque memorat Gregorius Turonenſis &c.

§. 48.

Calculi hæreditarii. Liceat etiam capiti huic de Lithogeneſia adhuc annectere, quod interdum etiam in infantibus, utero materno adhuc incluſis variæ calculi annotentur cauſæ, vel per hæreditatem a parentibus in fœtus transferantur, adeo ut tales fœtus quandoque paulo poſt excluſionem eodem calculo extinguantur. Inquit enim Adamus Brendelius *Obſervat. anatom. Decad. III. Obſ. 1. p. 7. ſeq.* plures ſeſe offerunt cauſæ, quæ generationem calculi non minus in fœtu, quam in lucem editis, adjuvant. Aliquando enim ſemina futurorum calculorum in utero materno ſparguntur, quæ in fœtu, actis jam radicibus germinant, & tractu temporis adulta inauſpicato demum ſeſe produnt, & immaturam mortem non raro, nulla medicina avertendam, accelerant. In infante calculo veſicæ extincto & a me diſſecto dictus calculus procul dubio hæreditarius fuit, utpote cujus mater eodem pariter afflicta ante diem obiit. Solidus ille & ſatis compactus erat, qui cum mole ſua ferme ovum columbinum æquaverit, tam arcte cum veſica concreverit, ut paucis tantum guttis tranſeuntis urinæ via patuerit. Quæ procul dubio cauſa fuit, quod infans noctu dieque a collecta in veſica urina divexatus parum quieverit, & ſtimulo ejusdem, quæ exitum liberum non habuit, agitatus, ſæpius inſultibus epilepticis correptus ſit, a quibus etiam extinctus exſpiravit, cum nondum dimidium anni expleviſſet. Veſica ultra naturam craſſa &

ampla

ampla erat, quod maximam partem in illis, qui calculo veſicæ ita affecti pereunt, obſervatur. Sequentem Obſervationem recenſet Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 78. p. 301.* Infans trimulus, ortum ducens a parentibus nephriticis ſtatim poſt partum magna vexabatur ſiti, præprimis noctu; acceſſerunt tormina ingentia. In hujus poſt convulſiones defuncti infantis cadavere Harderus præter alia deprehendit in rene ſiniſtro materiam ſabuloſam carunculis papillaribus inerrantem. Ad ipſum autem ureteris oſtium calculus ſitus erat oblongus, acuminatus, ſilicis duritie, membranaque tenaciter involutus, adeo ut lancetta ipſum ſeparare neceſſe habuerit. Anno 1717. calculum veſicæ in puero tredecim annorum, a patre nephritico prognato, exſecuit Joachimus Ludwig Bude; qui puer recordabatur, ſe per tres retro annos, dolores ex calculo cum urinæ & ardoribus & ſuppreſſionibus ſenſiſſe. vid. *Act. Medic. Berolin. Vol. II. p. 139.* Et puer Hafnienſis annorum circiter ſex contracta a parentibus ſuperſtitibus inviſa hæreditate, calculo miſere tortus fuit, veſicam dilaniante. Tandem robore naturæ protruſus ille in urethra ſubſtitit, nec præ magnitudine anguſtum canalem tranſire valens & dolorem incredibilem & urinæ ſuppreſſionem induxit. Miſere periiſſet miſer, niſi Chirurgus, Nicolaus Bojus, ſectione virgæ ſeu urethræ viam aperuiſſet, extracto calculo nucis magnitudine, quem inſtar theſauri a parentibus cuſtoditum aliis monſtravit. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. IV. Obſ. 83. p. 193.* Secundum Obſervationem Johannis Danielis Geyeri Puer Grisheimenſis duodecim fere annorum ab utero materno laborabat calculo veſicæ, cumque ulterius dolores ſat atroces perferre nequiret, ſectioni ſeſe ſubmiſit, operante Lithotomo Andrea Chriſtophoro Bezio, facta in perinæo inciſione ipſius veſicæ, non aliter ſenſiſſes, ſi digitum intruſiſ-

ſes,

ſes, ac ſi in lapicidina eſſes, calculusque adhæſit veſicæ ad ovi magnitudinem gallinæ indicæ ſimilem, adeo ut fruſtulatim extrahi debuerit, cujus mater erat inſtar olivæ, mundata autem fruſtula ad decem uncias pendebant, quod revera mirandum in juvene paucorum annorum, qui vero tertio die iliacus interiit. vid. *M. N. C. Dec. II. An.5. Obſ.231. p.456.* Aliud calculi hæreditarii exemplum ex Platero refert Raymundus Vieuſſens *Nov. Vaſor. Corpor. hum. Syſtemat. p.191. ſeq.* Nobilis ſcilicet quædam Matrona multos annos graviſſimis renum doloribus, ſiniſtro præſertim in latere, divexabatur, & quatuordecies uterum geſtans toties octavo vel nono ſemper menſe abortiebat. Tandem una cum ætate doloribus invaleſcentibus de dextri præſertim lateris dolore, ita ut nec contactum aut decubitum in illam partem ferre poſſet, conquerebatur, rejectis interim toto morbi tempore multis calculis & puris & ſanguinis copia per urinas. Poſt mortem ren ſiniſter penitus conſumptus & marſupii inſtar cujusdam, membranoſus, ſinubus amplis, ſcirrhoſis tuberculis refertus illiusque ureter admodum dilatatus, inteſtini cujusdam inſtar deprehendebatur. Dexter vero ren tumidus in immenſum increverat, in quo per medium diſſecto calculus tantæ molis excreverat, ut ſinum ſecundum omnino adimpleverit, illiusque ductus ramis undique effarciens & obturans, ureterum, principium obſtruxit, qui forma ſua cervinum caput cum cornubus & collo appoſite exprimebat, illisque locis, ubi ſubſtantiæ renum minime adnatus erat, incruſtatus ſplendebat, ex contactu bilis flaveſcens. Hæreditarium autem malum hoc illi fuiſſe oſtendit, quod ex matre illius, iisdem affectibus mortua calculus quoque ex utroque rene fuerat exſectus. vid. etiam Felic. Plater. *Obſervat. Lib. II. pag. m.467.* Sequentem Obſervationem refert Benjamin Scharffius *M. N. C. Dec. II. An.10.*

Obſ.

Obſ. 21. p. 57. Perſona Illuſtris ſexus maſculini quindecim annorum, calculoſis nata parentibus, a teneris de calculi conquerebatur doloribus, atque ſæpiſſime crudeliſſimis vexabatur cruciatibus. In cujus poſt mortem aperti corpore veſica ſatis durum & magnum calculum, uncias tres cum dimidia pendentem in ſe continebat. Et ex ejusdem fratris ſeptimo ætatis anno defuncti veſica calculus uncias duas pendens fuit extractus. Sæpe etiam juxta Joh. Bapt. van Helmont. *Oper. fol. m. 477. de Infant. Nutrit.* inuritur puero a cunis propenſio morboſa nutricum, non ſecus ac ſi hæreditaria eſſet. Certe character in vitam deplorabilis. Novi quendam Præſidem, pergit ibidem Helmontius, ſexta ſanaque prole beatum, cui ſeptima (quod nutrice aleretur renum calculo obnoxia) luctuoſa lithiaſi anno ætatis ſuæ decimo tertio, tertia ſectione ſub lithotomo vitam finivit. De calculo hæreditario ita ſcribit Hermannus Grube *de Transplantat. Morbor. Sect. II. cap. 1. p. 44. ſeq.* Terret me beati parentis mei exemplum, quem calculi doloribus, quibus ab anno ætatis ſexto & vigeſimo ad ultimum vitæ ſuæ actum, id eſt, ad annum, quem vivendo expleverat, quinquageſimum laboravit, exquiſitiſſimis eximere neutiquam potuerunt ſeminaria in quinque liberis relicta, quæ cœperunt quoque in ſingulis tenellis adhuc pullulare, poſt numine propitio in herba, quod ajunt oppreſſa.

CAPUT II.

De Calculorum Locis Natalibus & Viis.

§. 1.

Lapidum autem & calculorum in micro- æque ac macrocoſmo variæ tam loci, magnitudinis, numeri, co- *Calculorum domicilium.*

loris, figuræ, quam ſubſtantiæ & ſuperficiei, hinc inde obſervantur differentiæ, de quibus in ſequentibus agemus; & primo quidem ratione loci plerique equidem calculi in renibus atque veſica reperiuntur, interim tamen in omnibus etiam humani corporis partibus calculos generari plurima teſtantur exempla, ut non immerito Dominico Panarolo *Obſerv. medic. Pentecoſt. II. Obſ. 34. p. 51.* Natura humana Latomias ſuas habere videatur, atque Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 39. p. 1082.* ita quærat: quæ corporis humani pars eſt? qui angulus? qui non calculorum & lapidum generationi favet. De calculoſa Diatheſi aliquando Gmelinus ſequentem Diſcurſum propoſuit: Principium nempe lithopoieticum non tam in ſolis renibus & veſica, quam tota maſſa ſanguinea ac humorali deliteſcere, & cumprimis vitio ſtomachi primævæ digeſtionis deberi. Gaſtricum nempe liquorem per inertiam e cibis magna glutinoſum procudere, nec atomos lapideas cum cibis devoratas rite ſolvere, & per inteſtina juxta cum excrementis evacuare: ſed implicatas glutini ſuo primum in inteſtina, tunc meſenterium, poſtremo viſcerum omnium receſſus derivare, ubi denique cavitates commodas nactæ, accedente cumprimis coagulatore ſalino, in calculos compingantur. Quæ cavitates cum in renibus & veſica reperiantur commodiſſimæ, ſerum inſuper ſalſum ibi hoſpitetur, deſit humorum alibi coagula magis impediens motus impetuoſus, adſit contra quies huic negotio magis favens, hinc & ibi utplurimum calculos nidulari, quamvis id alibi locorum, cæteris nempe paribus, fieri poſſit, adeo, ut nullum propemodum corporis viſcus, immo ipſamet vaſa & metropolis animæ Carteſiana, glandula nimirum pinealis, a calculorum hoſpitio immunia reperta ſint. Quam diſcurſum communicat Roſinus Lentilius *Paralelism. ad An. 6. & 7.*

& 7. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 135. Id quod exempla ex variis Autoribus collecta in ſequentibus confirmant.

§. 2.

In capite & quidem in cerebro viri, poſt continuum capitis cruciatum, mori eſu contractum, defuncti aperto lapidem magnitudine & forma mori, reperit Johannes Pfeil, vid. Joh. Kentmann. *de Calcul. in Corpor. human. Obſ. 1. p. 1. ſeq.* Calculum colore albicantem & grana tredecim pendentem in adoleſcentis quatuordecim annorum cerebri ventriculo dextro reperit Theodorus Kerckringius. vid. *ejusd. Spicileg. anat. Obſ. 35. pag. m. 76. ſeq.* In Franciſci Redi, celeberrimi Viri, cerebro calculos fuiſſe repertos, apud Vitum Riedlinum *in Millenar. Curar. medicar. Obſ. 103. p. m. 60.* legimus. Prope baſin cerebri lapidem compreſſum thaleri nummi inſtar, ſed non omnino rotundum obſervavit Medicus Auſtriacus, nomine Garnerus, v. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. I. Sect. 20. fol. 347.* Obſervationem de lapide in cerebro concreto in generoſo decenni, ex familia Hatzfeldiorum annotavit Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſ. Chirurg. Cent. V. Obſ. 1. fol. m. 380.* Calculi in cerebro gallinæ reperti meminit Johannes Jacobus Harderus *Exercit. anat. med. 26. p. 146.* nuper, inquiens, ab amico exhibitus mihi fuit lapillus haud parvus ſilicis figura & duritie, quem in cerebro gallinæ reperit: per quos meatus commode hic eo delatus ſit, decidere difficile eſt. Cui Hardero Johannes Conradus Peierus *l. a. Exercit. 27.* eadem pagina ita reſpondet: a gallinis lapilli crebro devorantur, quos ad comminuendam eſcam dentium loco adhibent in ventriculo carnoſo & molæ ſimili. Calculum ergo, quem in cerebro gallinæ repertum fuiſſe aſſeris, aliunde illatum potius, quam in capite genitum exiſtimo, etiamſi tranſitus a ventriculo & inteſtinis ſit perquam dif-

In cerebro.

ficilis mihique impenetrabilis. De calculo in cerebro damæ ſequentem obſervationem refert Chriſtianus Menzelius *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 33. p. 76.* Exhibuit mihi vir arte pharmacevtica præſtantiſſimus, Johannes Heinricus Tonnenbinderus, calculum in cerebro damæ repertum, quem ante ſex vel ſeptem annos ex Ungaria miſerat Berolinum David Spielenberg, Medicus Ungarus: Hic calculus fabam majorem craſſitie, magnitudine & figura refert: Totus ille candicat & tenui cuticula eſt veſtitus, altera extremitate parum aſper, parvis nempe tuberculis obſitus: intus ſubſtantia penitus eſt alba inſtar cretæ aut gypſi, cujus naturam habere videtur: Cæterum calculo quovis levior, nec pondus unius drachmæ ſuperans. Vero igitur ſimile eſt, pergit Menzelius, damam illam fuiſſe enutritam herbis in ſcopulis calceis gypſeisve naſcentibus, unde levior gypſeæ ſubſtantiæ pars cum ſanguine & humoribus nutrientibus ad cerebrum delata & in aliqua particula meningis collecta vel in calculum coagulata fuit, vel cum inflammatione quadam ulcuſculum tunica quadam ſeptum effecit, quod temporis ſucceſſu in tophaceam gypſeamve materiam ſeceſſit. Et *loco allegato Obſ. 131. p. 332.* Güntherus Chriſtophorus Schelhammerus in viri cujusdam, dum viveret, robuſtiſſimi pariter ac audaciſſimi capite ſeu cerebro ad falcis dextram partem lapidem deprehendit, parvum quidem mole, piſum enim non æquabat, ſed ſilicem duritie & candore æmulantem, depreſſiorem ubi adhærebat, rotundiorem verſus cerebrum. In depreſſiori latere duo erant ſigna, punctula rubentia, ac ſi venæ & arteriæ, cum nondum lapis eſſet, huc in nutritionem inſertæ veſtigia referrent.

§. 3.

In glandula pineali. Calculos vel arenulas in glandula pineali reperiri, varii teſtantur Medici, ſiquidem ſecundum obſervationem Regneri

Regneri de Graaf, Eliſabetha Joppen per viginti quinque annos intolerabili capitis dolore excruciabatur, qui dum primo alimenta maſticare inciperet, vel aura tempeſtuoſa adveniret, ita exacerbabatur, præſertim in latere dextro, ut lacrimæ, fontium ad inſtar, ex oculis erumperent, ac ejulatu domeſticos & vicinos defatigaret. Aperto vero poſt mortem ejus cranio invenerunt Medici præſentes 1) ſub pia meninge magnam quantitatem aquæ limpidæ, 2) ventriculos cerebri ſimili liquore repletos, 3) in glandula pineali plurimas arenulas aſperas, quarum aliquæ calculi nomen propter magnitudinem merebantur, 4) arterias carotides ita induratas, ut externa facie calculoſas, ſive in lapideam ſubſtantiam mutatas eas judicarent; ſed illis apertis obſervarunt, earum lateribus materiam calloſo-lapideam accreviſſe &c. v. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 127. p. m. 285. ſeq.* In Anatome corporis virilis ab Henrico Meibomio Anno 1667. Helmſtadii inſtituta, inter alia inſolita, glandula pinealis cineritii coloris, figuræ irregularis, calculis fuit referta, ſecundum Juſti Schraderi *Obſ. anat. med. Decad. 1. Obſ. 3. p. m. 186.* Tres lapillos in glandula pineali reperit Olaus Wormius. vid. Thom. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. III. Ep. 85. p. 362.* In vetulæ cujusdam glandula pineali arenulas grandiores in Noſocomio Leidenſi obſervavit Johannes Henricus Brechtfeld in Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 14. p. 34.* Duos calculos rotundæ fere figuræ in glandula pineali deprehendit Jobus a Meekren *Obſerv. med. chir. cap. 58. p. m. 269.* Sequentia de hac glandula ſcribit Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. III. c. 6. fol. m. 353.* in hac glandula, ſcribit Sylvius, ſe diverſis vicibus arenulas, & ſemel exiguum ſubrotundum calculum, piſi partem quartam æquantem, inveniſſe: qualem etiam calculum, plus quam dimidium glandulæ occupantem, ſe, adſtantibus Studioſis, in ea reperiſſe, eundemque celeber-

rimo Anatomico, Johanni van Horne, in admirandorum theſauro ſuo conſervandum, tradidiſſe, ſcribit Florentius Schuyl. Et Regnerus de Graaf de calculis in ea glandula a ſe repertis ita ſcribit: in omnibus corporis glandulis calculos generari credimus, præſertim tamen in glandula pineali, quia in illa plus quam vigeſies, in hominibus lento morbo, vel violenta morte extinctis, calculos obſervavimus; quod tamen longe frequentius in Gallia, quam in noſtra Batavia occurrit; videatur ipſius Graafii *Tr. de Succ. pancreat. cap. 7. Oper. p. m. 587.* De lapillo in glandula pineali hanc obſervationem recenſet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. rar. Cent. I. Obſ. 12. pag. 53.* cum cadaver cujusdam mulieris ante annos aliquot hic Hagæ in Theatro Anatomico, a fratre meo Johanne Stalpartio van der Wiel, Medico, aperiretur, vidit in glandula pineali lapillum magnitudine grani cannabini. Alii etiam in vaſis ſpermaticis viſebantur. Et *pag. ſeq.* inquit: ipſemet vidi nuper inter rariora clariſſimi Anthonii Nuck, Anatomiam Hagæ, cum laude publice profitentis, quatuordecim inæquales lapillos, quos ſe Lugduni Batavorum e glandula pineali cujusdam cadaveris extraxiſſe ac omnibus oſtendiſſe ajebat. v. etiam ipſius Nuckii *Adenograph. pag. 151.* In Virgine ſedecim annorum in cerebro glandulam pinealem quaſi duplicatam & in ea duos calculos figuræ cubi minoris obſervaſſe ſe ſcribit Benjaminus Benedictus Petermannus *Obſ. medic. Decad. 1. Obſ. 10. p. 16.* vid. alium exemplum *ibidem Obſ. 1. p. 1.* In cadavere virili publice diſſecto An. 1686. Glandulam pinealem in cerebro totam lapillis viridibus repletam ſe vidiſſe annotavit Juſtus Veſti *Obſ. med. rar. Decad. I. Obſ. 1. Colleg. Chym. Caſp. Cramer. p. 126.* Et *pag. ſeqv.* in duobus etiam aliis ſubjectis humanis ſexus virilis glandulam commemoratam pinealem lapillis refertam ſe olim obſervaſſe annectit. Inquit etiam Paulus

Bar-

Barbette *Anatom. pract. Lib. II. cap. 2. p. m. 96.* non raro calculos duos, aut tres, imo quatuor aliquando, Sylvius & ego in glandula pineali invenimus, quos domi adhuc reſervamus. Idem confirmat etiam Gerardus Blaſius *Comment. in Joh. Vesling. Syntagm. anatom. Cap. 14. p. m. 206.* in glandula pineali, inquiens, lapides aliquot in diſſecto cadavere invenit Paulus Barbette Practicus Amſtelodamenſis expertiſſimus, præſente Medico Clariſſimo Matthæo Slado. In cerebro ægri, præternaturali capitis figura dotati, & ex continua demum cephalalgia denati, pinealem glandulam totam petroſam, magnitudine nucem avellanam adæquantem annotaſſe Berlingerium Gipſeum, Profeſſorem quondam Bononienſem, ex Johanne Baptiſta Contulo recenſent *Acta Erudit. Lipſ. 1699. Menſ. Sept. p. 396.*

§. 4.

Nonnunquam etiam extra cerebrum inter ejusdem meninges calculi deprehenduntur, quale exemplum de cephalalgia a lapillo intra duram piamque matrem recenſet Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 48. p. 76.* Paſtor quidam, inquiens, ætatis conſiſtentis, eximius hypochondriacus, atrociſſimos capitis dolores, & quidem continuo, inque ſiniſtro potiſſimum latere ultra biennium patiebatur, quos Medicorum cura vel ſaltim quadantenus placare fruſtra planeque irrito conatu tentavit. Aperto poſt obitum ejus capite, inter duram piamque matrem in regione ſiniſtri cerebri ventriculi, duriſſimum ſcrupulum grani hordeacei magnitudine reperimus, ipſamque calvariam ibidem loci enormiter extenuatam deprehendimus, hincque cauſam hujus immanis capitis doloris non vana ſuſpicione deduximus. vid. etiam Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Part. 1. Lib. 1. Sect. 5. cap. 20. fol. 73.* Sub craſſa meninge induratam quandam

In meningibus.

materiam & lapideam inſtar rupis cujusdam, inæqualem & aſperam, aculeis multis & veluti cati unguibus, conchyliis variisque figuris diſtinctam & variegatam ipſique craſſæ meningi firmiter adhæreſcentem, in nobiliſſima fœmina dolore capitis acutiſſimo diu conflictata obſervavit Iſaacus Cattierius *Obſ. XV. pag 48. ſeq.* Lapidem ex materia gypſea concretum & membrana incluſum in poſteriore parte capitis ſub ſutura lambdoidea, inter duram & piam matrem, duræque matri adeo adhærentem, ut non niſi violenter avelli poſſet, ſe inveniſſe ſcribit Guilhelmus Fabricius, Hildanus, *Obſerv. Chirurg. Cent. I. Obſ. 11. fol. m. 20.* De ſpina tricipiti lapidea inter duram & piam meningem reperta ad Antonium Vitagliarum ita ſcribit Dominicus Panarolus *Pentecoſt. V. Obſ. 14. pag. 150.* Philippus de Arantio Cuſentinus ſuſpenſus in platea pontis hic Romæ die 9. Februarii hujus anni 1650. qui quotidie tabaco, tum in fumo, tum in pulvere utebatur, a me in Almæ Urbis Gymnaſio publice ſectus, ſpinam quandam oſſeam, ſeu potius lapideam, tricipitem, Neptuni fuſcinam repræſentantem habebat inter duram & piam meningem, in parte ſiniſtra prope falcem, e directo interſectionis commiſſurarum coronalis & ſagittalis, ſed piæ ita fortiter adhærebat, ut ſine laceratione ipſius avelli non poſſet; quinimmo acuminibus in cerebri ſubſtantiam ingreſſa conſpiciebatur, vid. inſuper Conrad. Victor. Schneider. *de Catarrh. Lib. III. cap. 7. p. m. 235.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. p. 1086.* Guil. Fabric. Hild. *l. a. Cent. V. Obſ. 1. fol. 380.* quo loco lapides non in qualibet cerebri parte ſine ingenti periculo generari poſſe arbitratur, ſed ſolummodo in ſinu iſto duræ meningis ſuperiori, qui Veſalio aliisque Anatomicis eſt tertius, & a nonnullis torcular appellatur &c. Lapidis etiam ſub cranio reperti, minime tamen a cauſa interna orti meminit Petrus Borellus

lus *Hiſtoriar. medic. Cent. II. Obſerv. 61. p. 160.* mihi, inquiens, a perito chirurgo caſtrenſi relatum eſt, ſe quendam virum curaſſe, cui bellicum tormentum cranii portionem ademerat, cumque diu ab illo remedia admota vulneri fuiſſent, exivit inde tandem cum omnium admiratione, lapis magnitudine fabæ, qui ſub cranio diu delituerat, natura illum foras ejiciente. Fuerat autem a tormento bellico lapis ille huc intruſus, quodſi in alia parte corporis contigiſſet, potuiſſet, inſciis omnibus, carne tegi, & tandem poſt mortem in diſſectione cadaveris reperiri, tuncque omnes exiſtimaſſent, illum ibi genitum & non ab extrinſeco veniſſe. vid. etiam Joh. Schenck. *Obſ. Lib. 1. f. 1180. ſq.*

§. 5.

Calculi in fronte inſtar duri tumoris nati exſectique *In fronte.* meminit Thomas Fienus *Tract. Chir. IX. cap. 1. pag. m. 66.* huncque calculum non modo ex Fieno allegat Vitus Riedlinus, Filius, *Obſ. 4. p. m. 6. ſeq.* ſed ſimilem in ſorore ſua ſe obſervaſſe addit. Hæc ſcilicet diu tuberculo frontis minime dolente, nec quoque duro, faciem tamen deturpante laboravit, quod tandem ſubito dolere hincque ſuppurari incepit; hocque docta Chirurgi manu aperto calculus magnitudine piſum æquans, durus & inæqualis extractus fuit; quo exempto ulcereque conſolidato, nil amplius mali poſtea ſenſit. Non modo ſuper fronte & circa ſupercilia, ſed etiam in tota facie arenam minutiſſimam in perſona Per-Illuſtri ante mortem poſt febrem malignam obſervavit Marcus Gerbezius *Chronolog. Medic. Practic. An. I. §. 115. p. 98. ſeq.*

§. 6.

Ex angulo oculi, ægilope affecti, materiam gypſeam *In oculis.* copioſam ac deinceps duos calculos, quorum unusquis-

que granum ſeminis cannabis adæquabat, ſuperficiei inæqualis, coloris rubei, qualis corticis aurantii mali, eductos vidit D. Cesvin, in Nicol. Blegn. *Zodiac. An. I. Menſ. Sept. Obſ. 2. p. m. 140.* Sub oculo natum calculum cineritii coloris maximæque duritiei, qui non ſine dolore paullatim ſupra maxillam ſuperiorem deſcendens tandem per os excretus fuit, in muliere obſervavit Dominicus Panarolus *Obſ. med. Pentecoſt. I. Obſ. 38. p. 24.* Nobilis quidam diu nephriticis doloribus miſere excruciatus, tandem lapidem nephriticum appendit, & dies noctesque ita geſtavit. Elapſis aliquot paucis ſeptimanis cœperunt una cum urina egredi infinitæ arenulæ ac lapilli, quaſi confracti ſeu contuſi, quos ante lapidis appenſionem tantummodo integros, & quidem fabæ magnitudine nonniſi ingenti cum difficultate excernere interdum ſolebat; & hæ arenulæ non tantum ei per canales urinarios, verum etiam per utrumque oculorum, nec non per habitum totius corporis externum in magna abundantia expulſæ fuere. vid. Joh. Rudolph. Camerar. *Memorabil. Medicin. Centur. VIII. §. 35. p. 569.* quo loco etiam Mercatoris Lipſici meminit, qui affirmavit, cum aliquando, propter nephriticos dolores per quinque dies hunc lapidem geſtaſſet, tantam arenularum copiam per angulos oculorum ipſi expulſam fuiſſe, ut ob earundem ſalſedinem & acrimoniam uterque oculorum tanta rubedine fuerit affectus, non aliter ac ſi inflammatione quadam tentati fuiſſent. Cui quidem incommodo, ſi is diligenti oculorum ablutione quotidie occurriſſet, rem bene ſe habuiſſe; illa autem neglecta per ſomnum ſequentis noctis tantam arenarum multitudinem in oculis coacervatam fuiſſe, ut agglutinando palpebras impedimento fuerint, quo minus oculorum apertionem liberam & expeditam haberet, &c. Johanni Muys *Podalir. rediv. p. 22. ſeq.* ſtupendum videtur phænomenum, quod in Ephemeridibus

Gallicis

Gallicis exhibetur, nimirum arenam in oculos injectam eſſe, ex qua deinde a lacrymis in majorem molem adaucta repetitis vicibus provenerint lapilli non contemnendæ magnitudinis. Extat autem dicta Obſervatio lectu digniſſima *dans le Journal des Sçavans, Tom. VII. p.m. 138.* his verbis: Dans le Duché d'Albret une petite fille de village, agée de dix ans ſe jouant l'Eſté paſſé avec quelquels unes de ſes compagnes, receut dans les yeux une poignée de ſable, qu'une d'elles luy jetta. Elle s'en trouva fort incommodée pendant les premiers jours, & trois mois aprés elle reſſentit encore une plus forte douleur au grand angle de l'oeil gauche, ce qui l'obligea d'y porter la main & de preſſer même les endroits de cette partie. Cette compreſſion en fit ſortis deux on trois pierres dures & de la groſſeur d'un pois. Ceux qui furent temoins de la choſe, crûrent ſans beaucoup de reflexion, que ces pierres devoient eſtre quelques grains de ſable, qu'on luy avoit jetté; mais comme on luy en vit jetter de cette ſorte durant pluſieurs jours, ce prodige commença a faire du bruit. Une Dame de qualité, chez qui cette petite fille demeuroit, l'yant fuit enfermer dans une chambre pendant quelquel temps aprés l'avoir obſerva en toutes choſes, tira elle méme de l'oeil gauche de cet enfant quattre de ces larmes petrifiées, dont il y en eut une, qui ſe trouva de la groſſeur d'une feve dure comme un caillou, triangulaire, planche, & ayant quelque choſe de transparent. Monſieur d'Emmery a uſe des mêmes précautions pendant deux mois, qu'il l'a tenuë chez luy; Et Meſſieurs Scorbiac & van Elmont, ont eſté comme luy temoins oculaires de ce fait prodigieux. L'oeil de cette fille rend quelque fois jusqu'à quatre pierres en un jour. Ces dejections ſe font lórsqu'elle y penſe le moins, ſans qu'elle ait beaucoup de temps à s'y preparer; mais elle ſe plaint un peu aupara-

vant d'une douleur piquante, qui fait, qu'aprés la ſortie de la pierre l'œil demeure enflé, rouge & pleurant. De juvene ruſtico, qui una cum lacrymis puſillas arenulas excreverat, & quidem non ſine ſummo pruritu, inflammatione ac dolore oculorum. vid. Chriſt. Franc. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 14. p. 19.* ubi ſoli expoſitas & exſiccatas has arenulas rubicundas & ſalſi ſaporis fuiſſe αὐτόπτης confirmat. Juxta Gerard. Blaſ. *Obſerv. medic. Part. VI. Obſ. 16.* repertus fuit in ruſtici cujusdam glandula lacrymali, ad oculi angulum internum ſita calculus inæqualis valde totamque glandulam receptioni humiditatis ad nares deferendæ ineptam reddens. vid. etiam Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. I. Sect. 18. Obſ. 33. fol. m. 340.* De lacrymis petrefactis, pariter poſt arenæ manipulum in puellæ ruſticæ decennis oculos injectum, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gall. An. I. Menſ. Mart. Obſ. 8. p. 63.* item *April. Obſ. 13. p. 79. & Menſ. Jun. Obſ. 1. p. 97. ſeq.* de quibus in Capite primo *§. 37.* egimus. Humorem cryſtallinum gypſeum ſeu tartareum ex vivente oculo effodi & erui contuitum eſſe atque conſervare ait Carolus Drelincurtius *Prælud. anatom. pag. m. 61.* In oculi globi alba ſede tophulum minimum impactum acicula quidam ſibi eximi curavit, huncque Felici Platero oſtendit, cujus vide *Prax. Tom. III. p. 818.* In origine atque in ipſa nervorum opticorum ſubſtantia Illuſtris Dominæ de la Loupe repertus eſt lapis phaſeoli magnitudine, unde illico dolores capitis atroces exorti, poſtmodum febris ardens, cæcitas, imo mors ipſa, luminis extinctioni triduo poſt ſuccedens, referente Nicolao Blegny *l. a. Menſ. April. Obſ. 14. p. 81.* Et circa nervos opticos Virginis cœnobium ingreſſæ, in vita capitis dolore vexatæ pituita gypſea inventa eſt, teſte Nicolao Chesneau *Obſ. med. Lib. I. p. m. 14.* vid. etiam *le Journal de Sçavans l. a. p. 142.* Humorem cryſtallinum induratum & lapillos faſcina-

in glandula lacrymali.

In nervis opticis.

ſcinatione magica in ſiniſtro oculo productus, & quidem illum ex Nicolao Stenone, hos autem ex Fried. Lachmundo allegat Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 48. pag. 1089. ſeq.*

§. 7.

Ex palpebræ ora, ubi hordeolorum collectiones fiunt, lapidem tritico figura, colore & magnitudine parem, duritie ſuperiorem, eximi ſe juſſiſſe refert Julius Cæſar Scaliger *de Subtilitat. Exercitat. 108. n. 3. p. m. 396.* Nobilis quidam in ſupercilio aſperitatem quandam, milii grani inſtar, ſentiebat, quæ in tumorem excreſcebat, hocque aperto tophus albus, durus, piſi magnitudine prodibat. vid. Felic. Plater. *Obſ. Lib. III. p. m. 707. ſeq.* Vidit etiam Dominicus Panarolus in muliere calculum ſub oculo natum, qui non ſine dolore paulatim ſupra maxillam ſuperiorem deſcendens tandem per os excretus fuit: Lapis vero cineritii coloris maximam duritiem habebat. v. Panarol. *Pentecoſt. I. Obſ. 38. pag. 24.* *In Palpebra.* *In ſupercilio.*

§. 8.

Ex naribus Virgo quædam nobilis Danica, referente Thoma Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 33. p. 47.* calculos emunxit forma & magnitudine dactylorum. Ex capite prodiiſſe hos calculos, id fuit indicium, quod hanc excretionem plerumque dolores capitis præceſſerint. De calculo nucis moſchatæ minoris magnitudine poſt continuum capitis dolorem e naribus per palatum rejecto, vid. Gregor. Horſt. *Oper. med. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 240.* Calculus avellanam nucem æquans, formæ tamen magis rotundæ, oſſi cribriformi quodammodo adnatus, ex naſo fœminæ ſexaginta annorum a chirurgo extrahebatur, teſte Gabriele Claudero *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 79. pag. 176.* quo loco addit, in utroque latere calculum quaſi alatum fuiſſe vel lata præditum excreſcentia, quæ tantam præ ſe *Ex naribus.*

N 3 tulit

tulit duritiem, ut penetrabili mallei confringentis efficaciæ vix obediret. Calculum piſi magnitudine album, friabilem, emunctione excretum ſe vidiſſe ſcribit Felix Platerus. *Prax, Tom. III. cap: 15. p. 817.* Virgo quædam de intenſiſſimis capitis doloribus, præcipue in fronte intra oculos ad os cribriforme diu conquerens, poſt errhinum nec minimum ſpiritus per nares attrahere valebat, & quia dolor nunc totum naſum occupabat, aperto ore ſtare cogebatur, tandem repetito errhino, procidebat calculus, magnitudine piſi, oblongus, quem intra bihorium duo ſimiles, & unus medio minor ſequebatur, hosque calculos per os cribriforme tranſiiſſe credit Johannes Fridericus Rhenn. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 46. pag. 100.* Aliquot etiam calculorum ex naribus virginis, obſtructione atque fœtore narium laborantis, extractorum meminit Vitus Riedlinus *l. a. An. 9. & 10. Obſ. 145. p. 268. ſeq.* Narium ſordes ſeu mucum in ſaxeam fere duritiem concretum in Illuſtri Anglo obſervavit Henricus ab Heer *Obſ. 28. p. m. 240.*

§. 9.

In Aure. Ex aure ſiniſtra poſt hæmicraniam ejusdem lateris vehementiſſimam lapillos acutos cum pure & ſanguine prodeuntes exemit vir quidam religioſus, qui a multo tempore nephritide laborans plures calculos varie formatos cum lotio reddiderat, annotante Carolo Joſepho Müllero *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 162. p. 326.* Arenulas cum cerumine ex aure dextra poſt cephalalgiam ejusdem lateris circa os petroſum ſibi extraxiſſe uxorem ſuam refert Thomas Bartholinus *Actor. Hafnienſ. Vol. 1. Obſ. 45. p. 82.* quo loco ita pergit: Unde provenerint hæ arenulæ ignorare cogor. Id ſcio, calculos in quavis corporis parte concreſcere. Ex oſſe petroſo nihil abraſum. Deſiit enim iſtius partis dolor, quem ante experta eſt: Ex cerumine a calore,

qui

qui caput frequenter vexat, indurato arenulas enatas credere poſſumns, cum non raro durius illud ſiccumque excrementum extraxerim. Civem etiam Chemnicenſem, Georgium Horrezky, βαρήκοον negligentem ceruminis expurgatorem, forte fortuna calculum, e cerumine compactum ex aure extraxiſſe, piſi forma & magnitudine, & maximam partem ante obitum auditum recuperaſſe, teſtatur Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 50. p. 1090. ſeq.* certo ſtatuens id rariſſime contingere ac ſolum in iis, qui negligentia magna ducti expurgationi harum ſordium operam dare noluerunt. Si enim ex flava bile in cyſtide fellis craſſefacta calculi generantur, cur ab eadem materia non fiat in auribus. An vero ejusmodi in cerumine repertæ arenulæ ſemper & unice ex eodem per inſpiſſationem & indurationem generentur, vel annon etiam hominum, tempore procellæ vel turbinis, iter facientium, vel ſub dio dormientium, auribus arenulæ minores vel majores illabi atque cerumini impelli atque miſceri poſſint, mihi non adeo dubium videtur, quapropter ejusmodi lapilli probe eſſent examinandi, an cum calculis in cyſtide fellea ſæpiſſime reperiundis ratione coloris, conſiſtentiæ & ſaporis, de quibus paulo infra agemus, conveniant.

§. 10.

De tumore juxta aures, ſeu Parotide, e qua calculi exempti fuerunt, obſervationem narrat Felix Platerus *Obſ. med. Lib. III. p. m. 707.* Nobilis quidam Burgundus puer tumorem juxta aurem, ovi magni magnitudine, jamdiu habebat, in ambitu durum, inæqualem, in medio mollem, ubi preſſus, cedebat, ex quo materiam quandam ineſſe deprehendi. Poſt emollientia adhibita ſponte ſe aperuit tumor, purulentamque & ſpiſſam admodum materiam copioſe tota ſeptimana, reddidit multumque ſubſedit. Reſtabat *In Parotide.*

bat adhuc in humiliore ſede exigua durities, cujus cauſa cum chirurgi maturantia adhiberent tentaque immiſſa ulcus apertum ſervarent, tandem tentæ fundo, cum extraheretur, ſabuloſa materia penitusque terrea, grani milii majoris inſtar adhærens, apparuit, poſteaque plus quam triginta ejusmodi grana terrea, ejusdem magnitudinis, aliquando etiam majora prodierunt, ſicque repurgato ulcere ceſſanteque duritie, ulcus conſolidatum fuit.

§. 11.

In Labio. In labio cancroſo repertorum calculorum mentionem facit Gerardus Blaſius *Obſerv. med. Part. VI. Obſ. 15. p. m. 82.* inquiens, in Noſocomio Lugduno Batavo Anno 1647. Chirurgus, me aliisque ſpectantibus exſtirpabat labii inferioris partem ſat notabilem cancroſam, bono cum ſucceſſu, licet jam per aliquot annos vitio hoc laboraverit æger. In ablata parte curioſitatis gratia, quo interior conſtitutio magis innoteſceret, diſſecta reperiebantur calculi duo, durítie & aſperitate notabiles, coloris ſubnigricantis.

§. 12.

In Palato. Non ſolum in renibus, & urinaria felleaque veſica lapides procreari, verum etiam alibi, puta palato, ſibi videre licuiſſe ſcribit Cecilius Folius ad Thomam Bartholinum, cujus vid. *Epiſt. medic. Cent. I. Epiſt. 62. p. 255.* De calculo per palatum rejecto hanc obſervationem Caſparo Hoffmanno communicat Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſ. Chir. Cent. V. Obſ. 1. fol. m. 379.* his verbis: Anna Rietmannin, annos nata quadraginta quinque circiter, continuo capitis dolore admodum affligebatur. Ea omnibus prius tentatis remediis, cum dolor ſubinde acerbiſſime rediret, ſuaſu Medici acidulas petiit; indicavit enim ex ventriculi imbecillioris, continuas cruditates coacervantis, conſenſu, eundem

eundem dolorem promanare. Reverſa ex acidulis omni poſt tempore optime ſeſe habuit, demum vero noctu poſt primum ſomnum, motum quendam, veluti rei viventis, circa naſi radicem, vel paulo inferius evidenter animadvertit. Obſtupuit admodum, dubia, quid hoc rei eſſet, inque lecto erecta eventum anxie expectavit: Et ſtatim per palatum lapis ſeſe ſponte ſua in os promovit, durus, aſper, ſatis magnus, ex cinereo flaveſcens, admodum fœtidus, idque ſine omni dolore, moleſtia, ſanguine, aliisque ſymptomatibus. Hunc calculum, magnitudine nucis caſtaneæ minoris, extra calvariam genitum eſſe, ac forſan circa cuneiformis oſſis foramina hæſiſſe, ſtatuit Jacobus Eckoldus in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 240.*

§. 13.

Hiſtoriam de calculo in gutture refert Dionìſius Pomaret, inquiens: Sacerdos ſexagenarius, ſanguineo temperamento præditus, gutturis inflammatione frequenter corripiebatur, præcipue quoties canendo acrius contenderet. In poſtrema invaſione, cum partem affectam attentius introſpicerem, corpus quoddam extraneum gutturi infixum conſpicio juxta finem mandibulæ dextræ inferioris, globulum ſclopeti referens, quod a me facili negotio extractum eſt, & diligenter ablutum, nihil aliud fuit, quam lapis durus & compactus, ad pyri ſylveſtris formam compoſitus, qui cauda ſua muſculis maſſeteribus infixus erat. vid. Lazar. River. *Obſ. commun. p. m. 353.* De tuberculo lapidea denſitate circa vaſa jugularia, vid. Marc. Aurel. Severin. *de Abſceſſ. p. 259.* De lapide in maxilla dextra ita ſcribit Johannes Schenckius *Obſ. medic. Lib. I. fol. m. 196.* Vidua quædam ſexagenaria habuit apoſtema in maxilla dextra. Cumque tonſor illud aperiret in parte interiore ſuppurata effluxit copioſa ſanies poſt duos aut tres dies: cum aliquando

In Gutture. *In maxilla.*

fortius comprimeret chirurgus apoſtema, proſiliit lapis magnitudine & forma grani tritici & curata eſt. Alium calculum album, rugoſum & admodum durum ex tumore circa uxoris cujusdam maxillam dextram inferiorem, de nocte ſuppurato prodeuntem, & quatuor circiter ad quinque drachmas pendentem obſervavit Stephanus Blancardus, vid. ejusdem *Collectan. Med. Phyſic. Cent. V. Part. II. Obſ. 47. p. 79.* Sic civis quidam Mantuanus toto juventutis ſuæ tempore calculo veſicæ laboravit, adeo ut quinquageſimo ætatis ſuæ anno Lithotomiam paſſus ſit, & ejus veſica calculus magnitudine ovi columbini extractus fuerit. Poſtmodum vero in dextra maxilla dolorem ſentire cœpit, cum tumore in mandibula exterius apparente, quo aperto extractus fuit lapillus granum fabæ æmulans, durus ac rotundus inæqualiter, referente Joſepho Lanzono *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. Obſ. 66. p. 136.*

§. 14.

In tonſillis. Canonicum quendam Ratiſponenſem, nobilem de Sparneck, qui ob lapidem in tonſillarum faucium abſceſſu concretum continua afflictus fuit tuſſi, eo autem emollito calculum gypſeum, excrevit, ſimillimum tophis, qui intra digitorum articulos chiragra laborantibus accreſcere ſolent, curaſſe Johannem Langium refert Johannes Kentmannus *de Calcul. p. m. 3.* Ipſe autem Langius hanc Obſervationem *Epiſtol. medic. Lib. II. Epiſt. 57. pag. m. 757.* recenſet. Homini cuidam calculus, nucem juglandem maximam æquans, juxta alteram tonſillarum genitus erat, adeo ut oeſophagi oſtium fere omnino occluderet, quem tamen chirurgus, nomine Pelerinus extraxit, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. IV. & V. Menſ. Februar. Obſ. 4. p. m. 30.*

§. 15.

§. 15.

Lapidem ſub lingua annotavit Johannes Kentmannus *l. a.* Torgæ ſcilicet in Aula Principis Johannis Friderici vera laude Religionis Illuſtriſſimi, Tibicen erat, quo buccinatore nonnunquam Princeps utebatur, in eo ſtudio cum ingenio nec ſine induſtria verſatus, Johannem Steidelium vocabant. Huic tuberculum ſub lingua ſurgit duriuſculum & diuturnum, ſed doloris prorſus expers: quod ipſe & quos conſulebat, ex flatu vehementi ſic intumuiſſe opinabantur. Sed cum paulatim accreſceret, & buccinanti impedimento eſſe cœpiſſet, a chirurgis conſilium petit, qui malagmatis foris appoſitis, intus autem gargariſationibus tumore emollito, ſaniem tuberculum illud facere cogunt: quod dum ictu aperiretur exprimereturque juxta pus durus quidam lapillus exilit, ut bina piſa magnus teresque cum arefacta atque excorticata lauri bacca ſimilitudinem habens, colore ſpadiceus & juſtæ gravitatis. Lapillum nuclei dactylari forma præditum fœminæ cuidam Patavinæ ex angulo linguæ ſubdito, ſecundum ductum linguæ locatum extraxit Johannes Georgius Würſungius, vid. Marc. Aurel. Severin. *de Abſceſſ. Lib. IV. cap. 28. p. 259.* vid. etiam *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Analect. p. 299.* ubi dictum calculum reperies depictum. Lapides ſub lingua generatos Patavii exemptos meminit Thomas Bartholinus *Anatom. reform. Lib. III. cap. 13. p. m. 553.* Calculum etiam oblongum ſub lingua poſt magnos & diuturnos cruciatus prodire vidit Felix Platerus *Prax. Tom. II. cap. 7. p. m. 284.* Sub lingua in baſi maxillæ inferioris duos lapides, quorum unus nucem juglandem æquavit, alter vero eam ſuperavit, extractos legimus in Petr. Borell. *Obſ. medic. Cent. II. Obſ. 17. p. m. 122.* Lapis coloris albicantis, inæqualis, magnitudine amygdali, ſaccharo incruſtati, figuræ quoque non multum diſcrepantis, ex abſceſſu ſub lingua *Sub Lingua.*

eductus fuit. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. I. Jun. Obſ. 7. p. 99.* Ejusmodi lapillos ſublinguales bis quoque obſervare licuit Gerardo Blaſio, & quidem unicum in chirurgo quodam, poſtquam tuberculo ſatis notabili eoque dolorifico per aliquot dies laboraverat, rupto eo, ſe exhibentem; plurimos vero ſucceſſive ſe manifeſtantes, ſicut in locum ejus, quem extraxit chirurgus illico alius ſuccederet. Omnes albicantes erant, inæquales, teretes, poroſi admodum, juxta Gerard. Blaſ. *Obſerv. medic. Part. VI. Obſ. 14. p. m. 81.* ubi dictus Autor de ipſorum ortu dubitans determinare non vult, an hi calculi in ductu ſalivali, an vero in glandularum poris hæſerint, quamvis priori magis accedat. Viro cuidam a tumore inſigni ſub lingua loquela ita impediebatur, ut per triennium animi ſenſa exprimenda tabulæ inſcribere neceſſe haberet. Tumore autem hoc aperto atque ſimul calculo magnitudine caſtaneæ extracto, loquela redibat. Præter hunc calculum alius adhuc amygdali magnitudine circa linguæ radicem reſtabat, quem pariter chirurgus extrahebat. vid. Henr. a Roonhuyſ. *Obſ. 29. p. m. 125. ſeq.* Calculum ſub lingua prognatum atque Dantiſci feliciter exciſum communicat atque depingit Simon Schultzius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 1. pag. 1.* Et *pag.* 2. in ſcholio ex Actis Anglicanis aliud extat exemplum raræ obſervationis, de calculo ſubalbido adeoque duro, ut forcipibus tractari poſſet. Levis fuit calculus reſpectu ſuæ magnitudinis, pendens ſeptem grana circiter, ac ſimilis fabis, quas equinas vocant. In fœmina lapillum inſtar nucis avellanæ ſub lingua prorumpentem annotavit Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 144. p. 320.* Olivæ majoris magnitudine calculum ex tumore ſub lingua extractum in Mercatore Geneventi obſervavit Emanuel Kœnig v. *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 116. p. 216.* ubi etiam plura exempla recenſet. De alio calculo, nucleum

olivæ

olivæ ſuperante, ex ſervi lingua prodeunte vid. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. I. & II. App. p. 197.* Fabam minorem æquans calculus ſublingualis, cæteraque exacte cum illis, qui per veſicam excernuntur conveniens a chirurgo extractus legitur *ibid. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 242. p. 573.* Item calculum ſubter lingua proſilientem cum pluribus minoribus ſubſequentibus obſervavit Roſinus Lentilius *ibidem Append. pag. 91.* videatur inſuper Jo. Guilh. Pauli *Annotat. in Joh. van Horne Microtechn. pag. m. 385.* Steph. Blancard. *Collect. med. phyſic. Cent. I. Obſ. 60. p. 79.* Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Part. I. fol. 303.* Et *Polyalth. Vol. I. Lib. 2. fol. 1076.* Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. I. Hiſt. 71. p. m. 106.* *Il Giornal de' Letterati dell' Anno 1686. p. 33.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 51. pag. 1091.* Petr. Foreſt. *Obſ. medic. Lib. XIV. Obſ. 26. fol. m. 127. & Lib. XXIV. Obſ. 18. fol. 461.* Matth. Unzer. *de Nephrit. Lib. I. Cap. 5. p. m. 25.* Vir quidam quadragenarius graves & frequentes in fauces & tonſillas fluxiones patiebatur. Tandem animadverſum eſt, lapillum ſub lingua concretum fuiſſe, qui facile extractus eſt, ægerque ab eo tempore fluxionibus prædictis vexatus non fuit. vid. Obſ. communic. a Petr. Eſtanac in River. *Obſerv. p. 348. Obſ. 5.* vid. inſuper Franc. Tidicæi *Microcoſm. Tr. VI. p. m. 417.* Steph. Blancard. *Chirurg. Lib. 3. Cap. 10. p. m. 245.* Vidit etiam Avenzoar lapidem, generatum ſub lingua cujusdam viri, prohibentem ei locutionem, & remoto lapide, habuit vir loquelam v. Schneid. *de Catarrh. Lib. III. cap. 7. pag. 235.* Zacutus Luſit. *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. 1. Hiſt. 70. fol. 122.* Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. I. fol. m. 191.* Dan. Sennert. *Inſtitut. Medic. Lib. II. Part. 2. cap. 9. p. 252.* Sub lingua cujusdam heroinæ natum & inde evulſum inſtar ſtrobili calculum ſe conſpicatum eſſe refert Hieronymus Montuus *Anaſcev. Morbor. Lib. IV. cap. 1. p. m. 410.* Calculum tophaceum ſub lingua

O 3 ortum

ortum & a chirurgo exemptum annotavit Felix Platerus *Obſ. med. Lib. II. p. m. 395.* Inquit etiam Stephanus Blancardus, *Chirurg. Lib. III. cap. 10. p. 245.* ſe Lewardiæ cuidam lapillum e Batrachio linguæ eduxiſſe.

§. 16.

In Linguæ ſubſtantia.

In ipſa etiam linguæ ſubſtantia ſæpius calculos, ſeu induratas ejusmodi particulas, quæ arenulas calculosve referrent, concreto ſali non raro ſimiles ſibi videre contigiſſe ſemelque etiam ſat magnum calculum ſpongioſum, inæqualem, ſubrubrum, depictæ ibidem figuræ & magnitudinis notare licuiſſe ſcribit Gerhardus Blaſius *Obſerv. medic. Part. VI. Obſ. 17. p. 83.* Juxta Thom. Roder. a Veiga *de Locor. Affect. Lib. I. Sect. 6. fol. m. 225.* recenſet Avenzoar, viſum a ſe hominem, cui ex naſcente intra linguam lapide, loquendi vis amiſſa eſt, ex ablato reſtituta. Præfecto cuidam arcis Homburgenſis poſt inflammationem ac tumorem in faucibus & lingua abſceſſus natus eſt, eoque rupto calculus oblongus prodiit. vid. Plater. *Obſerv. l. a.* Item intumuerat mulieri cuidam admodum lingua, ita ut eam movere aut loqui non poſſet, uti neque aliquid deglutire, rupto tandem ſponte abſceſſu, procidit calculus tophaceus, durus & magnus, vid. *ibid. Lib. III. p. 896.* Mercator quidam Hamburgenſis de linguæ dolore & tumore duriuſculo aliquot annis ſibi moleſto querebatur, nullo alias in lingua & partibus vicinis apparente vitio, cum per aliquot dies oris collutionibus, ex emollientibus, & reſolventibus uſus eſſet, ecce dum linguam inter colluendum fortius moveret, calculus proſiliit, nucis amygdalæ magnitudine & forma &c. vid. Balth. Tim. a Güldenklee *Lib. I. Caſ. 35. p. 69.* Ex linguæ ac colli glandulis ſe calculum erumpere vidiſſe, refert Nicolaus Tulpius *Obſerv. medic. Libr. II. cap. 25. p. 141.* Calculum, cujus magnitudo ſuperat

nucleum

nucleum olivæ, ſubſtantia dura ſatis, color vero fuſcus eſt, qui prævio tumore, & hoc rupto, e lingua prodiit, ſe ſervare ſcribit Georgius Dethardingius *Ephemerid. Academ. N.C. Cent. I. & II. App. p. m. 197.* ubi addit: an hic calculus tumoris, vel tumor calculi parens fuerit, non dixerim, nec enim ante tumorem quicquam moleſti in lingua ſenſerat patiens, qui bajulus erat. De lapide ſupra mucronem linguæ enato hanc obſervationem recenſet Zacutus Luſitanus *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. 1. Obſ. 49. fol. m. 122.* Nobilis quidam catarrhoſis fluxionibus valde obnoxius cum in parte linguæ externa juxta mucronem, tumore inſigni & dolorifico quateretur immaniter, aphonus quaſi factus, chirurgum vocat, hic lavacra lenientia & emollientia conſuluit, factaque inciſione lapillus ſeſe prodidit, citra ſperatum pus duriſſimus, lævis ad magnitudinem nucis avellanæ, quo volſella vi ſumma extracto tumor evanuit, & vulnere integre ſanato æger perfectam conſecutus eſt ſanitatem. vid. etiam ejusd. *Prax. medic. admir. Lib. I. Obſ. 81. fol. m. 19.* In ſpongioſa linguæ carne calculum geſtavit Ancilla Halenſis. v. Caſp. Theop. Bierling. *Theſaur. p. 40.*

§. 17.

Cauſam calculorum ſublingualium a lympha viſcida, *In ductibus ſalivalibus.* a qua ranula ortum ſumit, derivat Jean Baptiſte Verduc, *dans la Suite de Pathologie de Chirurgie Cap. XIV. p. m. 746.* his verbis: La tumeur, que l'on appelle Grenouillette, n'a point d'autre cauſe, qu'une limphe epaiſſe, qui s'eſt arretée, en paſſant avec le ſang, dans les petits Vaiſſeaux, qui ſont ſous la langue. Cette limphe devient ſemblables à du blanc d'œuf; la quelle matiere ſe petrifiant quelques fois, il ſe forme de petites pierres, que l'on trouve ſous la langue, ſur tout lorsque les particules les plus ſubtiles de cette limphe s'etant evaporées par l'inſenſible transpira-

tion,

tion, il ne reſte que les particules terreſtres, qui ont des figures propres à s'embarraſſer enſemble, pour faire un corps dur; & comme toutes ces particules demeurent fort long tems en repos, elles ont le temps de ſe petrifier. Annon autem ejusmodi calculi etiam a ſaliva lenteſcente atque in ductibus ſalivalibus vel circa eorundem orificia ſtagnante derivari poſſit, nullus dubito, cum juxta Theod. Kerckring. *Obſ. 28. p. m. 66. ſeq.* in Podagrico ſputa materiæ podagricæ ſeu calcis conſiſtentiam acquiſiverint, ut Kerkringius ingentem ſputorum, ad tartaream conſiſtentiam concretorum, copiam colligendam curaverit. Hanc ſententiam fovet quoque Gerardus Blaſius, uti paulo ante ex ipſius *Obſervation. med. p. 81.* adduximus, ſcilicet ejusmodi calculos ſublinguales potius in ductibus ſalivalibus, quam pororum glandulis hærere aſſerens. In ductu ſalivali hærere etiam videbatur lapis aliquis colore lucide flavo ac auripigmento æmulo tinctus, quem ex Guilielmo Cowper annotarunt Domini Collectores *Act. Erudit. Lipſ. 1699. Menſ. Februar. pag. 58.* vid. etiam Stephan. Blancard. *Collect. med. phyſ. Cent. V. Obſ. 47. p. 79. & 80.* Huc referenda etiam mihi videtur Obſervatio ex Actis Philoſophicis Anglicanis de Viro, cui calculus ſub lingua erat exciſus; hic enim oretenus retulit, quod calculus generari cœperit in hyemali expeditione maritima, qua diutius detinebatur, friguſque intenſiſſimum perferre cogebatur. Paulò poſt reditum ſuum quendam nodum ſub lingua deprehendit, atque annos fere octo pertulit. Creſcente calculo moleſtiæ quoque increvere, præcipue ad omnem frigoris ſenſum intenſus dolor, in hac parte, qui ceſſante frigore ceſſavit. Circa ſeptimum & octavum annum frequenter ac repente omnes glandulæ oris & faucium intumuerunt ab aſſumpta cereviſia aut cibo, qui tumor brevi iterum evaneſcebat. Tandem, quod præcipue obſervatu dignum,

verti-

vertigine repentina correptus eſt, a primo vere ad Auguſtum circiter durante, quo menſe ſine ulla alia prævia cauſa, locus, ubi lapis condebatur, deſubito intumuit, cœpitque profluere materia purulenta ex ductu Whartoniano; qui fluxus tamen ſtatim ceſſavit (viro nil niſi frigus incuſante) unde tumor cum inſigni inflammatione & ſummo ſuffocationis periculo, ut vix credi poſſit quantum dolorem perceperit patiens, cum cereviſiam vel alium liquorem vellet deglutire. Hæ anguſtiæ durarunt quinque dies, quo toto tempore tanta ſaliva profluxit, ut caput reclinare non poſſet, quo dormiret; usque adeo, ut amici ægrum viſitantes inter ſe quæſiverint, numne medicamento quodam mercuriali uſus fuiſſet. Varietas & conditio ſpontaneæ hujus ſalivationis annotatu digna eſt: Primo die ſaliva tenuis erat, &, inſtar aquæ, limpida, ſine ullis bullis. Secundo die erat ſpumoſa, ſalſa (quod calori potius, quam veræ ſalſedini, licet adſcribere, quoniam eo die inflammatio in ſtatu erat.) Tertio die ſummopere lenteſcebat, ac præterea foraminulum ſupra calculum fiebat, unde materia purulenta, perinde ut ante, proveniebat. Quarto die ſaliva profluebat inſipida, in ore manifeſte frigida. Quinto die (quo inciſio celebrabatur) ſaliva profluebat, ut quarto die, ſed relinquebat ſummam viſcoſitatem in dentibus, adeo ut ſæpius cohærerent, acſi conglutinati eſſent. Facta inciſione, quæ non ſatis larga erat, membranæ, quibus condebatur calculus, primo removebantur, lapis vero ipſe adeo durus erat, ut forcipibus tractari poſſet &c. vid. *M.N.C. Dec. I. An. 3. Obſ. 1. Schol. p. 2. ſeq.*

§. 18.

Dentes inter lapides animales reponit Chriſtianus Fridericus Garmannus *Lib. I. Tit. 6. §. 1. p. 195.* & quidem eo quod ſucco, in quo ſigillum coaguli ſemenque lapideſcen- *In Dentibus.*

tiæ latet, nutriantur. Franciſcus Oswaldus Grembs *Arbor. integr. & ruinoſ. Homin. Lib. I. cap. 7. §. 3. n. 13. p. 36.* inquit: inter animales lapides dens eſt, cujus materia inter os & petram neutra eſt, quicquid ſibi adnatum fuerit, illud dens petrificat ex odore & ſemine petriformi, quem odorem pars denti adhærens haurit: hoc ipſum eſt, quod Paracelſi ſequaces decepit tartari nomine. Et Johannes Baptiſta van Helmont *Aliment. Tartar. inſont. §. 24. fol. m. 154.* ſcribit: Quod Libro de Lithiaſi de ſemine petroſo adeoque de petreſcentia dixi, id quoque non incongrue denti pro fabrica lapidis dentalis totaliter convenit. In Tractatu autem *de Lithiaſ. Cap. I. §. 13. fol. 13.* ita ait, materia dentis non eſt mere oſſea, ſed inter os & petram media ſive neutra. Ideoque & dens ſuo contactu tandem petrificat, quicquid ſibi pertinacius adhæſerit, ſive ex panificio, carne, olere, piſce, pomo aut legumine puls iſta fuerit, id eſt, quanquam in ſe neque ex ſe ullam habeat diſpoſitionem ad petrificationem. Dentes mediam inter oſſeam ac petroſam habere ſubſtantiam, ſtatuit Everhardus Gockelius *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 28. Schol. p. 73.* Secundum Clopton. Havers *Oſteolog. nov. pag. m. 92.* conſtant dentes ex duabus diſtinctis diverſæ ſubſtantiæ partibus, una naturæ lapideæ, altera revera naturæ oſſeæ. Prima pars optime jure lapis nominabitur, cum lapidea duritie prædita ſit, imo ſilicis inſtar prædita. Dentibus autem ſordes & lapides ſeu tophi, quos Græci πῶρες appellant, annaſcuntur, atque juxta Daniel. Sennert. *Pract. Med. Lib. II. Part. 1. c. 10. fol. m. 34.* obſervatum eſt, in quibusdam ita incrementum ſumpſiſſe, & dentes iſta lapidea materia ita obductos fuiſſe, ut nulla dentium diſtinctio amplius appareret, ſed unius tantum oſſis ſpeciem præ ſe ferrent. Talia exempla recenſet Johannes Schenkius *Obſ. medicin. Lib. I. fol. m. 198. ſqq.* Inquit etiam Bartholomæus Euſtachius *Tract. de Dent. c. 29.*

p. m.

p.m.94. hanc in omnibus dentibus conjunctionem ſe nunquam vidiſſe, ſed tres aut quatuor molares, non aliter quam in pecudibus, continuatos aliquando obſervaſſe, & præterea in quodam cive ſuo intuitum eſſe in ſenectute junctos dentes dura ac pene lapidea materia undique obductos, nullo diſtinctionis veſtigio retento, unius tantum oſſis ſpeciem præ ſe ferre.

§. 19.

In aſpera arteria. In aſpera arteria quandoque calculos reperiri, teſtantur varii Autores; Referente ſcilicet Remberto Dodonæo *Obſervat. medicin. cap. 23. p. m. 57.* Illuſtris quidam Baro calculum ſæpe cum ſputo excrevit, qui in extremis aſperæ arteriæ ramulis ac propaginibus natus loci figuram referebat: forma oblongus, teres, tenuisque ſubinde adnatis brevibus ramulis, colore candidus. In infanticidæ corpore ſano & quadrato præditæ pulmone tracheaque aſpera plurimas non exiguas calculoſas concretiones, & inprimis circa divaricationem fiſtulæ hujus pnevmaticæ grandiorem calculum ſe conſpexiſſe refert Lucas Schrœckius *in Schol. in Johann. Helwig. Obſ. 65. p. 218.* quo loco ex aliorum, relatione annectit, eandem infanticidam nunquam reſpiratione difficili, nec tuſſi notabili laboraſſe. De calculis aſperæ arteriæ, cauſa tuſſis moleſtæ, in virgine quadam venuſta annos habente octodecim &c. vid. Johann. Schmid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 55. p. 143.* Circa tracheæ ramificationem ſiniſtram calculoſam ſubſtantiam obſervavit Gerardus Blaſius *Obſ. med. Part. VI. Obſ. 18. p. 83. ſeq.* Tracheæ adhærentes calculos unciam ſemis vel etiam integram pendentes ſæpius ſe vidiſſe refert Stephanus Blancardus *Anat. Pract. Cent. I. Obſ. 23. p. m. 80.* Mortem a lapidibus aſperam arteriam prementibus annotavit Theodorus Kerckringus *Spicileg. anat. Obſ. 27. p. 64. ſeq.* nimirum vir quidam laborabat maxima anhelitus difficultate, non

tamen tuſſiebat, non exſcreabat, nec ulla vel aſthmatis vel orthopnœæ vel pthiſeos aut vulgati alicujus pectoris vitii, aderant ſymptomata. Medici curabant eclegmatis, ſyrupis & ſimilibus morbum non obſequentem, æger tandem febre ſuperveniente abiit ad plures. Cauſa autem morbi & mortis poſtea ſeſe, aperto corpore, aperuit. Lapides varii variæque figuræ iis, qui ibidem *p. 65.* picti ſunt, locis immediate aſperæ arteriæ incumbentes, ita eam oppreſſerant, ut tandem hominem præfocaverint: cetera enim interiora nihil contraxerant vitii. Raucedinem diuturnam a calculis aſperæ arteriæ obſervavit Chriſtianus Fridericus Garmannus in prætore quodam Stolbergenſi, cui ultra annuum ſpatium gravi raucedine correpto ſemper videbatur capiti aſperæ arteriæ aliquid adhærere, quod eandem premeret & gravaret; a quo tamen malo tandem tuſſi & ſcreatione aliquoties materiam tophaceam rejiciens liberabatur, indeque uſum vocis priſtinum repetebat. v. *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 151. pag. 328. ſeq.* In glandulis ad arteriam aſperam ſitis concretos lapillos deprehendit Henricus Meibomius, vid. Juſt. Schrader. *Obſerv. anat. medic. Dec. I. Obſ. 3. p. m. 186.*

§. 20.

In pulmonibus. Sæpius adhuc in pulmonibus deprehenduntur varii calculi, vel tuſſi exinde rejiciuntur. v. g. Mulierem non infimæ conditionis cum tuſſi lapides ex pulmonibus exſpuiſſe, refert Thomas Bartholinus *Cent. I. Hiſtor. 33. p. 47.* Calculum durum, oblongum, aſperum, oſſis dactyli inſtar, & ita gravem, ut granorum viginti cum dimidio pondus æquaret, tuſſi eructavit vir quidam quadragenarius, teſte Zacuto Luſitano *Prax. med. admir. Lib. I. Obſ. 103. Oper. Tom. III. fol. m. 24. ſeq.* Et Obſervatione ſequenti idem Autor Viri meminit generoſi, qui quotidie ſepties aut pluries cum ſicca tuſſi tres quatuorve calculos, grana ſinapi æquan-

æquantes, colore candidos, duros, excrevit. Pulmonibus innatum calculum in ſectione Typographi filii ſe reperiſſe ſcribit Felix Platerus *Obſ. Lib. 1. p. 180.* A Matrona quadam inter nobiles fœminas nobiliſſima, diu cum phthiſico malo conflictata, ultimo ante obitum anno, prævia tuſſi vehementiſſima duo oſſicula albicantia, prædura, cum tribus appendicibus fuere rejecta. vid. Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſic. Cent. I. Obſ. 94. p. 135. ſeq.* De phthiſi a calculis in pulmonibus generatis agit Richardus Morton *de Phthiſ. Lib. III. cap. 6. p. m. 137.* inquiens: Cretaceos lapides in pulmonibus concretos ſæpius obſervavi, qui ubi fuerant angulati & pulmonum agitatione commoti, tenerum eorum parenchyma lacerare ſolebant; quo tuſſis vehemens atque arida dolorque thoracicus horrendus, aliquando etiam hæmoptoë, una cum ſanguinis profluvio, atque ulcera naſcebantur. Quales, angulatos lapides plures a phthiſicis tuſſi rejectos dictus Autor adducit *p. 141. & 143.* Varios lapillos e pulmone per tuſſim rejectos in ſequenti Obſervatione refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. I. Obſ. 28. p. 116.* inquiens: Conſanguineorum aliquis juvenis admodum aſthmate laborans, ſæpius querebatur lecto ſeſe vix continere poſſe veſperi, cum cubitum iret, ita ut ab eodem revertens quandoque ad inferiores ædium partes ſeſe conferret, quandoquidem maximo circa pectus angore ſe corripi diceret, quantum ad reliqua ſatis bene ſe habens. Longo poſt tempore compertum eſt, illum aliquot lapillos piſis ſimiles, quosdam etiam iis majores, ac nonnullos minores, æquales alios, alios inæquales admodum, aſt univerſos foraminibus plenos ac ſpongioſos, tanquam pumices, tuſſi ejeciſſe, quam poſtea ipſius ſequebatur pulmonis ulceratio ac poſtremo lethifera tabes eum ad plures rapuit. Refert etiam, idem Stalpart. *in Schol. p. 118 ſeq.* ſe anno 1682. calculum vidiſſe tantum, quan-

tum eſt gallinaceum ovum minus, quem faber lignarius, viginti quinque annos natus, gravi admodum tuſſi poſt diuturnum aſthma, quod maximus comitabatur angor, An. 1681. ejecit, ſanatum ſe omnino jam credens, nec tamen ultra ſex, ſeptemve ab eo tempore vitam producens hebdomadas: In gibba dextra pulmonum adoleſcentis a fixo pectoris dolore conſumpti calculum marmoreum ſtriatum, ovi columbini ſpeciem præ ſe ferentem, cum alio in lobis illis prope arteriam aſperam hærente, deprehendit Johannes Baptiſta Contulus. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. Menſ. Septemb. p. 397.* Lapidem prædurum & undique aſperum, nucis juglandis magnitudine, validiſſima quadam tunica carnea incluſum in aſthmatici cujusdam Pannonici pulmonis ſubſtantia invenit Guilhelmus Fabricius, Hild. uti refert *Obſerv. Chir. Cent. II. Obſerv. 29. fol. m. 107.* Calculum ad avellanæ magnitudinem de pectore propulſum obſervavit Antonius Benivenius *Obſerv. medic. cap. 24. p. m. 175. ſeq.* De pulmonibus calculoſis vid. Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obſ. 85. p. m. 200.* Cinerei coloris lapidem ſatis durum, articulum pollicis primum magnitudine æquantem tuſſi rejectum annotavit Johannes Henricus Brechtfeld *Actor. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 199. p. 292.* Lapillum inæqualem & crenatum tuſſi ſicca a Studioſo Anglo, diligenti valde & ſedentario, ore rejectum communicat & depingit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. Med. phyſic. Lib. II. Obſ. 4. p. 207. ſeq.* Ratisbonæ quidam Juris Licentiatus, juvenis, aliquot per annos diuturna & vehemente tuſſi laborans denique in atrophiam incidit, poſt multos & viſcoſos ſcreatus tophaceam materiam ejecit & mortuus eſt. vid. Joh. Helwig. *Obſ. med. phyſ. 65. p. 217.* Hæmoptyſin a calculis moleſta tuſſi rejectis & vaſa pulmonum rumpentibus in Canonico quodam, nomine Valerio Stramanz obſervatam recenſet Johannes Fridericus Hertodt

Tarta-

Tartarolo Maſtig. Morav. Part. II. cap. 4. p. m. 222. Baronis cujusdam pulmones hinc inde plurimis calculis, milii magnitudinem æquantibus, refertos invenit, copiamque illorum ad duo cochlearia capacia collegit Johannes Jacobus Wenceslaus Dobrzensky *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 181. p. 278.* In pulmonibus Quæſtoris Albretici duriſſimos aliquot, æquabili ſuperficie, argillaceo colore, calculos deprehendit Julius Cæſar Scaliger, uti refert *de Subtilit. Exercit. 108. p. 396.* Mulier Brugnerienſis per longum tempus calculos parvos multosque tuſſi rejecit, duros admodum & variæ figuræ, vid. Petr. Borell. *Obſerv. med. Cent. I. Obſ. 67. p. 68.* vid. etiam Dominic. Panarol. *Pentec. II. Obſ. 22. pag. 45.* Fœminam quandam, natione Holſatam a calce viva pulmonum calculis laborantem, tales tuſſi & levi hæmoptyſi excreviſſe ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 16. p. 21.* Innumeros fere calculos duros, oblongos & aſperos tuſſi ſicca eructavit faber quidam lignarius Embdanus, teſte Matthia Tilingio *ibid. An. 6. & 7. Obſ. 132. p. 176.* A Studioſo, phthiſi laborante, non modo multi calculi tuſſi rejiciebantur, ſed etiam in ipſius defuncti pulmonibus aliquot centum diverſæ magnitudinis atque in tanta copia apparebant, ac ſi manu ſeminantis injecti fuiſſent, teſte Johanne Friderico Huldenreichio, *l. a. Obſ. 221. p. 325. 327.* Pituitam in tabifici pulmone perfectam calculoſam duritiem obtinuiſſe refert Petrus Pawius *Obſ. 9. p. 18.* In Lapicidarum pulmonibus quandoque arenæ acervos reperiri, docet Bernhardus Rammazzinus *de Morb. Artific. cap. 26. p. 197.* In famuli Lapicideæ, aſthmate mortui, pulmone magnam pulveris lapidum copiam, inſpiratione cum aëre attractam atque veſiculas fere omnes infarcientem invenit Isbrandus de Diemerbrock, cujus vide *Anatom. Lib. II. cap. 13. fol. m. 306.* Johannes Daniel Dorſtenius Nobilem Germanum ſub manibus habuit, per integrum triennium

aliquot

aliquot piſi magnitudine lapillos, non tamen rotundos, ſed oblongos magis & anguloſos, duriſſimæ tamen ſubſtantiæ, tuſſi rejicere ſolitum; quam obſervationem Dorſtenius literis Michaeli Bernhardo Valentini communicavit v. *M.N.C. Dec. II. An.* 2. *Obſ.* 167. *p.* 378. Ipſe autem Dorſtenius eandem Obſervationem *ibidem An.* 3. *Obſ.* 163. *p.* 153. recenſet, ſimulque calculos diverſæ magnitudinis, alios piſi magnitudine, alios lentis, alios milii ſeminis, duræ & minime friabilis ſubſtantiæ fuiſſe addit. Et in Scholio ejusdem obſervationis fœminæ elegantiſſimæ meminit, florentis ætatis, quæ tumore p. n. ſub axilla oborto, eoque inter choreas nuptiales rupto & diſſimulato, negligentiusque habito, in reſpirandi difficultatem primo, paulo vero poſt in tuſſim ferinam incidit, de pondere quodam in pectore latitante continenter conquerens, tophaceam tandem materiam calci tectoriæ ſeu intritæ ſimilem (qua in pavimentum cretæ inſtar ſcribere potuit,) validiſſima tuſſi rejecit, ſed atrophia funeſta ſenſim invaleſcente brevi exſpiravit. Materia, quam civis quidam Chilonienſis exſcreando fruſtillatim rejecit, lapillos & ſabuloſam ſubſtantiam fuiſſe, refert Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An.* 5. *Obſ.* 126. *p.* 254. Calculos numero quinque, cineritios & ex rubro flaveſcentes inſtar piſorum ſativorum caupo quidam Gœppingenſis, vir ætate florida, phthiſicus, rejecit, intra tres ſeptimanas fato functus, teſte Roſino Lentilio *ibid. An.* 7. *Obſ.* 136. *p.* 262. Gerardo Blaſio in aſthmatico diſſecto occurrebat ſiniſtro in pulmone durities ſingularis, eo loco ubi vena pulmonalis ſubſtantiam pulmonis intrat, oſſeum quaſi circulum ab aliis connexis partibus ſeparata repræſentabat, aſpera aliquomodo, fungoſa, ſubrubra, fragilis valde, unde etiam, os an calculos ſubſtantia hæc haberi debeat, dubitantem, huc inclinaret, Blaſium coëgit. vid. *Obſ. med. Part. VI. Obſ.* 18. *pag.* 83. *ſeq.* De uxore juvencula tuſſi aliquot

quot lapillos angulares, albos, magnitudine lentis excernente, vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent. III. Ep. 80. p. 345.* ubi pergit, ſe idem in Reverendo Viro obſervaſſe, qui in ſua præſentia exſpuit calculum, quem ex cava pulmonum ſubſtantia prodiiſſe ſuſpicabatur, ibi genitum loci commoditate a materia bronchiis impacta & membranas ad tuſſim ferinam vellicante. Calculos duos aſperos ſubduros, albicantes cum glaucedine quadam, piſorum magnitudine ſe vidiſſe ſcribit Diomedes Cornarus *Obſ. medic. Cap. 18. pag. m. 34.* Sacellanus quidam poſt varia medicamenta materiam viſcoſam, cui lapilli piſiformes immiſti erant, tuſſi rejecit; Poſtea ſumpto rubino ſulphuris iterum tuſſire cœpit, & expectorato purulento ſanguine cum quinque fruſtulis lapideis fabæ minoris magnitudinis, ex improviſo in hæc verba erupit: Jtzo iſt es gebrochen, & inclinato capite in pulvinar absque omni motione ſuffocatus, vitalis eſſe deſiit. Diſſecto tribus horis poſt ejus cadavere, multi in pulmonum ſubſtantia lapilli hinc inde fuerunt inventi, piſi magnitudine, cum materia grandinoſa colore cinereo inſtar margæ, referente Johanne Franco *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 71. p. 88. ſeq.* Secabatur quidam Lutetiæ Pariſiorum, quem Medici tanquam orthopnœicum curarunt. At cum in cavitate aſperæ arteriæ humor nullus craſſus & lentus inveniretur, ſecta tandem ſubſtantia parenchymatis lapilli minuti reperti, ſed friabiles: quidam etiam caſeo perveteri ſimillimi, juxta verba Philippi Salmuthi *Obſerv. med. Cent. I. Obſ. 7. p. 5. ſeq.* De aſthmatico a medicamentorum uſu pituitam viſcidam incredibili quantitate exſcreante & aliquot lapillos, piſi magnitudine friabiles exſpuente, v. Bernh. Verzaſch. *Obſerv. 17. p. 44. ſeq.* De calculo duriſſimo & undiquaque acuto, nucis juglandis magnitudine in pulmonum ſubſtantia reperto, vid. Steph. Blancard. *Anat. pract. Cent. II. Obſ. 8. p. 267.* Vidit etiam

Theodorus Craan (*Diſſert. de Homin. Cap. V. p. m. 17.*) ægrum quotidie lapides ſcreatu rejicientem non paucos. De viro, qui, quoties exercitatione incaleſcebat, concitata tuſſi calculos e pulmonibus edidit præduros, eosque exſcreavit, modo hordei, modo piſi magnitudine. vid. Frider. Hoffmann. *Not. in Petr. Poter. Obſerv. Cent. I. Obſ. 77. p. m. 99.* Patrem quendam Reverendum doloribus podagricis & nephriticis totum fractum, per ſuperna verum lapillum, quales ſubinde per urinarios ductus excreverat, extuſſiviſſe, huncque calculum probabiliter ex pulmonibus rejectum fuiſſe, refert Marcus Gerbezius *Chronolog. med. pract. An. 3. §. 73. p. m. 280. ſeq.* Inquit etiam Johannes Wierus *Oper. Lib. IV. de Malefic. cap. 2. p. m. 282.* meminit lapilli fabæ magnitudine, quem ipſius Collega Anno 1553. in Hoſpitali Piſano ex ſiniſtris pulmonibus cujusdam phthiſi demortui adoleſcentis, exemerat. Fuit autem Wieri Collega Reinerus Solenander, uti ex ipſius *Conſiliis medicinalibus* apparet, & quidem *Sect. V. Conſ. 16. fol. m. 493.* quo loco ſuis manibus in Hoſpitali Piſano, cum corpus cujusdam adoleſcentis, qui tabe perierat, ad ſepulturam delatum eſſet, calculum ex pulmonibus exemiſſe ſcribit. In puero tabido pulmones undique grandineos, inprimis ad vaſa bronchialia multitudinem grandinum annotavit Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 9. p. 23.* Plura de pulmonum grandinibus v. *ib. Joh. Jac. Wepferi Obſ. 259. p. 431. ſeqq.* In pulmonibus Friderici Electoris Saxoniæ lapides inventos, ex Martino Luthero refert Chriſtianus Frid. Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 55. p. 1094.* quo loco varia ejusmodi exempla reperies. vid. inſuper Daniel. Sennert. *Inſtitut. medic. Libr. II. Part. 3. Sect. 1. Cap. 11. p. 340.* Joh. Kentmann. *de Calcul. p. 4.* Joh. Rhod. *Obſ. Cent. II. Obſ. 3. p. 57.* Joh. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 244. p. 437.* Joh. Helwig. *Obſ. 65. Schol. p. 217. ſeq.*

§. 2.

§. 21.

In pericardio fœminæ triginta & trium ætatis annorum tres lapillos ſubviridis coloris, quorum duo exigui erant, tertius autem magnus & duarum unciarum ponderis, ſe inveniſſe ſcribit Joſephus Lanzonus, *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 75. p. 119.* *In Pericardio.*

§. 22.

In ipſo corde calculos quandoque reperiri, varii teſtantur Autores, v. g. in mulieris, quæ quatuor menſium ſpatio incredibili urinæ cruciatu laboraverat, corde duos calculos repertos eſſe, ex Hollerio refert Ambroſius Paræus *Oper. Lib. 24. Cap. 19. fol. 569.* In fœminæ hydrope defunctæ corde calculum venæ arterialis principio impactum offendit Petrus Marchettus. vid. Joh. Rhod. *Obſervat. med. Cent. III. Obſ. 4. p. 111.* In Imperatoris Maximiliani Secundi corde ſecto inventi ſunt tres lapilli quantitate piſorum, unus interim major altero, colore rubigineo; frequenter vero cordis palpitatione gravi afficiebatur, dum viveret, uti refert Johannes Wierus *Oper. Lib. IV. cap. 16. p. m. 315.* vid. etiam Wolfg. Hœfer. *Hercul. medic. Lib. II. c. 1. p. m. 107.* ſecundum Thomæ Eraſti relationem in corde cujusdam viri, qui palpitatione cordis frequenter corripi ſolitus erat, lapillus niger repertus fuit. vid. Laurent. Schulz. *Conſil. medic. 103. f. m. 276.* In corde cadaveris militis Joſephus Lanzonus Anno 1682. calculum ad grani piperis magnitudinem invenit, vid. *ipſius Schol. in Henric. Moinichen Obſ. 12. p. m. 74.* In ipſa cordis ſubſtantia diſſecti cadaveris virilis lapides varie figuratos reperiſſe Petrum Ruſſe, legere licet in Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gall. An. II. Menſ. Jun. p. 122.* Sic etiam in corde Comitis Becclarenſis infra baſin inter dextrum & ſiniſtrum ventriculum duo lapides ſunt reperti, quorum alter magnitudine æqualis fuit amygdalo, alter duos digitos longus & unum latus, habens *In Corde.*

tres auriculas vel criſpos angulos, juxta *Act. Philoſoph. Anglican. 1665. Menſ. Jul. p. 65.* In corde calculum in Theatro publico demonſtravit Henricus Meibomius, vid. ejusdem *Diſput. de Calcul. Ren. Helmſtad. 1679. habit. Reſpond. Juſto Nicolao Ottone §. 2.* Bernhardus Stieberus Archiater Brandenburgicus in Domino de Collenberg ſecto cadavere invenit lapidem, totam cordis cavitatem adimplentem, corpore incurvo, colore cineritio, in cujus apice duo velut roſtra prominuerunt, vid. Phil. Jac. Sachſ. *Ocean. Macro-microcoſmic. p. m. 35.* Epiſtola Bernhardi Stieberi de hoc calculo extat in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 238.* Et ipſe Horſtius *l. a. fol. 239.* in mercatoris cujusdam filiæ corde, duplo majori, bubulum referente, circa valvulas dextri ventriculi calculum ex tartaro concretum, inſtar minoris caſtaneæ nucis compreſſioris, membranoſæ valvularum ſubſtantiæ adnatum fuiſſe repertum refert. In muliere quinquaginta annorum ſubſtantiæ cordis muſculoſæ, ubi ventriculum conſtituit ſiniſtrum, aliquid durum, album, variis ex particulis inæqualibus compoſitum, minoris digiti articulum extremum longitudine atque craſſitie repræſentans inhærebat, juxta Gerard. Blaſ. *Obſ. medic. Part. VI. Obſ. 13. p. m. 80.* ubi equidem dubitare videtur, an oſſeæ, an lapideæ naturæ dici debuerit; interim tamen ipſe in poſterius potius, quam prius ibidem inclinat, hinc etiam hujus Obſervationis Titulum, de Calculo in cordis ſubſtantia, eſſe voluit. In puellæ undecim annorum corde lapillum ponderis granorum quatuordecim reperit atque depinxit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 78. p. 152. ſqq.* hæc autem puella adhuc viva vehementer de anxietate & anguſtia quadam circa regionem cordis querebatur. Magnam congeriem lapillorum candidorum, folliculis incluſorum, inſignis duritiei, qui exempti pondus drachmæ unius excedebant, in Studioſi cujusdam hydro-

pici

pici ventriculo cordis (admirandæ magnitudinis, imo fere cor bovis etiam ſuperantis) dextro, loco valvularum tricuſpidalium, in ſiniſtro autem ventriculo, in arteriæ pulmonalis principio ſeu valvulis ſemilunaribus ejusdem generis lapillos, non tamen in tanta quantitate reperit Johannes Henricus Hottingerus v. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 89. p. 163. ſeq.* Polypum cordis lapideum vel in lapidem mutatum Pariſiis e cadavere virili exſectum Domino Abbati de la Roque a chirnrgo fuiſſe oblatum refert Michael Bernhardus Valentini *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 83. pag. 188.* ubi notabile eſſe addit, quod patiens ille paulo ante obitum palpitatione ſæpe cordis & iterata ſyncope detentus fuerit, idque quieto potius, quam fatigato corpore, cum ſub equitatione fortiorique exercitiò paulo melius habuerit, quia mediante ſuccuſſione inſignis aortæ obſtructio, in quam excreſcentia hæc deſinebat, ad tempus aperiebatur, & ſanguini exitum concedebat. Idem Valentini etiam *Prax. Medicin. infallib. Sect. III. pag. 196.* refert, in conventu illo, in quo Eruditi Pariſienſes Diarium, Journal des Sçavans dictum, ut & Journal de Medecine colligebant, ſe præſente, a chirurgo quodam polypum lapideſcentem, in corde hominis inde denati adhuc hærentem, allatum eſſe. Materiam tophaceam duriuſculam in corde Cardinalis Maſerini fuiſſe inventam, refert Theodorus Craan *Diſſert. de Homin. Cap. XVI. p. m. 147.* Latro quidam audaciſſimus palpitatione cordis frequenter corripi ſolitus tandem rotæ fuit affixus. Hujus cor viſendi cupidus Zacutus Luſitanus, poſtquam corpus in quatuor partes diſſectum erat, pulſans adhuc cum collegis duobus incidit, ac in ventriculo ejus dextro tres reperit lapillos, ciceris magnitudine, coloris cineritii, oblongos, pondo unius drachmæ. vid. Zacut. Luſit. *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 141. Oper. Tom. III. fol. 37.* In Muliere quadam, quæ quatuor menſes integros

pus minxerat, inventi ſunt renes integri & veſica integra; at in corde inventi ſunt duo calculi & abſceſſus multi, qui expurgabantur per urinas, juxta Jacob. Holler. *Comment. in Aphoriſm. Hippocr. Sect. IV. Aphor. 75. pag. m. 441.* vid. etiam Georg. Frid. Laurent. *Exercitat. 21. p. m. 258. ſq.* item Jacob. Holler. *de Morb. intern. Lib. I. Cap. 47. Schol. p. 146.* Ex corde Urbani octavi Pontificis maximi calculum triangularem extractum fuiſſe ex Thoma Bartholino allegat Jobus a Meckren *cap. 35. p. m. 148.* Ipſe tamen Bartholinus *Hiſt. anat. Cent. II. Hiſt. 45. p. m. 211.* non calculi ſed oſſis meminit. In muliere ab hydrope extincta ſemilunares aortæ valvulas lapide calcario opertas vidit chirurgus quidam nomine Cheſelden. vid. *Acta Eruditor. Lipſ. An. 1714. menſ. Octobr. p. 484.* Refert etiam Thomas Burnet *Theſaur. Medicin. pract. Lib. III. p. m. 254.* ſibi aliquando virum quendam nobilem fideque digniſſimum narraſſe, in Marchionis cujusdam diſſecto poſt obitum corde lapillum fuiſſe repertum. Ibidem etiam ſcribit, in Comitis de Belcarras, undecim annos nati, cujus jam in hoc paragrapho mentionem fecimus, corde, calculum duarum prorſus unciarum ponderis, ejusdemque pariter cum corde figuræ, ventriculos ipſius ambos undiquaque occupantem fuiſſe intus repertum. In Nicolai a Sonnevelt, juvenis Leidenſis, annorum 22 poſt creberrimas compotationes An. 1641. defuncti thorace aperto inventum fuit cor bovino non multo minus, quippe communem magnitudinem quater circiter excedebat. Sed in villis ſexti intermedii tres calculi reperiebantur, piſi circiter magnitudine, non admodum adhuc ſolidi, ſed arenacei & novaculæ cedentes, juxta Othon. Heurn. *Obſerv. varior. Hiſt. 28. p. m. 26. ſeq. Joh. Fernel. Univerſ. medic. annex.* In Comitiſſæ cujusdam de Lovenſtain An. 1666. defunctæ corde & veſicula fellea varios lapides viſos fuiſſe, ex Illuſtrium Perſonarum narratione recenſet Philippus Jacobus

bus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 44. Schol. p. m. 136.* Plura ejusmodi exempla vid. in Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. II. fol. m. 236. ſeq.* Chriſtian. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 56. p. m. 1094. ſeq.* Nicol. Venet. *Trait. de Pierres Artic. 8. pag. m. 67. ſq.* Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. VI. Hiſtor. 93. p. 365.* quo loco etiam de lapide in corde cervi ſequentibus verbis agit: Nuper ex Norwegia lapidem ſecum attulit Illuſtris Vir Dn. Owenius Bielcke, Regni Norwegiæ Cancellarius, quem Regio Muſæo ſubjectiſſime dicavit, ex corde cervi exſectum, globoſum, ſatis magnum & ponderoſum. Quantum vero conjectura aſſequor, globulum plumbeum in corde excepit cervus & cruſtam tractu temporis calore & humorum viſciditate lapideam induxit. Ut id firmius credam, pondus perſuadet, quod plumbi eſt potius, quam lapidis.

§. 23.

De calculo in pectoris cavitate reperto ſequentem obſervationem non quotidianam communicat Georgius Tobias Dürrius *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 86. p. 129. ſeq.* Scilicet in Illuſtriſſimi Domini Euſebii S. R. I. Comitis a Kœnigsegg (qui cum in vivis eſſet, perdies vitæ ſuæ optimum regimen vitæ ſervavit ſanusque vixit, nec difficulter reſpiravit, niſi quod poſt ſumptum cibum ſemper dolorem pectoris gravativum & permoleſtum accuſaverit) pectoris cavitate ſiniſtri maxime lateris diaphragmati incumbens ſat magnus calculus, decem circumquaque ſtipatus ſatellitibus, adipoſo & viſcoſo involucro, diaphragmati non adnato ſed libero involutus, poſt mortem inventus eſt. *In pectoris cavitate.*

§. 24.

In abdominis viſceribus & partibus pariter reperiuntur calculi, & quidem in Epate Illuſtris cujusdam viri tres *In Epate.*

lapi-

lapides inventos legimus apud Joh. Renodæum *de Mater. medic. Lib. III. cap. 23. p. m. 326.* In Senatoris cujusdam jecore inventi fuere lapides atri, qui in aquam injecti intumuere, juxta Jul. Cæſ. Scaliger. *de Subtilitat. Exercit. 108. ſ. 3. p. m. 395.* Lapillos teſſerarum figuram repræſentantes & inſtar marmoris variegatos, quamplurimos e Chiliarchæ cujusdam uxoris epate poſt obitum exemptos ſe vidiſſe refert Godofredus Mœbius *Fundament. Medicin. Phyſiol. Cap. 14. p. 349.* In hepate Hieronymi ſcribæ, Juvenis Norici Studioſi docti atque periti tres lapides reperti fuerunt, quorum unus, præcipuæ magnitudinis, dimidiatum fere columbæ ovum adæquavit, totus anguloſus, colore livido, &c. vid. Joh. Kentmann. *de Calcul. in Corpor. hum. p. 5. b. ſeq.* De lapidibus in tunica hepatis repertis Obſervationem habet Antonius Benivenius *Obſerv. med. Cap. 3. p. 140 ſeq.* Mulier nimirum nobilis dolore exorto circa jecinoris partes invaleſcente morbo e vita migrabat, inque ejusdem jecinoris membranulæ parte decliviore inveniebantur congeſti lapilli, figura & colore diverſi; alii enim rotundi, alii angulares, quadrati alii, maculis etiam rubeis, cæruleis, albisque diſtincti. Hi ſua gravitate ex tunica ſacculum longitudine palmi, latitudine vero duorum digitorum effecerant: Refert etiam Rembertus Dodonæus *Annot. in eandem Obſervat. p. 142.* Jecinora ſe vidiſſe adeo dura & lapillis undecunque plena, ut novacula præſcindi non potuerint. In Noſocomio Lugdunenſi calculum nigricantem duriſſimum, ſilicis inſtar, cochleæ figuram habentem, in hepate humano obſervatum communicat Gerardus Blaſius *Obſerv. med. Part. IV. Obſ. 19. p. m. 84.* Annotavit etiam Johannes Georgius Greiſelius lapidem in abſceſſu hepatis, & quidem paullo minorem ovo gallinæ, qui circa inferiorem partem lobi hepatis in accreta cyſtide longa unius palmi reperiebatur. Hic lapis ſecuri confractus

fractus reſplendebat, ac ſi nitri plenus fuiſſet; cortex erat durior meditullio, alias inſipidus & nullius odoris, pondere unciam unam ſuperabat; coloris erat ſubgryſei interius, exterior cortex durior ſubfuſcus, cum aliquot punctis albis. Manibus contrectatus interius & exterius ſemper unctuoſus apparebat, inſtar ſaporis, per microſcopium interiores ſplendentes particulæ quaſi Mercurium vivum exhibebant hinc inde aſperſum. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 66. p. 164. ſeq.* Plurimos lapillos ex epatis abſceſſu & ſubſequente fiſtula provenire vidit Godofredus Thileſius; diverſæ tamen magnitudinis, atque figuræ hi lapilli fuerunt, dum alii illorum triangulares, alii quadrangulares, alii ſexangulares, & inter hos majores glandibus faginis, minores vero granis ericæ & quidem extrinſecus coloris ſub-punicei, inſtar caſtanearum, non omnino maturarum, inducti tenui quodam cortice, intrinſecus vero lutei, inſtar rhabarbari fuere. De cœtero lapilli dicti fuerunt friabiles, pondere admodum lenes, ac numerus eorum, novem annorum ſpatio excretorum, quingentarium aut ſexcentarium numerum æquavit. vid. *l. a. Obſ. 105. p. 242.* Venetiis in Auguſtini, Ducis ex Barbadica Gente, epate inventus eſt lapis prope cyſtim fellis, magnitudine grandioris olivæ, coloris ſerpentini in nigredinem tendentis, juxta Lud. Cælii, Rhodig. *Lection. antiqu. Lib. I. cap. 17. fol. m. 140.* v. etiam Hieron. Cardan. *de Varietat. Lib. VIII. p. 573.* Comitiſſa de Nadaſti, cum eſſet in procinctu partus, derepente extincta fuit; aperto, ut fœtus baptizaretur, ventre, repertus fuit lapis, magnitudinem ovi anſerini referens, ponderis leviſſimi, intus candicans, ac ſi ex contritis adamantibus coagmentatus fuiſſet. Lapis autem hic tunicis hepatis adhæſit, annotante Paulo de Sorbait *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 106. p. 179.* Matronæ nobilis vomitu cruento defunctæ hepar exſangue parte convexa duos obtulit lapides, unciæ unius

circiter pondere, coloris gryſei, magnitudine duorum juglandium fere propriæ membranæ eique ſatis craſſæ incluſos; in quorum medio, ubi coaluerant, ad ſenſum humor quidam lacteus, ulteriorem coagulationem expectans, deprehenſus eſt, juxta Obſervationem Georgii Wolffgangi Wedelii *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 20. p. 70.* Lapidem ovi columbini inſtar ex epate per abſceſſum prodire obſervavit Medicus Hagienſis, G. Liebergen, vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. I. Obſ. 45. p. 198.* In fœminæ, hydrope extinctæ, viginti libras pondere ſuperante epate, duos calculos, alterum duodecim, alterum vero ſedecim librarum, fuiſſe repertos, refert Stephanus Blancardus *Anatom. pract. Cent. II. Obſ. 8. p. m. 374.* Eſt autem hæc obſervatio eadem fortaſſe, quam recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſt. 64. p. m. 364.* de Martini Bierwolffi Senatoris Regiomontani uxore, in cujus abdomine D. Chriſtophorus Tinctorius invenit epar viginti & tres libras pendens ſcirrhoſum, præterea duos tumores ſaxeos, dependentes a ſuſpenſorio hepatis, alter librabat ſedecim, alter duodecim pondo &c. Rarioribus obſervationibus annumeranda, quam communicat Godofredus Samuel Poliſius *M. N. C. Dec. 1. Ann. 9. & 10. Obſ. 104. p. 263.* de ſacculo membranaceo calculis referto, hepati annexo, Vir ſcilicet conſularis a plurimis annis calculo vehementiſſime laboravit, & in tanta copia lapides lapillosque cum urina excrevit, ut poſt mortem parentis a relictis liberis aliquot ſcatulæ calculis varii coloris figuræque diverſæ refertæ oſtenderentur. Hic tamen ſub graviſſimis doloribus atrociſſimis cruciatibus ſuccumbere fuit coactus, prægreſſa totali lotii ſuppreſſione, per novem dies perdurante, quam calculus dactyliformis ſat grandis excitaverat, remediis multis fruſtra tentatis. In renibus autem poſt mortem nulli fere vel parvuli ſaltem inventi

lapilli,

lapilli, in uretere vero dextro non procul a veſica calculus dactyliformis, nonnihil friabilis & inſtar pumicis ſpongioſus ac candidus ſe conſpiciendum præbuit. Præcipuum autem, quod admirationem ſubiit, fuit ſacculus quidam ſive involucrum membranaceum in perluſtratione hepatis & veſiculæ fellis ſeſe offerens: rotundus hic fuit & oblongus, non procul a cyſtide fellea ſiniſtram verſus, adnexus parte ſui media hepatis ſubſtantiæ per fibras quasdam exiles, extremitatibus utrinque pendulis & minime adfixis: Inferne ex medio ſacculi hujus ductus quidam inſtar ureteris, conſpicuus fuit ad & in veſicam usque tendens, quo, dubio procul, prædictus lapillorum proventus receptaculo urinarum ſuppeditatus fuit. Inferior ſacculi pars & ultra quidem dimidium, referta fuit innumeris calculis, concinne impactis, & ad formam ſeminum tritici turcici, in ſuperiore vero parte liquor quidam coloris ſpadicei & nonnihil ſpiſſus lapillis ſuperfuſus, quem putat Poliſius materiam generandorum calculorum ſubinde ſuppeditaſſe, ſpiritu lapidifico turgidum &c. In apri ſylveſtris jecore lapillos candidos non minus ac in vulgari ſue, duritie lapillis ſimiles repertos allegat Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *Gammarolog. Lib. I. c. 15. p. 295.* De calculo lobo jecoris adnato, ovi columbini magnitudine eique ſub finem parenchymatis appenſo, vid. Henr. ab Heer *Obſ. 1. p. 15.* Varia exempla quoque collegit Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 59. p. 1099. ſeq.* Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. III. fol. m. 412. ſeq.* Petr. Andr. Matthiol. *Epiſt. Libr. V. f. 185.* Theophil. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. 23. f. 1178. ſeqq.*

§. 25.

Frequentius & fere quotidie occurrunt etiam in veſicula bilis variæ formæ & magnitudinis calculi, de quibus *In veſiculæ bilis.*

primo loco adducam Obſervationem Antonii Benivenii de muliere nobili, in qua reperti ſunt lapides quamplurimi, non quidem ullus in veſica, ut putabatur, ſed præter unum, qui in tunica fellis coloris atri & magnitudine caſtaneæ aridæ continebatur, cæteri omnes in panniculo, quo contegitur hepar, unde etiam veluti in folliculo dependuli ſacculum effecerant. vid. Beniven. *Cap. 94. p. 263. ſeq.* In Liberi Baronis Stenonis Bielcke veſicula fellis calculus ejus fuit magnitudinis, ut totum fere cyſtim repleret, juxta Baldaſ. Timæi a Güldenklee *Caſ. medicin. Lib. III. Caſ. 28. p. 145.* Reverend. & Illuſtr. Principis Henrici Julii Halberſtadienſium Epiſcopi veſica fellea decem levibus lapidibus, extra luteis, intus nigricantibus repleta fuit, minima vero bilis portio inventa. vid. Caſpar. Theoph. Bierling. *Adverſar. Curioſ. Caſ. 1. p. m. 5.* Et Reinerus Solenander *Conſil. medicin. Sect. V. Conſ. 16. fol. 493.* ita ſcribit: Ex nobilis Conradi a Steinberch, veſica fellea calculum unum nucis moſchatis figura & magnitudine anno 1582. ipſo die Michaëlis exemi. Et anno 1568. extracti ſunt ad centum lapilli compacti, ut grana in pomo granato inveniri ſolent, aut ut ſemina in ſpica grani turcici, ex veſica fellea in Illuſtr. Henrici Ducis Brunſvicenſis corpore. In Illuſtriſſimi Guilielmi Ducis Clevienſium veſica fellea lapidem inveni nigrum, durum, aſperum, inæqualem, anguloſum, caſtaneæ mediocris magnitudine, duabus in partibus, utrinque quaſi digitis compreſſum, iis in partibus ut cornu ſplendeſcentem. Anno 1667. d. 31. Januar. Princeps Lubomirsky Vratislaviæ apoplexia mortuus fuit exenteratus, in cujus cadavere omnia legitimo modo conſtituta fuerunt, niſi quod ad veſiculam felleam lapis ſpongioſus in forma & magnitudine amygdali, ſed tamen absque periculo, adcreverit, vid. Caſp. Theoph. Bierlingii *Theſ. Theor. Pract. Obſ. VI. pag. 41.* Ovi columbini magnitudine lapidem,

dem, Gummi inſtar concreti, lucidum & mollem in veſica fellea animadverſum legimus in Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. 1. April. Obſ. 7. p. 78.* Duos lapides in cyſti fellea, membrana ſingulari obvolutos, duros, longos, rotundos, inæquales, ad magnitudinem & figuram digitalis, quo ad ſuendum mulieres utuntur, accedentes, in cadavere Matronæ Ducis Wirtembergicæ repertos adducit idem Autor *l. a. menſ. Maj. Obſ. 6. p. 95.* vid. etiam *Jun. p. 99.* In veſicula fellis Friderici Ducis Saxoniæ & Electoris tres lapides repertos fuiſſe ſcribit Johannes Langius *Epiſtol. medicin. Lib. II. Epiſt. 57. p. 756.* Calculum Friderici Tertii depingit Johannes Kentmannus *de Calcul. hum. p. 6. b.* In Georgio, Bohemiæ Rege totam veſiculam felleam lapide, hæmatitem æmulante, repletam fuiſſe, refert Godofredus Mœbius *Phyſiol. Cap. 15. p. 370. ſeq.* vid etiam Joh. Wier. *Oper. Lib. IV. cap. 16. pag. m. 315.* Guidonem Patinum Lutetiæ in octogenaria ſeptuaginta quinque lapillos quadratos in veſicula bilis inveniſſe, refert Johannes Daniel Horſtius *Manuduct. ad Medicin. Part. I. cap. 1. Sect. 3. p. 104.* De lapide amygdalæ magnitudinis in fellea cyſtide vid. Petr. Borell. *Cent. I. Obſ. 4. p. 8. ſeq.* Et *Cent. III. Obſ. 22. p. 217.* decem calculi nitentes, coloris flavi, ſubobſcuri & aliquando triangularis figuræ, fabæ magnitudinis in hac cyſtide reperti leguntur. Septendecim lapillos majores & minores in mulieris cujusdam veſica fellea obſervavit Paulus Spindlerus *Obſ. 54. Schol. p. 101.* Georgius Scharpius Profeſſor Monſpelienſis in lictoris cujusdam cyſtide fellea triginta lapillos, Carbunculi inſtar pellucidos invenit. Item in Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Guilelmi, ex familia Comitum de Wartemberg Anno 1661. demortui veſicula bilis lapilli ſexaginta ſeptem, forma partim triangulari, partim quinquangulari, in medio plani, coloris praſini, quorum novem avellanæ parvæ magnitu-

 dinem,

dinem, reliqui piſa adæquabant, inventi ſunt. De his vid. Joh. Helwig. *Obſ. 81. p. 251.* ubi adhuc viginti ſeptem calculos adducit, quorum quatuor figuræ triangularis magnitudinem nucis moſchatæ æquabant, reliquorum autem magnitudo ad piſi majoris ſed inæqualem rotunditatem paulatim imminuebatur. Plusquam ducentos lapillos magnitudinem partim piſi, partim lentis referentes in fœminæ cyſti fellea obſervavit Chriſtianus Langius *Oper. med. cap. 43. Animadv. ad §. 8. p. 415.* Calculum magnitudine nucis moſchatæ continuit Jacobi Spœrlini veſica bilis, teſte Johanne Jacobo Wepffero *de Apoplex. Hiſtor. 13. p. m. 374.* Viri cujusdam illuſtris veſicula fellis bile fuit exinanita, lapillis autem ſiliceis diverſæ magnitudinis referta, juxta Joh. Georg. Volckamer. *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 71. p. 97.* In alius Viri Illuſtris veſica fellea aliquot lapides majores pondere unciarum duarum inventi ſunt, v. Oſwald Grembs *Arb. integr. & ruinoſ. Lib. II. cap. 1. §. 7. n. 39. p. 227.* Ad nucis juglandis magnitudinem lapidem anterius atrum, poſterius croceum, duriſſimum Anno 1682. Düſſeldorpii invenit Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſerv. chir. Cent. I. Obſ. 60. fol. m. 48.* Et *Cent. IV. Obſ. 44. fol. 320.* idem Autor duos calculos delineat, quorum unus oblongus, alter fere rotundus, pro magnitudine tamen non usque adeo ponderoſi fuerunt. Major enim drachmas quatuordecim, minor vero drachmas quatuor & ſemis ſolummodo pendentes, ſpongioſi fuerunt, & per laminas concreti. Fredericus Dekker *Exercit. pract. Cap. V. p. m. 229.* in fœminæ cujusdam folliculo bilis ultra triginta calculos variæ figuræ diverſique coloris reperit, quos inter unus nucem moſchatam magnitudine ſuperavit; Et *p. 689.* Idem Autor in alia fœmina veſicam bilariam magnam centum & ſexaginta calculis triangularibus & quadrangularibus, diverſæque magnitudinis refertam annotavit.

tavit. Hydropici cujusdam veſica fellea parum bilis, ſed ejus in loco orbicularem ex novem aliis figuræ triangularis, ſibi invicem incumbentibus facilique manu ſeparabilibus lapillis conſtantem lapidem, mole quam pondere grandiorem, ſubnigricantis, ſubviridentis & ſplendentis coloris exhibuit Andreas Cnœffelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 206. p. 381. ſq.* quo loco etiam nonaginta novem lapidum, piſorum magnitudinem æquantium in cyſti fellea repertorum exemplum adducit. Calculum olivæ majoris magnitudine, nec colore & figura ipſi abſimilem, cæterum æqualem, & drachmam unam pendentem annotavit Carolus Raygerus *ibidem Obſ. 283. pag. 498. ſeq.* & quatuor drachmarum lapidem in Matrona vidit *idem An. 4. Obſ. 11. p. 16.* Novem calculos ex viridi nigricantes, leviſſimi ponderis ſaporis amaricantis, & in his tres magnitudine nucis moſchatæ minoris in veſicula fellea geſtavit chirurgus Gorlicenſis, Franciſcus Segerus juxta Ehrenfridi Hagendornii *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Hiſt. 8. p. 166. & Hiſtor. 40. p. 209. ſeq.* Calculos numero nonaginta duos Anno 1661. obſervavit Profeſſor Gröningamus, Eſſonius. *v. M. N. C. Dec. I. An. I. Append. p. 22.* In Balſamatione Papæ Clementis Octavi duos lapillos in veſicula fellis repertos ſe poſſidere dicit D. Faber, Medicus Romanus, vid. Joh. Hornung. *Ciſt. medic. Epiſt. 68. p. m. 187.* Item in Innocentii X. veſicula bilis duo calculi juglandis magnitudine fuere reperti, vid. Ph. Jac. Sachſ. *Gammarolog. p. 901.* In mulierculæ veſicula fellea plus quam nonaginta calculi, magnitudine fabarum, anguloſi ſeu figurarum irregularium, tactu molliuſculi, & qui in aqua calida pæne toti colliqueſcerent, ſunt reperti, vid. Thom. Bartholin. *Cent. III. Epiſt. 85. p. 362.* Idem Autor etiam in ſplenetico veſicam bilariam grumis nigricantibus lapillisque piſorum magnitudine plenam annotavit *in Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 80. p. 116.* Et *Cent. II.*

Hiſtor.

Hiſtor.54. p.234. mentionem facit feminæ 1642. a Veslingio diſſectæ, cujus veſicula fellis nullo bilis colore tincta liquorem ſolum bili dilutæ ſimilem continebat cum lapidibus quinque magnitudine nucis avellanæ, figura Mathematicorum corpora pentagona repræſentante, quorum ſuperficies exterior glabra, color ſubcinericius, interior vero ſubſtantia ligno putri flaveſcenti perſimilis. His infiniti minores addebantur, figura ſeminum cnici, leves & molles, &c. In Comitiſſa quadam Anno 1695. Viennæ non ſolum bilis in ſua veſicula naturalem ſuam formam & ſubſtantiam exuit, ſed ejus loco materia mucoſa & viſcida cum tribus ſolidis duritiem coctis & coagulatis atris & ſplendentibus lapillis, quorum quilibet ſua magnitudine nucem moſchatam referebat, reperta fuit, juxta Eberh. Gockel. *Gallicin. Obſ.99. pag. m. 611. ſeq.* Quatuor calculos cubis haud abſimiles in Andreæ Petermanni, Profeſſoris Lipſienſis folliculo felleo obſervatos legimus in ejusdem Filii, Benjamini Benedicti Petermanni *Obſerv. medic. Dec. II. Obſ. 10. pag. m.* 42. Inſignem calculorum numerum in Sereniſſimi Wirtembergæ Ducis, Wilhelmi Ludovici, cyſtide fellea Anno 1677. fuiſſe repertum, videmus in Godofr. Steinii *Litholog. curioſ. §. 25. p. m. 28.* In militis cujusdam veſica biliaria calculum unciam fere ſemis pendentem obſervavit Johannes Jacobus Martini, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 194. p. 385. ſeq.* Johannes Dolæus quinque calculorum in veſicula fellea repertorum meminit, qui in aquam injecti fundum petiere, contra naturam aliorum ejusmodi lapillorum, in veſicula fellis repertorum. Hos ulteriori examini ſubjicientes invenerunt, eos omnino ex ferro conflatos eſſe, nam rubiginem repræſentarunt & magnetis attractionem, vulgo ita dictam obſecuti ſunt. vid. Dolæi *Epiſt. IV. ad Joh. Jac. Waldſchmid. p. m. 253.* In ductu cyſtico viri aſcitici calculus occurrebat Friderico

Ruyſchio,

Ruyſchio, vid. *Obſ. 87. p. 112.* Duos calculos, alterum magnitudine ovi columbini, alterum vero paulo minorem reperit Georgius Baglivus: ambo hi calculi fuere duri, nigri & ſcintillas veluti emittentes, quaſi eſſent congeries nitri ſatis cryſtalliſati, v. G. Bagliv. *de Fibra motric. pag. m. 214.* In Medici cujusdam Cæſarei veſica fellea ſeptuaginta duo lapilli, coloris flavo-ſubnigri, fabarum minorum ac piſorum magnitudinem adæquantes reperti fuerunt, vid. Nicol. Guil. Beckers Obſervationem in *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 44. p. 134. ſq.* In Principis Naſſovici Hadamarenſis folliculo fellis repertus fuit calculus unciæ unius ponderis, teſte Johanne Dolæo, *ibidem An. 9. & 10. Obſ. 139. p. 311.* In Johannis Schuderi, Conſiliarii Saxonici, veſica fellea reperiebantur octo calculi, quorum maximus magnitudine nucem juglandem æquabat, & præter hos adhuc centum & ſeptem calculi in veſica urinaria deprehendebantur. vid. Johann. Weickmann. *Relation. de Morte Joh. Schuder. p. m. 24.* vid. etiam Gottf. Nicolai *Muſæum Curioſ. a Chriſt. Warlizio edit. Claſſ. 1. de Calcul. A. 2.* Supra centum & quinquaginta calculi, quorum maximus nuclei caſtaneæ majoris, medii autem piſi phaſeolique, minimi denique lentis magnitudinem æquabant, in Ungari cujusdam cyſtide fellea ſunt reperti. Præterea ex reliqua ſaburra adhuc ultra quingentos minores, & ſic in univerſum plures, quam ſeptingenti calculi fuere collecti, teſte Chriſtiano Menzelio *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 81. p. 421.* De calculo felleo totam cyſtim replente, pondere trium drachmarum, vid. Obſervatio Sebaſt. Schefferi *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 152. p. 297.* Idem Schefferus etiam calculum formæ ovalis, pondere fere unciæ dimidiæ in femina quadam obſervavit, atque delineavit *ibidem Dec. I. An. 4. & 5. App. p. 303.* Calculos duos & viginti, quaſi ſubluteos, magnitudine diſpari, quorum minimi piſis minutis, maximi modicis fabis re-

Litholog. S ſponde-

ſpondebant, cum quinque ſeptem aut pluribus etiam angulis in Badehornio repertos depingit Johannes Kentmannus *l. a. p.* 7. Veſiculam felleam calculoſa cruſta obductam obſervavit Fridericus Ruyſch *Obſ.* 31. *p. m.* 40. Calculos duos majuſculos mole nucis moſchatæ & tres dimidio minores, omnes figuræ cubicæ in matrona annotatos communicat Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ.* 59. *Schol. p. m.* 242. Veſicula bilis calculo inſtar longæ nucis moſchatæ repleta in Roberto Boccone fuit reperta. vid. *Nouvelles de la Republ. des Lettres, Avril.* 1687. *p. m.* 394. In Baroniſſa Bohæmica duos calculos rotundos, flavos, ſcabroſos, glandem ſclopeti fere æquantes præter alios minores reperit Dobrzensky *M. N. C. Dec. I. An.* 1. *Obſ.* 129. *p.* 288. Ejusmodi calculum cum quatuor aliis majoribus & minoribus diverſæ figuræ in viro quodam Reverendiſſimo repertos delineat Henricus Vollgnad *ibid. An.* 4. & 5. *Obſ.* 169. *pag.* 225. *ſq.* Grandem ſatis & ſingularis figuræ calculum arcte atque tenaciter veſicæ bilis adhærentem obſervavit Joh. Frid. Huldenreichius *l. a. An.* 6. & 7. *Obſ.* 120. *p.* 325. Plus quam quadraginta variæ magnitudinis calculos, friabiles tamen omnes, reperit Johannes Schmidius *ibid. An.* 9. & 10. *Obſ.* 55. *Schol. p.* 144. Non ſolum in veſica fellea fœminæ cujusdam ſexagenariæ multi reperti ſunt calculi, ſed etiam in meatu a veſica bilis ad inteſtinum duodenum magnus meatumque undiquaque obſtruens calculus deprehendebatur; juxta Volcher Coiter. *Obſerv. anat. Chir. fol.* 122. ubi addit, ſe in fellea veſica duos inſignes lapides cæruleos inveniſſe, quorum alter quaſi ovi columbini magnitudinem adæquaſſet. Decrepitum in iram mire propenſum poſt deceſſum ſine felle ac ſine cyſti inventum, in cujus ſede calculus ingens concreverat, allegat equidem Joh. Fernelius *Patholog. Lib. VI. cap.* 5. *p. m.* 142. Circa hanc tamen hiſtoriam admonet oculatus Schrœckius, forte

membraneum illud folliculum a calculo ingenti extenſum admodum attenuatum atque agglutinatum, minus curioſis obſervatoribus, ac ſi abeſſet, impoſuiſſe, vel una cum liquore ſuo billioſo in calculoſam duritiem concreviſſe, vid. Luc. Schrœck. *Schol. in Joh. Helwig. Obſ. 1. p. 253.* it. Theophil. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Part. I. Lib. III. Sect. 19. c. 27. fol. m. 663.* Duo lapilli nigelli, aliquantulum tamen ex flavo obſcure virideſcentes, læves, niſi quod in utroque lineola quædam decuſſatim, quaſi inciſa appareret, non friabiles nec tamen etiam nimium duri, intus paulo magis flaveſcentes, in hortulani uxoris, a marito interfectæ, veſicula fellis reperiebantur; quorum major exacte quaſi fabam referebat, & grana tria & quadraginta, minor autem triginta octo pendebant. vid. *Nov. Literar. German. A. 1703. Menſ. April. p. m. 156.* Ubi utriusque lapidis figura exhibetur. Plura ejusmodi exempla ubivis reperiuntur collecta. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 44. Schol. p. 135. ſeq.* Joh. Helwig. *Obſ. med. Obſ. 81. p. 251. ſeqq.* Chriſtian. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 60. pag. 1098. ſeq.* Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. III. fol. m. 419.* Matthias Unzerus de Nephritid. *p. 37.* Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 2. p. 107. ſeqq.* Steph. Blancard. *Anatom. pract. Cent. I. Obſ. 47. p. 150. Cent. II. Obſ. 24. p. 309. & Obſ. 34. p. 328.* Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pr. Obſ. VI. p. 44.* In Comite, Thoma Arundelio veſicula fellis fuit ſabulo plena, tartareæ cujusdam ſubſtantiæ, ſplendidæ atque ex flavo nigreſcentis. vid. Georg. Hieron. Velſch. *Epiſagm. Obſ. 65. p. 40.* Ex folliculo fellis Henricum Florentium Anno 1618. Lugduni Batavorum centum & viginti quatuor calculos quadratos, ejusdemque fere magnitudinis & craſſitiei, cinerei coloris, extraxiſſe, refert Johannes Dolæus *Encyclopæd. Med. Lib. III. cap. 13. p. m. 592.* In cadavere cujusdam Venetæ veſiculam felleam calculo inſtar

cryſtalli pellucido repletam & diſtentam, ſe reperiſſe ſcribit Johannes Scultetus *Armament. Chirurg. Part. I. Obſ. 48. p. m. 61.* Anno 1717. in Illuſtri & Generoſo Viro veſica fellea erat conſtricta parum bilis continens, & nonnullos minutos calculos, quorum tres magis conſpicui erant, ex his maximus referebat magnitudine fabam, pendens circiter ſcrupulum, figura tamen anguloſa & colore ſubviridi, juxta *Act. Medic. Berolin. Vol. II. p. 78.* In Baroniſſa quadam vigeſimum quartum fœtum geſtante, veſica fellea tota calculis repleta fuit, ut eximerentur calculi numero triginta ſeptem, colore non conſueto fuſco præditi, ſed potius albo variegato ſplendente, *weiſsmarbrit*, vid. *ibid. Vol. V. p. 90.* Horatii Albani, Clementis XI. Pontificis, germani fratris cyſtis fellea figura erat non pyriformi, ſed fere cylindrica, & colore non flavo, ut paſſiva ſolet, ſed albo prorſus. Diſſecta ſeptem lapides inæqualis magnitudinis, & quaſi cubicæ figuræ continebat &c. vid. Joh. Mariæ Lanciſ. *Epiſtol. de Morb. Horat. Alban. Ephemerid. Academ. N. C. Cent. III. & IV. App. p. 9.* Mulieris 42. annorum, ad iram pronæ, veſicula fellea craſſitiem corii cervini habebat, in qua nec una gutta bilis erat, ſed lapis tam arcte incluſus, ut vi debuerit extrahi. Hic lapis ab initio cæruleus fuit, cum punctulis rubris, uti trutta, poſt exſiccationem vero albus erat, tactu pinguis, ex meris granulis compactus, pondere levis: licet enim magnitudinem ovi columbini fere ſuperaret, pondus tamen ipſi ſaltem drachmæ unius erat, referente Johanne Adamo Göritzio *Ephem. A. N. C. Cent. VIII. Obſ. 20. p. 283.* In aſthmatici cujusdam veſicula fellis calculus magnitudine nucis juglandis repertus eſt, pendens drachmas quatuor, vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 33. p. 76. ſeq.* Calculos quinquaginta ſeptem piſorum majorum magnitudine, at non rotunda, ſed triangulari potius ac quadrangulari figura, in veſicula

fellis

fellis Reverendiſſimi cujusdam Præſulis, repertos fuiſſe ſcribit Johannes Adamus Lospichlerus *Ephemerid. Acad. N.C.Cent. I. & II. Obſ. 152. p. 317.* Triginta quinque calculos in veſica fellea infanticidæ cujusdam obſervavit Adamus Brendelius *Obſervat. anat. Dec. I. Obſ. 6. p. 20.* In fellea cyſti lapillos diverſicolores multiplicesque reperiri, nec aliis, nec mihi latuit, albos ſiquidem, citrinos, nigros atque rubeos adinveni, ſcribit Cecilius Folius in Thom. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. I. Epiſt. 62. p. 254.* In Nicolai Meisneri uxore veſicula fellis plane exſiccata reperiebatur, & in ſex flavos lapides, friabiles tamen, concreta, qui loco fellis in cavitate continebantur, obſervante Johanne Tackio *Chryſogon. animal. & miner. pag. 30.* Et in Celſiſſimi Principis ab Auerſperg cadavere aperto, equidem reperta fuit cyſtis fellea, econtra omnino bile deſtituta, locoque ſolitæ bilis quatuor lapillis marmoris ad inſtar ex fuſco & albo variegatis, conſiſtentia non admodum duris, mole ſua caſtaneas mediocres adæquantibus, adeo referta, ut prorſus nullus ſolitæ bili recipiendæ locus ſuperfuerit, teſte Marco Gerbezio *Ephemerid. Acad. N.C. Cent. I. & II. Obſ. 57. p. 128. ſeq.* In puella viginti quatuor annorum cachectica veſica bilaria in magnitudinem monſtroſam, imo ad crepaturam usque extenſa, & in ipſa calculus orbicularis figuræ, ſuperficie donatus tuberoſa, albicantis coloris reperiebatur, qui ita obturaverat veſicæ collum, cum annexo ductu cyſtico, ut ne bilis quidem guttula e cyſti in ductum expelli potuerit. vid. Maurit. von Revenhorſt *Diſſert. de Motu Bilis circular. §. 57. p. 47.* Idem Autor etiam in muliere triginta annorum cyſtim felleam, tactu duriuſculam & octo diverſæ, ſed notabilis magnitudinis, calculis refertam reperit atque delineat *§. 55. p. 45. ſeq.* Item *§. 52. p. 42. ſq.* in cadavere poros bilarios mirum in modum ampliatos & hinc illinc cruſta calculoſa obſeſſos vidiſſe dicit.


Et *§.56.pag.46.* viri honeſtiſſimi meminit, & quidem octogenarii, ex cujus veſica bilaria centum & quadraginta calculos diverſæ magnitudinis & figuræ extraxit. In exenteratione Epiſcopi Bambergenſis reperiebatur bilis in folliculo fellis in calculum drachmæ unius & dimidiæ ponderis, mutata, ſecundum Johannis Matthiæ Neſteri Epiſtolam in Chriſtiani Frider. Garmann. *Epiſtol.88. p.369.* Uxoris cujusdam centurionis poſt obitum apertæ veſicula fellis diſtendebatur lapillis, decem majoribus & aliquot minoribus, fruſta Gummi Guttæ referentibus. Unus etiam lapillus majoribus ſimilis in ductu hærebat cholidocho, cruſta alba obductus. Hi omnes lapides ponderabant uncias tres. Cæterum capſula vix unam alteramve guttam liquoris continebat, recenſente Johanne Theodoro Mœren *M. N. C. Dec. III. An.7. & 8. Obſ.123. p.203.* Scribit etiam Joſephus Lanzonus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſ.62. p.144.* in Phthiſico Anno 1697. extincto totum ſuccum felleum ſaxeum reperi; ſecta enim cyſtide, calculus pyriformis viridis coloris extractus eſt, quem conſervavi usque in menſem Novembrem, qui, Euro ſpirante in viridem liquorem ſponte eſt diſſolutus. Evolvi inſuper poteſt Joh. Wier *Oper. Lib. IV. cap. 16. pag.m.315. ſeq. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Obſ.53. p.82.* Joh. Lang. *Epiſt. med. Lib. II. Ep.57. p.756.* Conr. Vict. Schneider. *de Catarrh. Lib. III. cap.7. p.237.* Nicol. Venet. *Traité de Pierres p.m.71.* De lapidibus in brutorum cyſtide fellea repertis, vid. infra *Cap. IX.* de Calculis brutorum.

§. 26.

Ex propria quoque Obſervatione ſequentia exempla adducere liceat: In Generoſiſſimi Generalis Saxonici, Domini a Bornſtät, ictero nigro defuncti, veſicula bilis, ultra centum particulas, lentis vel ſeminis cannabini præter propter magnitudine, reperire mihi contingebat, quarum plurimæ, dum felli adhuc inhærebant, ſatis molles inſtarque

ſevi

ſevi vel ſaponis erant, ſtatim autem, ac ex dicta bile eximerentur aërique paululum exponerentur, in duros calculos indureſcebant. Alius Vir Generoſus ſexaginta annorum ultimis ante obitum annis non ſolum varia calculi renum atque veſicæ experiebatur ſymptomata, ſed quandoque etiam ſabulorum vel potius lapidum minutiſſimorum alborum copiam cum urina limpida excernebat; poſt mortem autem neque in renibus nec veſica urinaria ullum calculi veſtigium apparebat. Econtra tamen veſicula bilis calculo quodam, ad inſtar olivæ majoris tam quoad magnitudinem, quam colorem, & quidem amaricantiſſimi ſaporis, adimpleta reperiebatur. Item in ruſtici cujusdam, Georgii Scheibii, relicta vidua ſeptuaginta fere annorum, Anno 1712. die 1 Februar. ex infortunio ab aurigæ cujusdam equis & curru in terram proſtrata hincque ſubitaneam mortem perpeſſa (cujus ſectio pro indaganda lethalitatis cauſa a Magiſtratu mihi ratione Phyſicatus committebatur) veſiculam bilis ultra ſolitum & exceſſive longam atque diſtentam, in eaque aliquid durum, unde magnum calculum judicare licebat, offendebam. Cum autem hanc bilis cyſtidem inciderem, non modo maxima fellis copia ex eadem effluebat, ſed tres quoque calculi fuſci, ſeu ex viridi nigreſcentes proveniebant, quorum duo majores ſibi invicem, ut ovum ovo, erant ſimillimi ejusdemque magnitudinis atque figuræ, nimirum inſtar magnarum teſſerarum ſeu talorum, quibus in alveo aleatorio luditur; erant etiam omnes ipſorum anguli adeo obtuſi, ut ludendo ſuper tabula ſatis diu currerent, antequam quieſcerent. Tertius autem dimidiam tantum illorum partem & quidem per transverſum ita adæquabat, ut anguli jam formati pariter obtuſi eſſent. En ipſorum figuram & magnitudinem



§. 27.

§. 27.

In Liene. Neque etiam lien a calculo immunis eſt, ſiquidem in nobiliſſimæ cujusdam mulieris liene lapidem magnitudine caſtaneæ, mollitie alabaſtri, ponderis unciarum duarum, & quinque drachmarum, quaſi ex laminis inſtar putaminum ovorum ſimul involutis concretum obſervavit Thurneiſerus. vid. Isbrand. de Diemerbr. *Anatom. Lib. I. cap. 16. fol. 84.* Andreas Veſalius in civis Patavini liene ſatis exiguo, ſed impenſe duro, ad partem gibbam adipem adnatum, inſtar candidi duriſſimique lapidis concretum ſe inveniſſe ſcribit *in Anatom. Lib. V. cap. 9. fol. m. 394.* Refert etiam Roſinus Lentilius, quod, cum Heidelbergæ Anno 1672. ſtudiis operam locaret, D. Iſrael Medicinæ Profeſſor Dominis oſtenderit calculos binos, ſatis grandes, colore fuſco præditos, figura catulos parvos, quatuor prominentiis ſeu pedibus & capite mentitos, pluribusque aliis ſociatos in liene vetulæ cujusdam, quæ per integros quindecim annos de gravativo ſiniſtri lateris dolore conqueſta fuerat, repertos. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 136. p. 263.* Subſtantiam lienis materia quadam gypſea undique ſcatentem in puella quadam Colonienſi obſervavit Guilhelmus Fabricius Hild. *Obſerv. Chirurg. Cent. II. Obſ. 44. fol. m. 117.* Henricus Rufus *Obſerv. Lazaro Riverio communicat. Obſ. 6. p. 308.* Calculorum in liene genitorum atque per vas breve ad ventriculum atque dehinc per vomitum egeſtorum equidem meminit. An vero iſti calculi ex liene provenerint, res adhuc dubia videtur. In vidua quadam quadraginta quatuor annorum ab Andrea Cnœffelio lien quaſi convolutus calculis plenus fuit conſpectus, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 57. p. 48.* In ovibus non raro concretos calculos ex gypſea materia ſe obſervaſſe, ſcribit Marcellus Malpighius *de Structur. Viſcer. de Lien. c. 1. p. 167.* In furcifero quodam fibræ muſculoſæ juſto molliores &

flacci-

flaccidiores, & viſcera quodammodo corrupta erant, inprimis lien, cujus exterior tunica arenulis quaſi conſperſa videbatur ob induratas glandulas minimas, viſum in ſtatu naturali fugientes, juxta Obſervationem Juſti Friderici Dillenii *Ephem. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Obſ. 45. p. 91.* Lienem quaſi lapidoſum in muliere Alcmariana poſt partum defuncta conſpexiſſe, ait Petrus Foreſtus *de incert. Urin. Judic. Lib. II. cap. 3. fol. m. 199.* Lienem in cadavere cujusdam mulieris tantæ duritiei, ut vix cultro cederet, niſi magna vi intruſo, invenit Thomas Bartholinus, vid. ejusdem *Hiſtor. anatom. Cent. IV. Hiſt. 60. p. 358.* In Sereniſſimi Principis Ferdinandi Alberti, Ducis Brunſuicenſis & Lüneburgenſis, Filiolo unius anni convulſionibus epilepticis defuncto lienem colore lividum & nigrum, ſubſtantia admodum induratum, ſcirrhoſum & fere lapidoſum invenit Matthias Tilingius, vid. *M. N. C. Dec. VI. & VII. Obſ. 133. p. 180.* De liene in fabro lignario a lapſu præter modum indurato vid. Theod. Kerckring. *Spicileg. anat. Obſ. 33. p. 74.* Et in puerulo trienni lienem admodum induratum obſervavit Petrus Pawius *Obſ. anat. 16. p. 29.* Vaccæ lienem plane induratum ac lapillis refertum Roſtochii ſe vidiſſe ait Matthias Tilingius *l. a. Schol. p. 182.*

§. 28.

In pancreate Viraginis Hottentotticæ varios calculos obſervavit chirurgus, cum eam ſtrangulatam proſecaret, uti refert Wilhelmus ten Rhyne *de Promontor. bon. ſpei & Hottentottis cap. 10. p. m. 34.* Illuſtriſſimus Vir Auguſtinus Thuanus habitu corporis melancholico conquerebatur per quadriennium de dolore colico circa regionem inteſtini coli cum ſenſu ponderis ad regionem ſtomachi, dum ſtaret erectus, vel ambularet: Hypochondria vero ei non tumebant, tandem inopinata gangræna correptus a pede dextro ad ſuprema celeriter repente cum diris cruciatibus

intra ſex horas exſpiravit. Aperto cadavere deprehenſum jecur rotundum inſtar ſphæræ, farctum & transfixum gypſea pituita ſevum referente; Pancreas vero amplitudine ſua hepar æquabat, totum ſcirrhoſum, multis globulis ſpecie ovi columbini differtum, juxta relationem Regneri de Graaf *de Succ. Pancreat. Cap. VII. p. m. 584.* Et *pag. 586. ſeq.* hanc Obſervationem recenſet: Anno 1667. Pariſiis nobis D. Gajea chirurgus atque Anatomicus inſignis ſequentem hiſtoriam a ſe tunc pridem obſervatam bona fide communicavit: Nobis triginta circiter annorum, Melancholicus, catarrhis admodum obnoxius, vini ac fructuum horariorum intemperanti uſu incidit in vomitum & diarrhœam, quibus per intervalla ſubſequebatur fluxus ſanguineus, unde vires ejus magis magisque deficientibus decimo die valetudinariam vitam cum morte commutavit. Diſſecto cadavere in pancreate circa exitum ductus pancreatici in inteſtina ſeptem vel octo calculos majoris ciceris magnitudinem habentes reperit. Anno 1591. aperuit Petrus Pawius puerum circiter decem annorum, qui aliquot ante obitum annis continue de dolore in ſiniſtra abdominis parte univerſoque ventre conqueſtus fuerat. Reperit autem Pawius ventriculum admodum exiguum, inteſtina autem mirum in modum diſtenta, & velut inflata; pancreatis corpus glanduloſum fuit adeo durum & exſiccatum, ut primo tangens ingentem ſe percipere calculum exiſtimaret, v. Petr. Pawii *Obſerv. 4. p. m. 8.* In Mercatoris Noribergenſis uxoris pancreate maximus calculus, aſper ac inæqualis, altera parte atro colore tinctus repertus eſt, referente Georgio Abrahamo Mercklino *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 50. p. 79.* De pancreate lapidoſo hanc Obſervationem refert Dominicus Panarolus *Pentecoſt. I. Obſ. 44. p. 27.* Vetula quædam vomitum quotidianum, poſt prandium & cœnam patiens in atrophiam

&

& maciem incidens tandem mortua eſt, ſecto cadavere pancreas ita durum inventum fuit, ut lapidem æmularetur. Ob hanc igitur cauſam, pergit Panarolus, vomitus oriebatur; cum enim pancreas ſit ſtomachi pulvinar, ventriculus concoctionem ob ipſius duritiem celebrare non poterat, ſed indignatum omne, quod accipiebat, vomebat. Antonium Nuckium in pancreate Aſellii magnum lapillum inveniſſe, ex ipſius ore recenſet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. prior. Obſ. 12. Schol. p. 58.* De pancreate utroque, vero ſcilicet & Aſelli ſcirrhoſo maximæque molis, vid. Ger. Blaſii *Comment. in Joh. Vesling Synt. anat. Cap. 4. p. m. 56.* *In Pancreate Aſellii.*

§. 29.

In meſenterio cadaveris muliebris eundem Profeſſorem Nuckium, Cornelio Stalpartio van der Wiel, aliisque artis medicæ peritis præſentibus lapillum inveniſſe, refert idem Stalpartius *l. a.* Puero cujusdam ſutoris in meſenterio inventos fuiſſe calculos, inquit Scholiographus *ad Jacob. Holler. de Morb. intern. cap. 45. p. m. 140. b.* Pet. Foreſtus *Lib. 24. Obſ. 28. p. 461.* In abſceſſu meſenterii tres ingentes calculos, magnitudine amygdalas ſuperantes ac aſperos cum aliis minoribus Anno 1676. in fœmina triginta annorum reperit Georgius Adamus Mercklinus v. *M. N. C. l. a.* Meſenterium in quodam juvene, atrophia conſumpto totum lapidoſum inventum fuiſſe, refert Dominicus Panarolus *Pentecoſt. V. Obſ. 19. p. 156.* Febris lentæ ſedem meſenterii glandulas materia argillacea impletas in enecatis ab hac febre & diſſectis cadaveribus anatomicam detegere experientiam ſcribit Pompejus Sacchus *Nov. Meth. Febr. curand. Sect. II. cap. 3. p. m. 90.* Meſenterium ſcirrhoſum & hinc inde materia gypſea refertum in puella quadam Colonienſi undecenni vidit Guilhelmus Fabricius, Hild. *In Meſenterio.*

Obſ. Chirurg. Cent. II. Obſ. 44. fol. m. 117. In Viri a nimio vini aduſti potu mortui meſenterio abſceſſum lapideum, cujus nempe materia in calculum concreverat inæqualem, offendiſſe ſe ſcribit Juſtus Schraderus *Obſerv. anat. medic. Dec. I. Obſ. 6. p. 192.* De calculis in venis meſaraicis hanc Obſervationem communicat Chriſtophorus Rœslerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 307. p. 528.* Francofurti ad Viadrum duo fratres contabuere & mortui ſunt. In ſectione reperti ſunt lapilli parvi in venis meſaraicis, qui impediere chyli tranſitum. Tertius frater etiam quadriennio poſt ſimili morbo mortuus eſt, niſi quod hic initio febre laborabat. Hanc Obſervationem ita deſcribit Johannes Henen: Tabem & decrementum membrorum totius corporis Francofurti ad Oderam in duobus fratribus, valde doctis Studioſis, qui Dregeri vocabantur, vidi: hi tali morbo onerati, ſine omni tuſſi, toti evaneſcebant, ut nihil, præterquam cutis & oſſa, in illis appareret: Cumque Medici horum defunctorum corpora diſſecare juberent, lapilli minuti in venis meſaraicis jacentes, qui venas meſaraicas adeo obſtruxerant, ut nihil transmeare potuerit, inveniebantur. Deinde quarto anno præterlapſo, tertius quoque frater, Licentiatus Theologiæ, juvenis admodum, eodem fere ex morbo vitam cum morte commutabat. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. II. Sect. 7. cap. 31. fol. 615.* item Conrad. Victor. Schneider. *de Catarrh. Lib. III. cap. 7. p. 247.* In puella, pro phthiſica habita, pulmonibus inſontibus tres in meſenterio repertos fuiſſe calculos, ex Philippo Ludov. Ebeno refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 63. p. 1101.*

§. 30.

In Omento. Omentum durum ac fere lapidoſum ſterilitatem inducens in muliere, quæ in reliquis bene colorata erat, & optima fruebatur valetudine; hoc tamen habebat, ut omentum

tum undique ſatis craſſum, durum ac fere lapidoſum uterum premeret, atque tali duritie maxima omenti uterus tactus diſtendi non poſſet, & ſic genituram projiceret, obſervavit Dominicus Panarolus, & quidem tangendo mulieris alvum, vid. ipſius *Pentecoſt. III. Obſ. 10. p. 68.* Calculum etiam vel ægagropilum rotundum, durum & quodammodo oſſeum, ſolidum nec ulla cavitate præditum ex omento rupicapræ ab amico accepit Georgius Hieronymus Velſchius, de quo vid. *ipſius Diſſert. II. de Ægagropil. p. m. 12.* Alios duos ſuas inter reculas curioſas ſervat Lucas Schrœckius, ex omento itidem rupicapræ exciſos, unum rotundum, pellucidum, glabrum, flavedine paululum tinctum, grana tria pondere parum ſuperantem, ſolidum & humorem oculi cryſtallinum fere repræſentantem; alterum itidem rotundum, ejusdem cum præcedente coloris, non ejusdem tamen pelluciditatis, ex laminulis laxius cohærentibus compoſitum, & undecim grana ponderantem &c. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 33. Schol. p. 77.*

§. 31.

De calculo inter duplicaturam peritonæi a Johanne Baptiſta Lambswerde obſervato ſequentem Obſervationem refert Johannes Theodorus Mœren *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 128. p. 251.* Nolui, inquit, Obſervationem conticere, quam ad me nuper ex Agrippinarum Colonia ſcripſit magnæ famæ & ſcientiæ Vir, Johannes Baptiſta Lambswerd his formalibus: A quatuor diebus aperui cadaver fœminæ miſere per annum decumbentis, &, ut vulgo fertur incantatæ, ſed inveni ſacculum plenum calculis & arenulis inter duplicaturam peritonæi circa ejus glandulam enatum lumbaribus muſculis annexum; major ex illis pendit libram unam & uncias quatuor. Tumor tantus erat in abdomine, ut ſe primo gravidam, ut & poſtea ejus Medicus fœtum mortuum in utero laten- *In Peritonæo.*

tem putaret, ſed Culter Anatomicus noſter veritatem detexit.

§. 32.

Ex Ventriculo per Vomitum. Ex ventriculo per vomitum calculos rejici, quandoque etiam poſt mortem in eodem reperiri, Medicorum Obſervationes abunde teſtantur. De lapidibus vomitu rejectis exemplum ſequens præbet Johannes Viridetus *de Prim. Coction. Part. II. cap. 1. p. m. 230. ſeq.* Magnos & numeroſos lapides Margareta Lamœra apud Bernates adhuc vivens tum per inferiora & ſuperiora emittit: Lapidicina hæc ventriculi Anno 1680. ſui per vomitum indicia dedit cum fragore lapidum allidentium in hypochondrio interpolatis vicibus, poſtea exiere tunc ternis aut quaternis ſeptimanis per alvum cum diris cruciatibus, lapillos excrevit albicantes, rufos, griſeos, tophaceos, ſilices æmulantes; penesque me eſt calculus tophaceus, tamen non levis, aſper, quem nuper excluſit. De hac Lauwera prolixius egit Sigismundus Kœnig in Epiſtola ad Robertum Hoock, cujus excerptum exhibent *Acta Erudit. Lipſ. An. 1682. menſ. Novembr. pag. 338. ſeqq.* ubi non ſolum cliſma injectum horæ intra quadrantem ſed etiam lapillorum, inſtar tophi, quantitatem, ad unciam ſemis, nullis unquam excrementis permixtis, per os rejeciſſe legitur. Propinabantur ex pulpis decocta ſolutiva, quæ tamen cuncta cum juſculis, aut aliis aſſumptis vomendo quantitatem lapidum, mox duriorum inſtar ſilicis, & fruſta corticum marmori albo ſimillima duriſſima rejecit. Fragor invicem allidentium lapidum vel admota manu, vel citato vomitu audiebatur, ac in enixu ſæpius obſervatum, lapillos confractos ab aliis intus reſtantibus avulſos eſſe, &c. vid. etiam Joh. von Muralt, *Chirurg. Schrifft Obſ. 207. p. 675.* In Curlandia Vir ſexagenarius per aliquot annos calculos diverſæ magnitudinis, nullo tamen piſum excedente, per vomitum rejecit, tabe denique confectus & mortuus, annotante Roſino Len-

tilio

tilio *M. N. C. Dec. II. An. 7, Obſ. 136. p. 262.* quo loco tales calculos, inſtar ſalis tartari ex albo viridiuſculos ſibi adhuc ad manus eſſe addit. Quendam Virum lapidem nucis juglandis magnitudine evomuiſſe, ait Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. 13. cap. 22. fol. m. 242.* De multis lapillis vomitu rejectis ab arthritico ſequentia refert Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 30. p. 39.* Curioſum narrat Iſaac Caſaubonus de arthritico quodam, e cujus corpore plus lapidum extractum fuerat, quam ipſe penderet. Egoque in arthritico quinquagenario nuper excretos vidi multos lapides albos, mediante vomitu, poſt diros ſtomachi cruciatus exeuntes. Mihique ipſe patiens narravit, ſe etiam, cum annum trigeſimum ageret, quantitatem fere ſimilium lapillorum per vomitum ejeciſſe. Johanni Jacobo Wenceslao Dobrzensky ſutoris cujusdam uxor duos calculos, amygdalæ magnitudinem, figuram & colorem repræſentantes monſtravit, quos dicebat, poſt diuturnos ventriculi dolores, anxietates, inappetentias, tandem vomitivi uſu ſe ejeciſſe, ex eoque tempore ab omnibus moleſtiis liberatam fuiſſe. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 181. p. 278.* Et in Scholio hujus Obſervationis refert Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb, Laurentium Scholzium, cum Patavii degeret a D. Comaſco audiviſſe, quod in triremi mancipium quoddam lapidem magnum, duriſſimum, oblongum, per vomitum excuſſerit, & ob id ab omnibus cruciatibus & ſtomachi doloribus liberatum fuerit, vid. etiam Sachſii *de Mirand. Lapid. Natur. p. 150.* E puella incantationis ſuſpecta lapidem pondere trium drachmarum vomitu prodiiſſe refert Georgius Abrahamus Mercklinus *Syllog. Caſuum Incantat. Caſ. IX. p. m. 70.* Puella Venetiis viginti quinque annorum calculos formæ diverſæ & magnitudinis cum lotio excrevit, quibus ſimiles etiam vomitu ejecit, juxta Henr. a Moinich. *Obſerv. 10. p. 41.*

p.41. in cujus Obſervationis Scholio Joſephus Lanzonus annectit, ſe Ferrariæ Anno 1682. cum Johanne Baptiſta Juſtino, Præceptore ſuo, virginem obſervaſſe, quæ per vomitum multos lapillos coloris cærulei excreverit, & ſic a ſtomachi continua paſſione liberata fuerit. De puella, quæ poſtquam diu dolore ventriculi vexata fuiſſet, tandem lapides duos, fabæ magnitudinis & formæ fere, per vomitum una cum aliis cibis evomuit brevique convaluit. vid. Guilh. Fabric. *Obſerv. Chirurg. Cent. VI. Obſ. 22. fol. m. 521.*

§. 33.

In Ventriculo. Quoad calculos in ventriculo poſt mortem repertos ut aliquot exempla adducamus; de continuo ventriculi dolore, tumore, nauſea & inappetentia conqueſta fuerat fœmina, in cujus aperti ventriculi fundo lapilli ſunt inventi, nullo cohærentes vinculo, ſed granorum pomi inſtar ſeſe mutuo complectentes, tam copioſi, ut binas volas manus implerent, teſte Wolffgango Hœfero *Hercul. Medic. Lib. III. cap. I. p. m. 169.* In Comitis Georgii de Oppersdorff ventriculo Anno 1649. calculus dimidii pollicis magnitudinem æquans inventus fuit, uti refert Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Lib. I. cap. 14. p. m. 292.* Vir quidam nonagenarius a trigeſimo vitæ anno usque ad ſeram ætatem ſingulis diebus, horis matutinis, hauſtum aquæ frigidæ ſcaturientis biberat, nullaque notabili ægritudine ab illo tempore unquam infeſtatus fuerat, talemque aquæ potationem tam ſuæ ſanitatis, quam vitæ longævitatis cauſam haud minimam extitiſſe Vir ille ſibi perſuaſerat. Tandem ubi paucis ante mortem diebus acerbum dolorem circa ventriculi regionem perceperat, in ejus, poſt obitum diſſecti, fundo calculus nucis avellanæ magnitudine repertus eſt, reliquis viſceribus omnibus optime conſtitutis, ſecundum Obſervationem Simonis Schulzii

M. N. C.

M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 86. p. 142. Calculos plures, quam triginta, fundo ventriculi pertinaciſſime adhærentes extraxiſſe Johannem Bilgerum, vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. Medic. Centur. III. Ep. 8. p. 37.* vid. etiam Gregor. Horſt. *Oper. med. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 238.* De calculo magno & oblongo poſt maximos dolores in defuncti cujusdam ventriculo invento, vid. Stephan. Blancard. *Collect. med. phyſic. Part. II. Cent. 5. Obſ. 51. p. 86.* Et in ejusdem Autoris *Anatom. Pract. Obſ. 72. pag. m. 203. ſeq.* Nobilis cujusdam mentio fit, in cujus ventriculo plusquam triginta lapides tum majores, tum minores reperti fuere. In Æramentorum fuſore quinquagenario, qui de capitis & ventriculi doloribus, inappetentia febrique continuis fuerat conqueſtus, laterem quaſi perdurum & excoctum in ventriculi fundo prope pylorum obſervavit Johannes Baptiſta Contulus, Medicus Bononienſis, v. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. menſ. Sept. p. 397.* Sacculum ventriculo annatum & lapidibus refertum conſpexiſſe Helmontium, refert Godofredus Mœbius *Phyſiolog. Cap. 10. p. 137.* Plura exempla reperire licet in Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 7. fol. 781. ſeq.* Chriſt. Frid. Garman. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 58. p. 1096.* Marcell. Donat. *de med. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 30. p. 520.*

§. 34.

Quod autem hactenus de ventriculi calculis diximus, *In Inteſtinis.* illorum ſcilicet quosdam a viventibus adhuc per ſuperiora ſeu vomitum rejici, quosdam vero poſt mortem demum in ventriculo adhuc reperiri, idem etiam de inteſtinorum calculis monendum venit, alios videlicet a vivis per inferiora ſeu alvum excerni, alios vero in defunctorum inteſtinis in ſectionibus deprehendi. Calculos autem variæ magnitudinis in viventibus per alvum exitum quærere, nos docet aliorum Autorum & propria experi-

entia. Juvenis enim excarnis, calidiſſimi temperamenti, ſicca & exuſta excrementa deponens, in imo ventris dolorem experiebatur immanem; Uno die, alvinas fæces aqua diluens invenit quinque lapillos duriſſimos, quorum duo lentis, tres ciceris magnitudinem ſuperabant, ad albicantem colorem declinantes. Poſt tres dies ventris dolor excretis ſex calculis ex toto mitigatus eſt. Dehinc ingenti cum ilium dolore per ſedem expulit calculos tres rotundos, avellanarum inſtar, valde compactos, cineritii coloris. Ibidem etiam dictus Autor ex alius Medici Epiſtola narrat, quendam ægrum habuiſſe diarrhœam diuturnam, quæ tandem excreto lapide quadrato & tenui, qui ungvem digiti pollicis repræſentabat, omnino curata eſt. vid. Zacutus Luſit. *Prax. med. admir. Lib. III. Obſ. 133. ſ. m. 137. ſeq.* De lapide magno inteſtinali lumbricis prægnantes, per anum excreto Obſervationem communicat Chriſtianus Erneſtus Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 197. p. 393. ſeq.* Uxor ſcilicet venatoris, cum tempore quodam violenter nimis & incaute corpus extenderet, eo ipſo momento dolorem acerbum, ruptorium quaſi in hypogaſtrio ſiniſtro ſentiebat, qui dolor indies augebatur, donec poſt novem annos ex ſede ſua hactenus fixa moveri & transverſim per abdomen, verſus lumbos tendere accurate ſentiebatur, moxque magna cum vehementia dolorisque exacerbatione mulier ſemi mortua quaſi lapidem ano egerebat, qui magnitudine pugnum fere æquabat, oblongus inſuper erat durus & ponderoſus, in utraque extremitate foramen, digiti craſſitie exhibens, per quod lumbrici numero ſeptem, calamum ſcriptorium craſſi, ad unius vel duorum digiti articulorum longitudinem vivi propendebant, &c. Margaretam Lauweram, cujus paulo ante meminimus, non ſolum per vomitum, ſed etiam per alvum cum diris cruciatibus lapillos albicantes, rufos, griſeos, tophaceos

excre-

excreviſſe ex Joh. Viridet *de Prim. Coction. Part. 2. cap. 1. p. 230. ſeq.* adduximus. Colicam diuturnam & exquiſitam calculorum ducentorum & triginta trium per alvum excretione finitam ſopitamque videmus in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Obſ. 47. fol. 236. ſeqq.* Quo loco etiam uxorem molitoris cujusdam ad centum & quinquaginta lapides excreviſſe legimus. Ibidem etiam Johannes Bilgerus calculi, magnitudine pomi majoris, cui quaſi cacodæmonis facies erat inſculpta, a Lithotomo ex ano exempti meminit. Mauritium a Thimen multos calculos, & quidem ſingulis menſibus ultimo quadrante aliquot absque moleſtia per inteſtina ejeciſſe, refert Johannes Kentmannus *de Calcul. Obſ. 9. p. 13. b.* ubi hos & alios ejusmodi calculos depingit. Calculum ad ovi gallinacei magnitudinem ab Exc. Frizimelica colico dolori obnoxio excretum ſe vidiſſe teſtatur Hieronymus Capivaccius *Pract. medic. Lib. III. cap. 13. p. m. 601.* vid. etiam Hier. Mercurial. *de Excrement. Lib. II. cap. 4. p. 143.* Lapidem ad ovi gallinacei magnitudinem Comitis Marci Taurelli ſcribam in colico dolore excreviſſe, ait Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 30. p. 525.* quo loco ita pergit: mirabilius multo, quod per ſedem ſimiliter exciderit fœminæ vetulæ prægrandior lapis omnino rotundus, ſaltem ovali ſpecie, foris partim fuſcus, partim ater, veluti ambuſtus, quem cum perforare paululum attentaſſem, diſſiliens in duas partes intus ſubſtantiam inſtar vitri purioris aut cryſtalli pellucidam multis ſtriis atque radiis in unum centrum confluentibus. Inquit etiam Fridericus Ruyſchius *Theſaur. anatom. II. p. m. 82.* Quantumvis inter Medicos reperiantur, qui aſſentire nolint, calculos per alvum excerni, veritati tamen conſentaneum eſſe nullus dubito, quandoquidem expertus ſum, mulierem judaicam, inter cætera mala, ſcilicet fluore uterino, colica ſtomachi &c. laborantem poſt uſum hauſti purgantis a D.

Rocamora præſcripti, calculum rejeciſſe ingentem, quem mihi monſtraverunt patientis maritus & conſanguinei. Calculos duos unciam fere ponderantes & colore albo donatos a muliere per alvum excretos penes ſe habuiſſe refert Johannes Viridetus *l. a. p. 230.* Calculos prope quinquaginta a muliere per anum ejectos vidiſſe Johannem Arculanum, refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Cent. I. Obſ. 12. Schol. 58.* de Virgine, quæ febre laborans ne tantillum medicamenti aſſumere cogi poterat, ſola aqua per quatuordecim dies contenta, denique per guttur inferius ultra mille lapillos nucleis Meſpilorum, vel mali aurei non abſimiles egeſſit, licet antea nihil quicquam ejusdem fructus comederit. vid. Obſervatio Georgii Abrahami Mercklini *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 96. p. 221.* Senex quidam ſummo dolore inteſtinorum laborans pondusque in inteſtinis ſentiens poſt enemata magnam vim lapidum excrevit. vid. Jul. Cæſ. Scalig. *de Subtilit. Exercit. 108. §. 3. pag. m. 395. ſeq.* Mariottus Palla, pharmacopola, poſt vehementes inteſtinorum cruciatus lapidem inſtar columbini ovi alvo projecit, teſte Antonio Benivenio *de abdit. Morbor. Cauſ. Cap. 19. pag. 167.* Vir quidam Nobilis, quoties alvum exonerabat, calculos inæquales, faſtigiatos, cineritios, per plures annos cum excrementis dejiciebat, vid. Lazar. River. a Rufo communic. *Obſ. 4. p. 307.* Materiam tophaceam & calculoſam ſæpiſſime per alvum reddidiſſe matronam diu colico dolore intenſiſſimo vexatam, ex ore Benedicti Sylvatici refert Thomas Bartholinus *Hiſt. anat. Cent. III. Hiſt. 75. p. 151.* alia exempla vid. apud eundem *Cent. IV. Hiſt. 11. p. 230. & Hiſt. 49. p. 335.* Tres calculos nucis juglandis forma per anum excreviſſe Scipionem Peluſium, narrat Marcus Aurelius Severinus *de recondit. Abſceſſ. Natur. p. m. 260.* Scotus quidam quatuor ſeptimanarum ſpatio ducentos calculos & plures per alvum excrevit, teſte Paulo Barbette *Anatom. practic. cap. 2. p. m. 123.*

Bina

Bina exempla, alterum de viro, alterum de matrona, quotidie & fere cum ſingulis dejectionibus alvinis, calculos, nonnunquam friabiles, nonnunquam duriuſculos, per multos annos excernentibus, recenſet Simon Schulzius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 136. p. 220.* Idem Schulzius etiam *l. a. An. 4. & 5. Obſ. 125. p. 136.* juvenculæ cujusdam viduæ meminit, quæ poſt atrociſſimos infimi ventris dolores per inteſtina excrevit lapidem, ovi columbini majoris magnitudine, verum angulari forma, unum, & dein partitis vicibus ultra viginti minores, triangulares, quadrangulares, rhomboides & pentagonos cunctos cineritii coloris, tartaro ſimiles, qui poſt excretionem parum friabiles erant, tempore autem duritiem acquirebant. Uxor civis Durlacenſis gravida poſt magna ventris tormina excrevit tria calculi fragmenta coloris cineritii, ſubſtantiæ raræ & ſpongioſæ, magnitudine dimidii ovi, conjunctis nimirum tribus partibus ponderis dimidiæ unciæ. vid. Joh. Matthæi, Heſſ. *Quæſt. med. Obſ. 2. p. 129.* Lapillos duos duriſſimos, ponderis ſingulorum unius Unciæ, a Matrona Eliſabeth Goffredi per alvum ejectos, atque inteſtinorum muco ita compactos, ut vix malleo confringi potuiſſent, obſervavit Dominicus Panarolus *Pentecoſt. V. Obſ. 12. p. 148.* Plura exempla vid. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 74. pag. 90. ſeqq.* Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract. Obſ. VI. p. 40. & 43.* Poſt lapidis nephritici collo per tempus appenſi uſum Mercator quidam Lipſienſis tantam ſabuli ſubalbidi ac craſſi copiam, quanta dimidia pars ovi anſerini vacua vix capax exiſtit, per alvum excreviſſe legitur apud Joh. Rudolph. Camerar. *Memorab. med. Cent. VIII. ſ. 35. p. 568. 570.* Perilluſtris Matrona Hildeſiæ ab uſu Pilularum e Gummatibus Franciſci Sylvii cum excrementis lapidem ovi columbini formam referentem, in exteriore ſuperficie ſubcinereum, & dum clavo ferreo in duas partes æquales

 diffrin-

diffringeretur, interius inſtar cryſtalli albicantem & rutilantem exturbavit, teſte Johanne Henrico Brechfeldo *Actor. Hafn. Vol. I. Obſerv. 100. p. 203.* Calculos novem angulosos, flavos, nec oppido duros a fœmina excretos obſervavit Olaus Borrichius *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 65. p. 158.* De Virgine poſt diuturnos cruciatus calculum magnitudine nucem juglandem ſuperantem eumque aſperum & inæqualem ejiciente, vid. Georgii Abrahami Mercklini Obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 50. p. 78.* Et Nicolaus Guilielmus Beckers *ibid. Obſ. 70. p. 118.* quatuordecim avellanam mediocrem adæquantes calculos a Sene eliminatos obſervavit. Lapidum ſeu ſilicum fruſta magna per inteſtinum rectum excreta legimus in Th. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. III. Ep. 59. p. 237.* Cum vir quidam Thermis Badenſibus uteretur, ut inde calculi dolores, quibus affligebatur, mitiores redderentur, inſperato per alvum lapidem albicantem fabæ magnitudine excrevit, teſte Diomede Cornaro *Obſ. medicin. Cap. 2. p. 4.* Sartoris cujusdam Dresdenſis, nomine Chriſtophori Hockuff, filius duodecim annorum, per aliquot annos in abdomine maximos quandoque perſenſerat cruciatus, quos a vermibus parentes & alii ortum ſumere credebant. Sumptis autem duobus pulveribus anthelminticis calculus circiter trium lotonum vel unciæ unius cum ſemiſſe puer ille per alvum excernebat, quo ejecto ipſe poſtea optime ſanus vivebat. Ex viri alvo prodibat lapis inſtar ovi columbini uncias duas pendens & lapidem Bezoar exacte mentiens, referente Johanne Dolæo *Encyclop. med. Lib. III. cap. 13. p. 592.* Anno 1678. mulier quædam poſt lancinantes dolores, a quorum atrocitate diſrupturum anum pertimeſcebat, tandem calculum, valido conatu, divaricatis cruribus, ſtando deponebat, ponderantem unciam unam & drachmas duas, ſecundum Obſervationem Lucæ Schrœckii *M. N. C. Dec. I.*

Obſervatio.

An. 9. & 10. Obſ. 90. p. 234. ſeq. Piſtorem quendam fere ordinarie per alvum calculos egeſſiſſe, refert Georgius Wolffgangus Wedelius *Patholog. med. Sect. II. Cap. 4. p. m. 220.* Per anum calculum, ſcivali formam exprimentem, redditum ſe domi aſſervare refert Felix Platerus. *Prax. Tom. III. cap. 15. p. 818.* Haud parvam calculorum quantitatem, & arenulas cum illis, quæ alias cum urina excernuntur, omnino convenientes poſt dolores colicos, fœmina quædam in propriis excrementis reperit, juxta Viti Riedlin. *Linear. med. An. 1695. menſ. Aug. Obſ. 16. pag. 246. ſeq.* De Muliere calculum, pilæ palmariæ craſſitie, per anum excernente, v. Ambroſ. Paræi *Oper. Chir. Lib. 24. cap. 19. fol. 569.* Sequentem Obſervationem refert Georgius Dethardingius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. pag. 71.* Menſtruam lapidis per anum non ſine graviſſimis & partus æmulis conatibus excluſionem obſervavi in conjuge chirurgi celeberrimi Michaëlis Schultzii, quæ, quinquageſimum quamvis jam annum ſuperaverat, tributi ad inſtar, quovis menſe talem fœtum enitebatur; lapides excreti longitudinis unciæ unius, latitudinis dimidiæ erant, quorum duos mihi eadem dono dederat, in Obſidione Sundenſi cum aliis curioſioribus deperditos. Virginem lapidi- vel calculi- cacam, quæ ab aliquot annis calculos minores, medioxumos, maximos, variæ figuræ, per vomitum, urinam, præcipue vero per alvum, præcedentibus horrendis cruciatibus excrevit, Bernæ Johanni Jacobo Hardero monſtravit Sigismundus Kœnig. vid. Harder. *Apiar. Obſ. 80. Schol. p. 309.* Abſque dubio fuit hæc Virgo, Margaretha Lauwera, cujus paulo ante mentionem fecimus. Lapidem, unciam ſemis & grana viginti duo pendentem, pruni ungarici in medio diſſecti & interiorem nucleum exhibentis formam & magnitudinem referentem per ſeceſſum exturbaſſe linteonis cujusdam uxorem, refert Carolus

Schrœderus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 94. p. 180. ſeq.* De Viro, qui lapidum quantitatem per ſeceſſum excrevit, quorum ſinguli caſtaneam aut glandem æquabant, vid. Joh. Renod. *de Mater. med. Lib. III. cap. 23. p. m. 326.* Vidit etiam Hieronymus Montuus calculum inſtar ovi columbini Lugduni a muliere per alvum excretum, vid. ipſius *Anaſcev. Morb. Tom. IV. cap. 1. p. 409.* Parochi cujusdam conjux Anno 1694. poſt ſummos cruciatus per alvum ſine dolore, niſi quem brevem tranſitus portæ intulit, reddidit calculum, eumque ſolitarium ſine excrementis pelvi cum clangore illabentem. Hic calculus erat figuræ ovalis, coloris griſei, hinc inde nonnihil albeſcentis & flaveſcentis, ſuperficies erat inæqualis, & quaſi rugoſa, lævis tamen & ſaponariam quandam unctuoſitatem præ ſe ferens, pondus ℥ß ʒß gr. jv. uti refert Erneſtus Sigismundus Graſſius *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 21. p. 22. ſeq.* ubi locum nativum hujus calculi ob varias rationes in inteſtino cœco quærit. Sic Vir quidam nephritico malo alias obnoxius, doloribus denuo nephriticos mentientibus vexatus lapillum per alvum reddidit, magnitudine inter ovum gallinæ & columbæ medium, corticis expoliti, coloris exterius ſubnigricantis, interius albi & ſubcineritii, pondere tophis majorem, ſilicibus minorem. vid. *Act. Eruditor. Lipſ. Ann. 1688. menſ. April. p. 204. ſeq.* Calculum hunc alii a cyſti fellea per ductum cholodochum in inteſtinum duodenum delatum exindeque ad anum perveniſſe cenſuerunt: alii exiſtimarunt, liquorem aliquem lixivioſum delatum fuiſſe ex pancreate ad inteſtinum per ductum Virſungianum, qui poſtea immixtus muco inteſtinorum in lapidem induratus fuerit. In fœmina quadam ſeptuagenaria poſt varia ſymptomata & adhibita Medicamenta calculus magnitudinem ovi gallinacei ſuperans in inteſtinum rectum prorumpebat, cujus exitum anguſtia orificii ani impediebat.

bat. Ægra curarum plena, obſtetricem noctu accerſere jubet, quæ attritu digitorum, calculum eſſe friabilem ſentit, quoniam duos, inſtar oculorum cancri extrahebat lapillos. Hinc eundem ſuaſu Medici, Chriſtiani Gotthardi Wiliſchii, forcipe prehenſum & fractum, divaricatis ægræ pedibus, ſtando feliciter extraxit chirurgus, auxiliante obſtetrice, quæ manum in uteri vaginam immittebat, ut regreſſus calculi impediretur, cujus exterior facies flava, interior vero cryſtallina erat. vid. *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. IX. & X. Obſ. 21. p. 25.* Quandoque tamen etiam ejusmodi calculorum per anum ejectiones ſuſpectæ eſſe ſolent, quale exemplum recenſet Johannes Baptiſta de Lambsweerde *Hiſtor. natur. Molar. Uter. Cap. 25. p. 276.* Leydæ, inquiens, habitavit paupercula, alens puerum, ut ipſa dicebat, duros ſilices per alvum excernentem, quibus a ditioribus copioſas impetrabat eleemoſynas, unde pancratice vivebat, donec fama ad Medicos, & ob eorum de caſus poſſibilitate diſcrepantiam ad Magiſtratum delata ſit, qui matrem & filium ſeorſim arctiori cuſtodiæ tradebant; & mox lapideus iſte fluxus ceſſavit, fraudeque detecta mater virgis cæſa cum puero urbe expulſa eſt.

§. 35.

Minime tamen omnes calculi, qui ex inteſtinis rejiciuntur, ſemper originem in ipſis inteſtinis acquirunt, verum plurimi etiam in veſicula bilis generati exinde per porum cholodochum maximis ſæpe cruciatibus ad inteſtinum duodenum exprimuntur atque dehinc mediante motu periſtaltico, vel etiam medicamentis per totum canalem ad anum usque propelluntur & excernuntur, qui tamen a reliquis inteſtinorum calculis variis modis, & quidem tam ratione coloris, ſaporis, & ponderis, quam inflammabilitatis differunt, ac plerumque in ictericis & hypochondriacis reperiuntur. *Calculi bilis.*

§. 36.

Calculi fellei. Exempla ejusmodi calculorum felleorum ut adducamus, Illuſtris quidam ictericus poſt incredibiles dolores circa regionem hepatis & hypochondrii dextri per alvum excluſit calculum ſatis magnum, quem præceſſerunt fæcibus alvi permixti parvi lapilli albicantes inſtar granorum coriandri, deinde etiam globuli oblongi, olivæ fere magnitudinis, coloris ſubviridis, molles inſtar paſtæ figulinæ, juxta Thom. Mermann *Conſultat. med. Lib. IV. Conſult. 10. fol. m. 259.* Et *fol. ſeq.* Generoſi Baronis Paradeyſe meminit, qui incredibilis magnitudinis calculum per alvum, ex veſica fellea cum vitæ diſcrimine in pertinaci Ictero excreverat. De muliere valetudinaria, quæ colicis ſubinde doloribus laborabat iisdemque torquebatur graviſſime, tandem poſt multa remedia præter Fallopii & omnium expectationem dejecit pilam, vel tophum potius, non admodum gravem, magnitudine majorem paulo columbæ ovo, a cujus rejectione paulatim deſiit dolor, priſtinaque rediit valetudo: vid. Joh. Wier. *Oper. Libr. IV. cap. 16. ſeq. p. m. 317.* ubi addit: hanc pilam quæ pepererit materia, eadem aperta vel fracta certius dijudicari potuiſſet. Celſiſſima Princeps quinquaginta trium circiter annorum ſymptomatibus ſcorbuticis frequentius correpta ſenſit inexplicabiles dolores ventriculi, tales quidem, ut præ nimiis anguſtiis ſeſe morituram diceret, ſuperveniente frigore intenſiſſimo, ſubſequente pauco calore, per modicum tempus durante, totum tamen corpus occupante, & ſingulis diebus ad noctem repetente. His adjungebatur icterus graviſſimus cum dolore dextri hypochondrii, ſine tamen ulla inflatione, aut alio tumore, comitante urina ruberrima & excrementis argillaceis. Horum ſymptomatum primaria cauſa videtur denegatio bilis. Ipſa autem Celſiſſima Princeps ultra centum grandines flavas

inſtar nucis avellanæ per ſeceſſum excrevit & deſuper optime habuit, referente Johanne Ferdinando Hertod *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 99. p. 102.* Ab uſu radicis curcumæ celeberrimus olim Rector Gymnaſii Halenſis, Chriſtianus Gveinzius poſt acutiſſimos dolores in dextro hypochondrio per ſeceſſum aliquot lapillos ſubluteo colore ſplendentes in pelvim ſubſtratam, ipſo ſalvo excrevit, juxta Frid. Hoffmann. *Clav. Schrœder. Lib. IV. Sect. 1. ſ. 129. p. 463.* Novit Franciſcus Gliſſonius complures, qui lapidum hujusmodi fragmina ingenti quantitate per alvum eliſerunt; quorum locum genitalem haud alium fuiſſe exiſtimat, quam vaſa biliaria, vid. *ejusd. Anatom. Hepat. cap. 7. p. m. 105.* In his ſcilicet vaſis, pergit idem, tubulus ejusmodi lapideus forte natus, & fruſtillatim comminutus, per porum bilarium in inteſtina delabi, indeque per alvum excerni potuerit. In quam ſententiam accedo libentius, quod videam boves hyberno tempore, (quando fœno aut ſtramine paſcuntur,) lapideæ hujusmodi materiæ plurimum congerere, adeo ut epar eadem plane confertum reperiatur; verna autem tempeſtate (quamprimum novo gramine veſcuntur) eandem rarius inveniri. Solvuntur nempe & exturbantur hi lapides a recentis graminis ſucco; quod, niſi per alvum, fieri nullo modo poteſt. Mulier annos quadraginta nata, temperamenti melancholico-bilioſi, habitus ſubfuſci, ſæpius doloribus, colico-nephriticos æmulantibus, infeſtabatur: elapſa vero æſtate in tanta ſævitie recrudeſcebant, ut iis ferendis vix par videretur ægrotans. Inter alia medicamenta injicitur enema ex emollientibus, quod paulo poſt ſummis doloribus & ſtrepitu, ex lapillorum ad canthari fundum illiſu, rejectum eſt. Examinatur alvina ac putida illuvies ibique reperiuntur lapilli numero viginti ſeptem octogoni, coloris ex flavo fuſci, nigris maculis inſignitì, quorum quilibet grana

ſex ponderabat, & quales alias in veſicula fellis reperiri ſolent juxta Obſervationem Laurentii Wolfſtrigelii *M. N. C. Dec. I. An. II. Obſ. 89. p. 163.* Sequentem Caſum recenſet Georgius Balthaſar Metzger *Diſput. de Scrutin. Lithogeneſ. Tubing. 1685. habit. p. 3.* Matrona quædam Anno 1679. complures lapides triangulares per alvum ejecit. Conqueſta ante fuit integrum quaſi ſemeſtre de dolore ventriculi, inappetentia ciborum, nauſea, vomendi conatu fere continuo. Poſt varia medicamenta & potionem narcoticam dormivit integras novem horas, poſt excitata e lecto ſurrexit, corpus univerſum cum admiratione & ſtupore omnium a capite ad calcem ictericum offerens. A mediocri obambulatione aperitur alvus, cum ſenſu aliquali, ac ſi ceraſorum, ut ipſa judicabat ægra, nuclei ſimul ejacularentur; ſed flocci fecit abjectis excrementis. Alvo vero denuo ſolicitante duram iterum materiam, velut lapidem in expulſione ſentit, majoreque mox curioſitate ducta excrementa inſpicit, quæ cinerea notavit, triginta, & quod excurrit, triangularibus lapillis inferta, materia præterea arenoſa granulata copioſiſſima occurrebat. Evanuit facta evacuatione hac color ictericus. Absque dubio etiam ex folliculo bilis prodiere lapilli iſti ex flavo fuſci, inæquales, qui, referente Simone Aloyſio Tudecio *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 122. p. 294. ſeq.* a matrona, triginta octo annos nata, regio morbo laborante poſt intolerabiles dolores, cum quodam murmure & ſtrepitu rejecti fuerunt. Mulier ſeptuagenaria Regiomonti 1656. tres per ſeceſſum excrevit mole avellanæ calculos, quales obſervantur in veſica bilaria, leviores, forma triangulari, obſervante Chriſtophorio Tinctorio, Profeſſore, qui recte ſuſpicatur, per ductum cholidochum ad inteſtina veniſſe, facta eroſione, nam mulier multum conqueſta fuit de dextri lateris dolore protenſo ad inteſtina. Eroſionis

vero

vero id indicium habet, quod cum calculis excreverit materiam cruentam & purulentam; quanquam & ſola ductus cholidochi dilatatione, quod alias vidi, protrudi poſſint, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſtor. 49. p. m. 335.* Doctorem quendam Medicinæ H. S. poſt diuturnum dolorem colicum ſimiliter per alvum juſtæ magnitudinis lapidem excreviſſe, vid. Joh. Hornung. *Ciſt. med. Ep. 68. p. 187.* Fœminam, in Palatinatu ſuperiori, per calculi cum alvi recrementis excretionem a moleſtiſſima, ac admodum diuturna icteritia liberatam, ſe noviſſe ſcribit Volcherus Coiter *Obſ. anat. chirurg. fol. m. 122.* Matrona nobilis cum diu querelas moviſſet de dolore tenſivo & vellicante ſub hypochondrio dextro anteriora verſus moleſto, tandem plures calculos exiguos flaveſcentes, bilis calculoſæ fœtus, per alvum excrevit, ex veſiculæ priſtino hoſpitio per meatum cyſticum ad choledochum ductum & duodenum inteſtinum propulſos, teſte Johanne Mauritio Hoffmanno *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 244. p. 460.* Plures inſuper ejusmodi calculorum tam inteſtinalium, quam felleorum, per alvum excretorum obſervationes collegerunt Autores, e. g. Simon Schultzius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 136. p. 220.* Daniel Sennert. *Inſtitut. Medic. Lib. II. Part. 2. cap. 9. p. 253.* Et *Pract. Lib. III. Part. 2. Sect. 1. cap. 5. p. 200.* Georg. Wolfg. Wedel. *Exercit. Philolog. Dec. IV. Exerc. 4. p. 24. M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 90. p. 234.* Conrad. Victor Schneider. *de Catarrh. Lib. III. cap. 7. p. 239. ſeq.* Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. 14. f. 904. ſq.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 64. p. 1101. ſq.*

§. 37.

His exemplis ex variis propriæ Praxeos obſervationibus aliquot ſaltem annectere libet. Fœmina ſcilicet quadraginta circiter annorum, mihi agnata, ſeptem libe- *Obſervationes propriæ.*

rorum mater, & ſat obeſa, menſibus adhuc fluentibus, calculo renum & veſicæ interdum laborabat, poſtmodum autem, ceſſante catameniorum fluxu, poſt maximos dolores colicos non ſolum ſabulum copioſum, ſed quandoque per anum lapides quoque modo rotundos, modo etiam latos, aſperos & ultra digiti articulum magnos, nonnunquam cum ſphincteris ani læſione ejiciebat, a quo tamen malo per Thermas Carolinas ad tempus liberabatur, donec tandem poſt largam nimis narium hæmorrhagiam apoplexia tacta naturæ tributum ſolveret. *Obſerv. II.* Ante viginti aliquot annos committebatur curæ meæ virgo quædam nobilis, quæ poſt diuturnam febrem quartanam, a G. W. W. curatam, ultra octo adhuc annos miſere decumbebat, cujusque affectus, ut ipſa mihi referebat, ab alio medico pro phthiſi, ab alio pro epatis ſcirrho, habitus fuerat. Inter alia vero plurima ſymptomata, ultimis imprimis menſibus, dicta virgo circa umbilici, meſenterii & epatis regionem, tantos perſentiebat cruciatus tantasque contractiones ſpasmodicas, ut, irritis omnibus internis & externis medicamentis anodynis, ab ancillis aliisque adſtantibus abdomen ſibi, impoſitis pugnis, omni niſu atque vehementia verſus ſpinam dorſi comprimi pateretur, atque ad talem preſſionem quandoque quatuor vel ſex manus deſideraret. Durante hoc tempore rariſſime menſes legitime, ſcilicet ratione coloris, ſed vel inſtar loturæ carnis, vel utplurimum inſtar viridis æris tincti humoris, & ſummo cum dolore apparebant; adeoque debilitata erat hæc virgo, ut rariſſime extra lectum morari poſſet. Hoc proinde in ſtatu prior ipſius medicus, (qui ſcirrhum epatis vel meſenterii ſubeſſe ſtatuebat) tunc temporis cum Sereniſſimo Noſtro Rege caſtra petiturus, dictam ægrotantem, cum conſilio ſuo, ratione continuanda curæ, mihi committebat cujus ſententiæ cum aliquot ſeptimanas inhæſiſſem,

hæſiſſem, ex ipſa autem ægrotante nihil certi, præter dolorem, expiſcari poſſem, tunc ipſius affectæ partis attactum, pro meliori cognitione expetebam, quem tamen ob nimis verecundam fereque ruſticanam verecundiam poſt aliquot demum dies impetrabam; quo conceſſo hujus morbi ſtatum, ſcilicet neque in epatis parte convexa, neque in meſenterio magnam duritiem vel ſcirrhum latere, deprehendebam fomitemque & locum hujus doloris potius in veſicula fellis & inteſtinis tenuioribus quærebam; quapropter etiam ob nimiam alvi conſtipationem medicamentis reliquis anticachecticis & antictericis leniter evacuantia (quæ hactenus ob ſummam ægrotantis debilitatem, ejusque circa meſenterium & inteſtina tenuia rodentem dolorem, in diuturna quoque alvi adſtrictione adhibita non fuerant,) admiſcebam, anumque per vices clyſteribus emollientibus ſtimulabam; Quibus per aliquod temporis ſpatium continuatis, non ſolummodo ſabula minora & majora ad aliquot cochlearia, ſed majores quoque calculos, fabarum ſcilicet, avellanarum, & nucis moſchatæ magnitudinis, partim tophaceos & leves, partim duros ac ponderoſiores, coloris nunc ſubflavi nunc ſubalbidi cum levamine per alvum ab ægrotante excerni experiebar. Quo facto dolor iſte acutiſſimus & ſpaſmodicus ſucceſſive penitus remittebat; & quamvis poſtea aliquoties rediret, ſemper tamen poſt ejusmodi ſabuli & lapillorum evacuationem ceſſabat, ſuperveniente paulo poſt affectu arthritico-ſcorbutico cum ſequente purpura, qui tamen dolor arthriticus per aliquoties continuatum Balnei Wiſenſis ſive S. Jobi, vulgo *das Wieſenbad* dicti, uſum plenarie fuit ſedatus, ut adeo dicta virgo indoloroſa aliquot annos gauderet valetudine. Vivit etiam adhuc aurifabri cujusdam Dreſdenſis uxor, quæ circa An. 1696. tunc temporis aliquot triginta annorum, per longum ſatis tem- *Obſerv. III.*

pus

pus verſus hypochondrium dextrum circa veſiculam bilis ejusque ductum cholidochum, acutiſſimum atque urentem ſenſerat dolorem, qui indies adeo augebatur, ut irrito, uti ipſi videbatur, in- & externorum medicamentorum uſu dies noctesque præ cruciatibus intolerabilibus ageret inſomnes. Denique poſt varias inunctiones epithemata & cataplaſmata, tumor illius regionis dolorque, poſt improviſum, nocte quadam, circa horam tertiam matutinam, ab ipſa ægrotante auditum ſonitum, quaſi disruptæ veſicæ, ſenſim evaneſcebat. Ipſa nihilominus ob inſtantem, ex perpeſſa interna diſruptione, vitæ finem perterrita extemplo me vocandum curat atque mihi præſenti maxime timibunda hunc ſonitum ex ruptura accidiſſe narrat; quam tamen bono animo eſſe jubeo, eamque potius, ut excrementa ipſius alvina poſthac colligantur atque a ſuis domeſticis optime viſitentur, annon in iisdem lapilli majores vel minores reperiantur, ſerio admoneo. Qua admonitione obſervata per aliquot ſeptimanas calculos quamplurimos & ultra centum, flavos, vel potius ſubfuſcos, interne virideſcentes, omnes triangulares, glandibus faginis ſimiles, omnesque unius ejusdemque magnitudinis & coloris per alvum excernebat. Et licet aliquot annos ſuperviveret, nunquam tamen priſtinæ atque perfectæ ſanitati reſtituebatur. Poſt Thermarum Carolinarum uſum Vir quidam Generoſus maxime vehementem colicam ſpaſmodicam cum pertinaci alvi obſtructione incurrebat, a qua non niſi poſt duodecim calculorum, magnitudine nucis moſchatæ & ultra, colore vero & conſiſtentia inſtar lapidis dictarum Thermarum, cum excrementis per alvum factam dejectionem liberabatur. Hanc calculorum generationem Generoſus ægrotans a neglecto vel potius impedito conſuetorum poſt Thermas purgantium uſu derivabat. Calculos autem in folliculo fellis ſequenti

Obſerv. IV.

modo

modo generari; ex Theodoro Philippo Schachtio de phthiſi icteritia referunt *Acta Eruditor. Lipſienſ. 1724. menſ. Decembr. p.536. ſeq.* ſi ſanguis particulis terreſtribus, ſalſis, viſcidis & oleoſis plus juſto fuerit inquinatus, neceſſe erit, ejusdem quoque indolis bilem, ad veſicam biliariam deponi; ſed cum bilis his particulis onuſta facillime hæreat, & magis magisque ronteſcat, vel ob particularum aquearum ſucceſſivam ſeceſſionem ſemper ſpiſſior fiat, neceſſe eſt, ipſam adeo fieri mucidam & craſſam, ut tandem coagulata & omni fluore orbata in veros calculos concreſcat.

§. 38.

Cum in renibus, & imprimis eorum pelvi ſeu cavitate, quotidie calculi reperiantur, eorum exempla hoc loco adducere ſuperſedemus, Benevolum Lectorem potius ad calculos magnos in renibus repertos remittentes. Non autem tantummodo in renum cavitate deprehenduntur calculi, ſed etiam in eorum ſubſtantia ſeu parenchymate, quod compertum ſe habere ſcribit Bartholomæus Euſtachius *de Renum Structur. cap. 45. Opuſcul. pag. 45. p. m. 121. ſeq.* Id quod confirmant etiam alii Autores v. g. Nicolaus Chesneau *Obſerv. Lib. III. cap. 9. p. m. 340.* inquit: Mulier quædam Pariſiis per quatuordecim annos renum dolore vexata, tandem moritur. Pluribus Medicis, & me præſentibus diſſecto cadavere renes ambo inventi ſunt pugni magnitudine. In uno lapis magnæ nucis juglandis magnitudinis, ſed oblongior, in renis alveolo exiſtens. In alio lapis erat in carne renis, eadem fere magnitudine, qui pedetentim creſcens renem variis in locis diruperat, totusque erat purulentus, quod in altero, in renis alveolo genito, non contigerat. Aliud exemplum recenſet Georgius Segerus de rene monſtroſo, in cujus parenchymate calculus ingens ſibi ſinum pro ſitu ſuo formaverat & ita quidem

In Renum ſubſtantia.

ſubſtantiam detriverat, ut ei ſoli inhæreret, nec pelvim contingeret. Ubi ſane mirandum, fœminam iſtam adhuc vivam in iſto latere & regione renis nullum aut non niſi exiguum & vix perceptibilem ſenſiſſe dolorem. v. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 227. p. 414.* Obſervavit etiam Johannes Heurnius in cadavere Domini Marnixii Aldegundii, cum illud Leydæ aperiretur An. 1594. in altero rene calculos ſeptuaginta, in altero octuaginta, qui nunquam tamen de ulla nephritidis ſymptomate conqueſtus fuerat, ita firmiter carni renum impacti hærebant. vid. ejusd. *Not. in Joann. Fernel. Univerſ. Medicin. Patholog. Lib. VI. cap. 12. p. m. 176.* Calculum ex Friderici III. Saxoniæ Electoris dextro rene, aperto poſt obitum cadavere, exciſum depingit Johannes Kentmannus *de Calcul. in Corp. hum. cap. 7. p. 10.* In eo ſcilicet foramen eroſum, per quod urina profluxit, cernere licet. Lugduni Batavorum in theatro anatomico vidit Johannes Bernhardus Gladbachius renes intra quinque dies iſchuria defuncti, in quorum ſuperficie copioſæ hydatides eminebant, ac tota ſubſtantia innumeris arenulis erat obſeſſa, ita ut culter anatomicus ubique allideret, & difficulter ad pelvim adigi potuerit, imo totam illorum ſubſtantiam lapideam aut arenoſam dixiſſes, uti in *Prax. med. p. m. 297.* refert. In puero ex urinæ ſuppreſſione mortuo renes mutata naturali phaſeolorum figura, in rotundam vergebant tuberoſi, ſicut vitulorum renes ſunt: apertus alter plures exhibuit calculos minores, imo tota ejus ſubſtantia interna conſperſa erat lapillis, milii inſtar, gryſeis, juxta Joh. Aicholtzii Obſerv. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 24. fol. m. 1207.* Cum in Friſlandia cuidam perſonæ calculus ex rene ſecari deberet, apparebat in operatione, calculum non in pelvi, ſed in ipſa carne hærere, vid. Stephan. Blancard. *Prax. der Medic. Part. I. Cap. 62. p. m. 421.* Plumarum quidam venditor, emortuus

ob

ob renum ac pectoris vitia, habuit in utroque inſignem calculum diſpergentem ſe quadruplici ramo, inſtar crucis per univerſum renem: adeo ut non potuiſſet inde eximi, niſi decerpſiſſes fruſtulatim totum ipſius parenchyma, annotante Nicolao Tulpio *Obſ. medic. Lib. II. Obſ. 44. p. 176.* In puella octo annorum per longum tempus ſtranguria, tandemque totali urinæ ſuppreſſione vexata, dextrum renem penitus incruſtatum & quaſi lapideum, tactu durum & materia calculoſa circum circa ita obductum, ac ſi gypſea materia fuiſſet illitus, conſpexit Andreas Cnœffelius. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 64. p. m. 54.* Prope renes ſuccenturiatos, uti vocantur, veſicula lapidibus referta in ſubjecto maſculino Lipſiæ Anno 1662. cultro anatomico diſſecto conſpiciebatur, teſte Caſpare Theophilo Bierlingio *Adverſ. curioſ. Obſ. 27. p. m. 56.* Sub renis ſiniſtri membrana calculum ovi gallinacei magnitudine in cavitatem renis deſinentem inveniſſe Gvernerum Rolfincium, refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 65. p. 1103.* Calculum in extima pingui renum tunica adnatum ſatisque magnum, cavum tamen & levem, atque nullam moleſtiam parientem obſervavit Felix Platerus *Prax. Lib. II. cap. 12. pag. m. 446. ſeq.*

§. 39.

De calculis in ureteribus ſcribit Bartholomæus Euſtachius *de Renib. cap. 45. p. m. 122.* Ureterem ſtatim ab egreſſu e renibus latiorem redditum inſtarque ventriculi ſeu peræ paſtoralis recurvatum frequenter magnam lapillorum copiam congregare, quos poſtea natura ſagax ſenſim inde cum urinis expellit, quibus iter ob vaſis curvitatem interceptum non eſt, quamvis ſit calculis refertiſſimum. Quandoque tamen in ureteribus hærentes calculi urinæ ſuppreſſionem cum ſubſequente morte cauſantur. Ureteris *In Ureteribus.*

teris enim principium integre obturatum ſe vidiſſe ait Nicolaus Tulpius *Obſerv. med. Lib. II. cap. 25. p. 143.* Calculum grandem, acutum, ſed glabrum, pollicis magnitudine & craſſitie in ureteris orificio obſervatum legimus in Thomæ Bartholini *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſt. 37. p. 260.* In chirurgi cujusdam Amſtelodamenſis uretere ſiniſtro calculum magnitudine & forma olivæ exiguæ, cujus ſuperficies innumerabilibus calculis & arenulis obſeſſa erat, obſervavit Fridericus Ruyſchius *Obſ. 15. p. 20. ſeq.* Et *Obſ. 94. p. 120.* idem Autor in mulieris cujusdam ureteris dextri infima parte ſupra inſertionem in veſicam vidit calculum nucis avellanæ magnitudine hærentem atque ureterem penitus obſtruentem, unde media ipſius pars ita fuit extenſa, ut pintam ad minimum contineret. In Viri cujusdam uretere dextro non procul a veſica calculus dactyliformis, nonnihil friabilis, & inſtar pumicis ſpongioſus ac candidus poſt iſchuriam lethalem a Godofredo Samuele Poliſio inventus eſt. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 104. p. 264.* Portentoſam ureterum dilatationem ad lapidis exitum annotavit Dominicus Panarolus *Pentec. IV. Obſ. 31. p. 129. ſeq.* ubi dicit, ſe bis in urinæ ſuppreſſione mortuis ureteres ad exitum lapidis ita dilatatos obſervaſſe, ut digiti circumferentiam ſuperarent; idque conſpectum fuiſſe a rene ad veſicam usque, cum ureteres æqualiter fuiſſent ampli, ſed dum ureteres inter veſicæ tunicas inſeruntur, conſtrictos fuiſſe lapide, qui penetrare nullo modo potuerit ex utraque parte & ſic mortuum eſſe. In mercatoris cujusdam ætate 69. annorum Anno 1721. defuncti cadavere circa ingreſſum ureteris dextri in veſicam calculus nucis moſchatæ majoris magnitudine arctiſſime inhærere deprehenſus fuit, cum loci illius tumore, a fibrarum conſtrictione orto & calculi extruſionem in ipſam veſicam impediente. In ſiniſtro quoque latere, ubi ureter in veſi-

cam

cam inſeritur, minor calculus, isque laxius ſubſtitit, qui fibras non adeo intenſas ibi inveniens aut efficiens aliquale urinæ ſtillicidium in veſicam conceſſerat, referente Luca Schrœckio, *Ephem. Acad. N. C. Cent. X. Obſ. 100. p. 437. ſeq.* Adoleſcenti cuidam poſt diuturnum dolorem, cujus cauſa erat ureteri inhærens calculus, tandem ulcus in inguine ortum eſt, per quod ille exiens ægrum dolore liberavit, fiſtula tandem ibidem ſuperſtite, per quam continue guttatim urina ſtillabat, juxta Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſ. Cent. I. Obſ. 91. p. 379.* In ureteris medio, ibidem magis quam alibi explicato, calculum ovi columbini molem pene æquantem, ſe obſervaſſe ſcribit Franciſcus de le Boe Sylvius *Prax. Medic. Lib. I. cap. 56. §. 4. fol. m. 246.* Ureterem dextrum Illuſtris Maddalena Carneſecchi Galli, ex iſchuria denati Dominus Neri totum obſervavit infartum, cum alius calculus magnus orificium ureteris pariter ſiniſtri obturarit, vid. *Act. Erudit. Lipſ. 1708. menſ. Sept. p. 419.* In Viri cujusdam uretere dextro, digitorum transverſorum quatuor latitudine a rene dicto notabilis hærebat lapis, vix loco mobilis, teſte Gerardo Blaſio *Obſerv. Medic. Obſ. 22. p. 86. ſeq.* Inquit etiam Petrus Dionis *dans le Cours d' Operations de Chirurgie Demonſtrat. 3. p. 137.* on voit en quelques-uns des pierres arretées dans la Cavité des' ureteres; ce qui arriva a Monſ. Colbert, que l'on ouvrit aprés ſa mort, & à qui l'on trouva des pierres tres-groſſes retenuës dans le milieu des ureteres, ce qui lui avoit fait ſouffrir durant les derniers jours de ſa vie d'effroyables douleurs nefretiques. Dicit etiam Franciſcus de le Boë Sylvius *l. a. §. 3. fol. m. 246.* ſe non ſemel ureteres a calculo ampliatos ac dilatatos, pollicem non raro admittentes atque urinam ad renes ipſos in ſe continentes vidiſſe. Ureteris pelvi calculus, figura corculum referens & magnitudine avellanam, pondere autem undecim grana non

excedens, cum ſocio multo minori, & gravitate ſua quatuor tantum grana æquante inſertus, ſeri deſcenſum in ureterem prohibens in Muſico quodam a Georgio Segero fuit repertus, v. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 23. p. 39. ſeq.* In Eminentiſſimi Cardinalis Franzoni ureteris ſiniſtri extremitate prope veſicam duo calculi magnitudine & pondere olivarum oſſiculis reſpondentes, ſed inæquales ac fere triangulares reperti fuere, teſte Medico Bononienſi Johanne Baptiſta Contulo. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. menſ. Sept. p. 397.* De ureterum obſtructione ſabuloſa lethali, vid. Joh. Helwig *Obſ. III. p. 311. ſeq.* Calculi etiam in uretere reperti, ponderis drachmæ unius cum dimidia meminit Theophilus Budæus *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 172. p. 290. ſeq.* Cum vero allegatus a Budæo Vir, quinquaginta octo annorum, ſcilicet Secretarius Budiſſinus, nomine Kreſſius, hic Dreſdæ defunctus, per Archiatrum noſtrum Morgenſternium, cadaver ſecandi occaſionem mihi dederit, pace amiciſſimi noſtri Budæi ipſius Obſervationi addere liceat, primo calculum in uretere dextro ad duos fere digitorum articulos a rene cum plurimis minoribus ſociis hæſiſſe; deinde calculum non pondus drachmæ unius cum dimidia, ſed unius tantum drachmæ habuiſſe; Porro tres calculos in pelvi renis dextri repertos non ℥iß. ſed tantummodo ℥ß. ponderis fuiſſe. Denique omnium illorum calculorum ibidem depictorum figuras longe minores eſſe, quam cum hi calculi e cadavere extraherentur, quod tamen eorundem exſiccationi facillime adſcribi poteſt. Circa principium ureteris calculus oblongus, acuminatus, ſilicis duritiei, membranis tenaciter involutus, adeo ut lancetta pro earum ſeparatione neceſſe fuerit, ab Joh. Jac. Hardero fuit obſervatus, vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 24. fol. 1261.* In Chirurgi cujusdam Görlicenſis per annos plures calculo veſicæ conflictati

flictati uretere ſiniſtro mox ſub pelvi calculum magnitudine amygdalæ dulcis obſervavit Ehrenfried Hagendorn, vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 2. *Obſ.* 243. *p.* 344. Juxta ſummitatem ureteris Illuſtriſſimæ cujusdam Dominæ lapis circa pollicis magnitudinem defigebatur, cujus extremitas ductui ſeu cavitati ureteris adeo erat adaptata, & firmiter impacta, ut velut epiſtomio aperturam ejus exacte clauderet & ſeroſo latici tranſitum omnino inhiberet, v. Thom. Williſ. *de Urin. Cap.* 5. *p. m.* 236. Calculum nigrum, ſcrupulum cum dimidio pendentem, tophi forma, poſt mortem ex ureteribus exſectum depingit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ.* 67. *p. m.* 137. In obſtetricis cujusdam filia, novem circiter annorum Carolus Raygerus dextri renis parenchyma penitus abſumptum reperit, ſola reſtanti pelvi magna, craſſa, dura & ſabulo plena, ex qua egreſſus ureter itidem magnus & craſſus erat, qui antequam deſineret in veſicam, cavitatem efformavit, novam quaſi & parvam veſicam, ſabulo fragmentisque minoribus lapillorum repletam, vid. *M. N. C. Dec. I. An.* 3. *Obſ.* 285. *p.* 502. *ſeq.* In Baronis cujusdam uxoris rene ſiniſtro magnus calculus bicornis fuit inventus, cujus alterum cornuum divulſum in ureterem deſcenderat, juxta Henr. ab Heer *Obſ.* 1. *p.* 15. Romæ in nobilis mulieris ſecto cadavere calculus magnitudine digiti pollicis incurvatus, & partim in pelvi, partim in principio ureteris exiſtens in dextero rene inventus eſt. vid. Georg. Bagliv. *de Fibr. motric. p. m.* 192. Anno 1601. die 21. Mart. obiit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Princeps Gebhardus Truckſes Elector Colonienſis, in cujus corporis aperti rene dextro calculus inveniebatur, & quidem in renis cavitate aliquot tuberantiis donatus, ex quibus una & cæteris longior in ureterem procumbebat, erat autem calculus drachmarum novem pondere. In altero vero rene duo erant, fabæ magnitudine,

dine, præterque hos in utroque rene maxima adhuc aderat copia calculorum minutorum, arenularum & humoris ſublactei & lutoſi, nec non in ureteribus & veſica calculi plures & parvi contenti fuere, uti in conditura corporis annotavit Johannes Rudolphus Salzmannus *Obſ. anat. p. m. 9. ſeq.* Lugduni Batavorum in Theatro anatomico vidit Johannes Bernhardus Gladbachius renis pelvim calculo obturatam, qui accuratiſſime ejus cavitati reſpondebat, & nonnihil in ureterem, quem ad craſſitiem pollicis dilataverat, extendebatur, uti refert *Prax. med. p. m. 297. ſeq.* Ureterem ſiniſtrum excavatum & magnitudine ſua inteſtinum gracile exæquantem, & in hujus cavitate calculum prægrandem, maxime angulofum, circa ſuperficiem externam obſcurum, circa medium glabrum, ab extra lamina alba obductum, & quoad figuram, conum minorem repræſentantem, intus vero, quoad ſubſtantiam, variis arenulis guttulisque petrificatis compactum, in juvene octodecim annorum obſervavit Benjam. Ben. Petermann. *Obſ. med. Dec. I. p. 9. ſq.* De calculo in uretere hærente v. *Hiſt. Morb. Vratislav. An. 1702. p. 144.* De calculo renem dextrum ejusque ureteris principium obſtruente, vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Obſ. 191. p. 433. ſq.* Meminit etiam Guilhelmus Fabricius, Hildanus *de Lithotom. Veſic. cap. 25. Oper. fol. m. 749.* Viri cujusdam, qui, cum ipſius ureteribus calculus impactus inhæſiſſet, nullisque remediis deturbari potuiſſet, tandem inflammato loco, extinctus fuit. In diſſecti cadaveris Magdalenæ van de Graaf ureteris ſiniſtri medio calculus hærebat teres, quem ex rene deorſum deſcendiſſe certo ſibi perſuadet Jobus a Meekren *Obſ. med. chir. Cap. 45. p. 194.* In pueri novem annorum, in Xenodochio Fridericiano calculo defuncti, uretere dextro, in tantum dilatato, ut inſertionem duorum digitorum ſimul facillime admitteret, prope veſicam hærebat calculus ponderis

deris

deris unciæ unius ſemis. v. *Act. Berolin. Vol. IX. p. 59.* In mercatore omnimodam urinæ ſuppreſſionem patiente atque de inſigni dolore circa ductum ureteris ſiniſtri vomituque enormi conquerente, poſt cadaveris aperturam ren ſiniſter diſtentus ab humoribus ſeroſis ſtupenda magnitudine apparuit, quo diſſecto ſerum abundanter effluxit & arenulæ copioſæ rubicundiſſimæ ſe manifeſtarunt, calculum autem ſemen cucumeris referentem in principio ureteris reperire nemo potuit. vid. Bernh. Verzaſch. *Obſ. med. 11. p. 47.* Cum Matronæ Nobili grandior calculus in uretere diutius hæreret, facies inſtar leucophlegmatia laborantis notabiliter intumeſcebat, obſervante Gothofredo Mœbio *Phyſiolog. Cap. XVII. p. 427. ſeq.* In Viro Nobili lapillum dactyli nucleum æquantem per dictum angiportum ſpatio ſeptem menſium tranſeuntem, conſpexiſſe allegatum Mœbium, refert Bernhardus Verzaſcha *l. a. p. 25.* Aliquot etiam calculorum in defunctorum ureteribus hærentium exempla obſervare mihi licuit. De cauſa autem, cur calculi facillime in ureteribus hæreant ita ſcribit Antonius Nuck *Adenograph. Curioſ. Cap. VII. p. m. 76.* circa ureteres, quos Autores a renibus ad veſicam æqualiter (ſed male) extenſos delineant, hoc obſervavi, & perpetuæ veritatis eſſe jam toties notavi, illos nunquam, tam in ſexu maſculino, quam fœmineo, ubivis eſſe æquales, ſed tribus quatuorve, & aliquando quinque in locis anguſtatos conſpici. Hinc ratio jam deſumenda, cur calculi nephriticorum ſæpe hæreant in itinere per ureteres faciendo, & patientes, potiſſimum ſi calculi latera habeant acutiora, tantos percipiant dolores.

§. 40.

In veſicæ urinariæ cavitate, quamplurimos calculos, tum minores, tum maximos reperiri, atque ex eadem per urethram *In Veſica adnata & inter tunicas.*

urethram excerni, quandoque etiam exſcindi, docet Praxis quotidiana. Interdum vero lapides etiam in ipſa veſicæ ſubſtantia, ſive inter ejusdem membranas latent, vel iisdem adnaſcuntur. Hærent ſcilicet, juxta Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. med. Sect. III. cap. 7. p. 348. ſeq.* interdum calculi inter veſicæ tunicas, circa inſertionem ureterum, qui dum obliquo ductu in veſicam hiant, eo in loco, ubi per illius tunicas tranſeunt, quandoque ob hanc ſuam inflexionem & anguſtiam, lapillos e renibus deſcendentes & anguloſos vel hiſpidos ægre transmittunt, unde nonnunquam fit, ut lapilli diutius illic hærentes pungentibus ſuis angulis ſibi viam faciant per ureterum membranam, quam perforant, & intra veſicæ tunicas ab urina defluente (cooperante fibrarum, quibus ureteres & veſica gaudent, motu contractorio) propulſi diverticula inveniunt, in quibus ab allabentis urinæ ſalibus cum fibrarum veſicalium ſucco nutritio ſenſim adhærentibus augmentum capiunt, atque ita in calculos quandoque ſat grandes excreſcunt, imo vicinas veſicæ fibras nimis premendo & dilacerando humorumque effluentium ſtaſin ac corruptionem inferendo, ulcus producunt. Quoad exempla refert Roſinus Lentilius in muliere veſicam urinariam totam flaccidam & contractam & in ea lotii ne guttam, calculum autem præſentem, unciæ unius pondere, interiori veſicæ membranæ ſic agglutinatum, ut vi ſeparandus eſſet. v. *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 205. p. 425.* Scribit etiam Thomas Williſius *de Urin. Cap. V. p. m. 235.* ſemel ſe plures calculos majores circa veſicæ latera, inter membranas ejus, veluti in cyſti concluſos, vidiſſe. Iſti procul dubio, pergit idem, a renibus adhuc minores dimiſſi in ureterem ductibus inter veſicæ tunicas perreptantibus manebant atque illic ſenſim mole augebantur. Matrona taliter affecta longe ante obitum e meatu urinario rejecit membranam craſſam atque

latam,

latam, materia ſabuloſa refertam, quæ (uti poſtea e cadaveris diſſectione conſtabat) fuit pars tunicæ interioris veſicæ, a calculis ibidem incluſis attrita & diſrupta. Calculus, ponderis unciarum quatuor cum ſemiſſe, totam veſicæ capacitatem replens, una cum alio exiguo in ipſius veſicæ ſubſtantia deliteſcens ab Iſaaco Cattiero obſervatus legitur *Obſ. med. 3. p. 15.* Calculos duos, quorum uterque propria membrana incluſus uncias duas cum dimidia ponderavit, in mercatoris veſica fuiſſe repertos, in Jacob. Holler. *de Morb. intern. Cap. 46. Schol. p. 141.* legimus. Item in Guil. Fabric. Hild. *Lithotom. Veſic. Cap. 8. p. m. 74.* exemplum exſtat calculorum aliquot ingentium, peculiari ſacculo ſive veſiculæ, veſicæ innatæ & adnatæ, incluſorum. In cadavere Caſauboni veluti duplicem veſicam fuiſſe deprehenſam, dum veſicæ ſacculus quidam appenſus erat, in quo lapis ſtabulabatur, vid. Caſp. Bauhin. *Theatr. anatom. Lib. I. cap. 31. p. m. 102.* Calculum arctiſſime veſicæ adhærentem, figuram cordis humani repræſentantem, & uncias quinque & dimidiam ponderantem obſervavit Johannes Scultetus *Armament. Part. II. Obſerv. 66. p. 92. ſeq.* Curioſam Obſervationem de calculis intra duplicaturam veſicæ, circa inſertionem ureterum hærentibus annotavit Johannes Grœnvelt, vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1685. p. 126.* Tres calculos ſatis inſignes veſicæ tunicis adeo involutos, ut ne lynceis quidem oculis illos perſpexiſſes, niſi ſcalpellum involucra abſtuliſſet, obſervatos reperimus apud Nicolaum Tulpium *Obſervat. medic. Lib. IV. Cap. 36. p. 352.* De viginti novem calculis in Senatoris Amſtelredamenſis, Johannis de With, veſica repertis, quorum unusquisque proprio receptaculo latitabat & quidem tam tecte, ut circa initium crediderit chirurgus, nihil calculorum illic detineri, vid. idem Autor *Lib. III. cap. 4. p. 195. ſeq.* Item *cap. V. p. 196. ſeq.* periculoſæ calculi accretionis mentionem facit:

Viri ſcilicet Brabantini diſſecti veſica continuit calculum membrana involutum, & fibris ſuis, tam ſtricte veſicæ tunicis alligatum, ut vix inde avelleretur ſine manifeſta dilaceratione. Ruſtico quoque Lithotomus ademturus calculum, extraxit ſimul & ipſam veſicam, utpote calculo tot & tam tenacibus vinculis accretam, ut nequiverit ulla arte ab eo ſeparari. Et *cap. 6. p. 199.* calculi veſica arcte circumdati meminit. Veſica ſcilicet continuit duos calculos, a corrugatis ipſius tunicis tam arcte circumdatos, ut præter illos vix unciam recepiſſet liquoris. Refert etiam Georgius Segerus, Caſparum Bauhinum ſibi oſtendiſſe calculum veſicæ, quem e vivo viro, homine robuſto & quadragenario, fruſtra extrahere conatus erat exercitatiſſimus Lithotomus, quia calculus veſicæ lateribus firmiter adhærens omnem artificis operam eluſerat, donec tandem ſupervenientibus acerbiſſimis ſymptomatibus ipſaque morte e cadavere eruebatur. vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt. 35. p. 127. ſeq.* In juvene quodam circiter viginti duos vel tres annos nato, ab ineunte ætate de dolore veſicæ, difficili mictione, involuntaria interdum urinæ retentione, poſt mortem calculum magnum aſperumque, cum quo veſica undique tam arcte concreverat, ut vix aliquot tranſeuntis urinæ guttis via patuerit, obſervavit Adamus Brendelius *Obſerv. anat. Decad. II. Obſ. 9. p. 26. ſq.* De duobus calculis & quidem ſatis ingentibus, qui in principio attritu ſuo veſicæ cervici fuerunt moleſti, mox vero pondere ſuo adeo extenderunt ſequacem veſicæ membranam, ut paulatim deſcenderint ad quatuor transverſos digitos, a priore ſtatione; provoluti quaſi in ſacculum veſicæ adhærentem, in cujus receptaculo etiam calculum ſuum dicitur concluſum habuiſſe Iſaacus Caſaubonus. vid. Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. IV. cap. 47. p. 375.* Calculi cohærentiam annotavit etiam Johannes

hannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. med. Lib. I. Obſ. 2. p. 4.* & quidem in Patricii Hamburgenſis filio, cujus apertus poſt mortem venter in veſica lapidem oſtendit durum, duodecim uncias pendentem, ſic undique veſicæ agglutinatum, ut omnino ſine ejus ruptura divelli non potuerit. Calculos intra duplicaturam veſicæ circa inſertionem ureterum hærentes obſervaſſe Johannem Grœnvelt, referunt *Acta Erudit. Lipſ. 1685. menſ. Mart. p. 126.* Calculos ultra trecentos, ſpatio quinque dierum a Mercatore, in ætate octoginta annorum conſtituto, rejectos, in peculiari folliculo, prope alterutrius ureteris in veſicam ingreſſum quacunque demum ex cauſa efformato, in quam ſenſim ex renibus deſcenderint, fuiſſe collectos, eoque rupto tandem excluſos ſuſpicatur Lucas Schrœckius *Ephem. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 92. p. 229.* In infante nondum ſemeſtri calculo veſicæ extincto ſolidus, ille & ſatis compactus erat, qui cum mole ſua ferme ovum columbinum æquaverit, tam arcte cum veſica concreverat, ut paucis tantum guttis tranſeuntis urinæ via potuerit, juxta Adam. Brendel. *Obſ. anat. Decad. III. Obſ. 1. p. 7. ſeq.* Calculos inter veſicæ tunicas aliquando ſubſiſtere augmentumque capere, Anatomicus Littre ex trium ſubjectorum diſſectione cognovit. Primordia eorum ab ipſis renibus petere tanto minus veretur, quanto diſtinctius in ultimo juvenis cadavere viderit, a duobus calculis tum eam ureteris partem, quæ inter tunicas veſicæ procedit, primum perforatam, hincque a quolibet eorum meatum intra veſicæ ſubſtantiam ad locum usque, ubi detinebatur, efformatum fuiſſe, tum duo pariter ulcera, in rene alterum, alterum vero in pertuſo uretere, excitata per hujus canalem materiam purulentam excernentia &c. uti ex Hiſtoria Academiæ Regiæ referunt *Acta Erudit. Lipſ. 1706. menſ. Jul. p. 317.* vid. etiam Joh. Guil. Pauli *Præfat. in Joh. van Horne Opuſcul.* Plura

ejusmodi exempla vid. Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. III. fol. 491. ſeq.* item Chriſt. Fr. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. cap. 3. §. 70. ſeq. p. 1107. ſeq.* Hæc tamen calculorum cum veſicæ tunicis agglutinatio Friderico Ruyſchio *Theſaur. anatom. II. p. 31. ſeq.* ſuſpecta videtur, ubi de tunicæ interioris veſicæ ramoſis excreſcentiis præternaturalibus agens inter alia inquit: inter has ramoſas excreſcentias, a calculi attritione productas, calculi aliquando latitant, quemadmodum pilæ luſoriæ, nuces &c. inter plantas gramineas; hinc non raro contingit in calculi extractione, ut lithotomus non ſolum calculum, verum etiam dictas ramoſas excreſcentias forcipe arripiat, unde lethalia ſymptomata ſæpe ſuboriuntur; & hoc demum eſt, quod calculus dicitur adhæſiſſe veſicæ; cum poſt extractionem calculi aliquid carnoſi reperiatur in forcipis cavitate. Rariſſime enim, ſi unquam, calculus connaſcitur veſicæ. Interim quoque vix eſt ut credam, calculum poſt fata olim fuiſſe inventum (uti nonnulli perhibent) inter tunicas veſicæ, niſi a prægreſſa ulceratione, aut læſione veſicæ, aut ureterum prope veſicam. Idem tamen Ruyſchius *Theſ. III. p. 3.* factitiæ feſtucæ tenerrimæ meminit, confectæ ex fibris veſicæ urinariæ cujusdam mulieris, quæ fibræ tot undique a natura ſunt obſitæ calculoſis arenulis, ut nil fere niſi arenulæ calculoſæ conſpici poſſent, imo tota quanta veſica iſta ex ejusmodi fibris calculoſis conflata fuit, ita ut integra prima fronte viſa, quaſi lapidea aut potius ex arenulis calculoſis conſtituta videretur.

§. 41.

An Calculi veſicæ in renibus an Veſica oriantur.

Circa calculum veſicæ in eo diſſentiunt Autores, an nimirum talis in ipſa veſica, vel potius in renibus ortum ac primum rudimentum ſumat, atque ex his ad veſicam propellatur? Hanc præ illa ſententiam eligit Johannes

Fer-

Fernelius *Patholog. Lib. VI. cap. 13. Oper. Tom. II. pag. m. 181.* rejectis aliorum ſententiis ita ſcribens: Comperi, omnem calculum in veſica concluſum rudimentum quoddam e renibus traxiſſe, e quibus per nephriticum dolorem excidens, ſi grandiuſculus eſt, in veſica aliquandiu hæret ac plerumque perſiſtit; illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, dum verus confirmatus lapis fit; Ita quidem neminem hactenus offendi in veſica calculum habere, qui nephriticis doloribus divexatus antea non fuiſſet. Et quocunque exemptos veſicæ calculos obtrivi (obtrivi autem experiundi gratia permultos) in eorum medio quaſi nucleum reperi, verum rudimentum e renibus exturbatum, diverſi, quam reliquum integumentum ac involucrum, & coloris, & ſubſtantiæ. Huic ſententiæ favere quaſi videtur Petrus Borellus *Hiſtor. med. phyſic. Cent. II. Obſ. 62. p. m. 161.* inquiens: dati mihi fuere duo calculi a diſſectore perito, in quorum primo a me rupto nucleolum lapideum inveni, quod Fernelii ſententiam comprobare aliquomodo videtur, qui aſſerit, calculum in renibus formari, & poſtea ad veſicam devolvi, ubi cuticulatim augetur &c. Ex recentioribus Stephano Blancardo locus, ubi primo calculus veſicæ naſcitur pariter videntur renes; nam in veſica, inquit, diverſorum humorum non eſt concurſus: niſi ponas, ab altero rene plus acidi, quam ab altero ſeparari poſſe, a quo forte plus ſalis deponeretur, hinc, ex utriusque concurſu concretionem fieri poſſe, non eſt impoſſibile. Sed tamen illa opinio adſtipulari non poteſt, quoniam ſanguis ad utrumque renem pulſus ejusdem exiſtit mixturæ, & per conſequens non tam in partium heterogenearum, ut inde efferveſcentiæ concitari poſſent; ſed forte prius in ipſis renibus ex acini glanduloſi obſtructione exiguus calculus ibi concretus per ureteres in veſicam deſcendit, qui ob diutinam moram conti-

In renibus alii defendunt.

continuo ab appulſione ſalinarum partium accreſcit atque tandem magnitudine augetur. vid. Blancard. *Inſtitut. Chirurg. Cap. 23. Oper. Tom. II. p. m. 375.* Et Thomas Williſius *de Urin. Cap. V. p. m. 235.* inquit: loca, in quibus uſitate gignuntur calculi, ſunt renum ſinus anfractuoſi; exinde minores in veſicam delapſi, ſi non excernuntur, in lapides ingentes excreſcunt. Item Georgius Erneſtus Stahl *Diſp. de Nova Patholog. Calcul. Ren. Cap. 1. p. 6.* ait: qui adultiores aut ſeniores veſicæ calculum geſtaſſe memorantur, quoties fere ille diffractus legitur, exhibuit incluſum renalem ſabuloſum, ex rubro-flaveſcentem calculum, cui univerſa illa reliqua maſſa, non aliter quam purum ſucceſſivum accrementum ſenſim in ipſa veſica acceſſiſſe probabiliſſime apparet. Cui ſententiæ etiam ſubſcribere videtur Michaël Ettmüllerus *Oper. Vol. I. fol. m. 220.* inquiens: Vix continetur calculus primario in veſica, potius e renibus dilabuntur per ureteres ad veſicam urinariam. Generantur primo ſub forma minutiſſimorum granulorum, quæ per ureteres ad veſicam deſcendunt, parietes veſicæ continuo affrictu atterunt & lædunt, ex qua læſione transſudat humor ſpermaticus ſeu nutrimentum veſicæ, quod viſciditate aliqua gaudens ſucceſſive adhæret dictis granulis calculoſis, & ſimul cum iis in veſicæ calculum coagulatur. Hinc ſi diffringuntur calculi veſicæ, apparet ex pelliculis pluribus ſuperimpoſitis, inſtar ceparum vel lapidis Bezoar, in medio reperitur nucleus ex renibus per ureteres eo delapſus, per ſuccum nutritium & alia ad calculi ſeu tophi incrementum apta ſucceſſive auctus & coagulatus: Inquit etiam Antonius Nuck *Adenograph. curioſ. cap. VII. pag. m. 77. ſeq.* Obſervari ſæpius calculos per ureteres ex renibus veſicæ vacuum ſubeuntes, mole ſua quidem parvos, ſed ob materiæ unionem compactiorem, in veſica hærere, calculorum futurorum nucleum conſtituere,

tuere, cui facile incruſtationes lapideæ, tanquam ſtratum ſupra ſtratum ſuperveniunt. Hocque iterum facilius accidit vitam ſedentariam agentibus, quorum urina tardius in renibus ſecreta, diutius in veſica moram nectit, dum particulæ ejus, ex ſale volatili urinoſo, ſpiritu limpidiſſimo, oleo fœtido & terra fatua compoſitæ, nucleoque dicto junctæ, molem calculi adaugent. Nucleus autem talis aut alius naturæ corpus aliquod terreſtre, plerumque adeſſe debuit, ejusmodi poris donatum & ſuperficie, cui particulæ ab ipſa urina ſecretæ adhærere & calculi incrementum promovere poſſent. Idque Nuckius Experimento quodam probat, & quidem per globulum ligneum veſicæ canis immiſſum, qui poſt aliquot ſeptimanas iterum exſectus exiguis calculis, quaſi totidem cryſtallis fuit inſtructus. Imo ex hoc fundamento alii ratione loci & primi rudimenti diſtinctionem inter calculum renum & veſicæ non admittunt. Scribit enim Dionis *dans le Cours d'Operations de Chirurgie, Demonſtrat. III. p. m. 131.* Il y en a qui font deux ſortes de pierres, l'une qu'ils diſent étre formée dans les reins, & lautre dans la veſſie: ils les diſſerencient en ce qu'ils veulent, que celle du rein ſoit plus petite, plus legere & plus rouge; & que celle de la veſſie ſoit plus groſſe, plus dure & plus blanche, ajoutant que les vieillards ſont plus ſujets à voir le calcul dans les reins, & les jeunes dans la veſſie. Mais ces Obſervations ne ſont pas certaines; car aux jeunes comme aux vieux on trouve de pierres de toutes couleurs & de toutes groſſeurs; & aux uns comme aux autres elles commencent a ſe former dans le rein, & elles ſ'augmentent dans la veſſie; voici comment. Le Principe eſſentiel, ou le fondement dela pierre eſt toûjours quelque particule d'un chile groſſier & mal digeré, qui étant portée avec la ſeroſité urinaire aux reins, & ſ'inſinuant dans un des petits

tuyaux des corps mammillaires, qui filtrent cette ſeroſité, ſ'y embaraſſe & ſ'y arrête, de maniere, qu'avec le ſecours des eſprits coagulateurs ou des acides, elle ſ'y endurcit & devient pierreuſe: la partie tartareuſe de l'urine venant enſuite à toucher ce petit commencement de pierre, elle ſ'y attache, ſ'y unit & en augmente le volume; & tous les jours un nouveau tartre de l'urine ſ'y joignant elle croiſt jusqu'à ce que le cours continuel de ce fluide l'oblige à ſe detacher & à tomber dans le baſſinet, d'où elle eſt conduite par l'uretere dans la veſſie; & alors trouvant un eſpace vaſte & libre elle y ſejourne plus aiſement, & ſ'y groſſit de plus en plus par de nouvelles applications de matieres, juſqu'à ce qu'enfin cauſant par ſa volume, par ſon poids, ou par ſes pointes des douleurs & des incommoditez inſupportables, on eſt contrait de la tirer par l'operation. Ita etiam Johannes Dolæus *Epiſt. III. ad Joh. Jac. Waldſchmid. p. m. 224.* perſcribit: an in veſica gignatur calculus, an in renibus conceptus, deinde ad veſicam delapſus, velut fœcundum ovum ab ovario in uterum deſcendit, hic nutriatur, non facile dicemus, plures tamen ſuſpiciones pro renibus urgent, ſiquidem in anguſtiis initia tartari jaci ſolent; at vero tartaro & arenis calculi generationem deberi, id etiam alia inter evicerit obſervatio, qua conſtat, podagricos utplurimum calculo laborare, & modo podagram, modo calculum pati, dum in articulis, aut in renibus tartarus magis coacervatur, &c. Et du Verney junior calculorum primordia ab ipſis renibus petere tanto minus veretur, quanto diſtinctius in juvenis cujusdam cadavere viderit, a duobus calculis tum eam ureteris partem, quæ inter tunicas veſicæ procedit primum perforatam, hincque a quolibet eorum meatum intra veſicæ ſubſtantiam ad locum usque, ubi detinebantur, efformatum fuiſſe, tum duo pariter ulcera, in rene alterum,

terum, alterum vero in pertuſo uretere, excitata, per hujus canalem materiam purulentam excernentia. Juxta Eliæ Camerar. *Syſtem. cautelar. medic. cap. III. p. 196.* Calculorum renum & veſicæ plerumque in renibus principium eſt, in quibus concreſcunt primæ minutiæ & quaſi nuclei calculorum, quibus in ulteriori itinere nova apponuntur ſenſim ſenſimque, nunc plura, nunc pauciora ſtrata ad diverſam usque magnitudinem; Calculus enim requirit aliquam, cui accreſcat, baſin &c. De calculi generatione ita ſcribit Johannes Bernhardus Gladbachius *Prax. medic. p. 292.* facta obſtructione in tubulis renalibus a particulis ſalinis, acido-viſcidis & irregularibus, aliæ ſemper accedunt, quæ molem illarum augent; unde primo arenulæ varii coloris, duritiei, figuræ & magnitudinis generantur, quæ progreſſu temporis, dum ex tubulis renalibus protruduntur in pelvim, ureteres, & veſicam, augmentum ſumunt & calculum non raro ſtupendæ magnitudinis efficiunt. Huic ſententiæ quoque ſubſcribit Italus, Thomas Alghiſi *Tr. de Lithotom.* ſcilicet calculum in veſica vix immediate, ſed ita formari, ut vel parvus calculus a renibus, vel aliud concretum extraneum, ad illam prius delatum ibique ſubſiſtens ab urina ſucceſſive diverſa incruſtationum lapidearum ſtrata recipiat, idque notabilibus puellæ alicujus & monialis confirmat exemplis, ceu quarum illa exiguum fuſum eburneum, hæc vero candelam parvam ceream, per urethram incautius in veſicam eo effectu immiſerit, ut prior ex calculo inſigni, circa mediam fuſi partem concreto, Florentiæ in Xenodochio S. Mariæ perire, poſterior autem a cruſta calculoſa ſuperficiem candelæ inſtar exiguarum cryſtallorum cingente, dicti Autoris manu liberari demum neceſſe habuerit. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1708. menſ. Sept. p. 418. ſeq.*

§. 42.

Alii contradicunt. Alii econtra Autores ſententiæ dictæ contradicentes, priorem amplectuntur. Scribit enim Guernerus Rolfincius *Epitom. method. cognoſcend. & curand. affect. part. Lib. III. cap. 19. p. 304.* Videtur Fernelius a veritatis tramite ſeceſſionem facere & ab eo, quod aliquando fit, ad id, quod ſemper fit, conſequentiam facere pœnitendam. Rationes ejus robur non habent ullum. Et Gottofredus Chriſtianus Wincklerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 109. pag. 146. ſeq.* allegatam Fernelii ſententiam, ſcilicet unumquemque calculum veſicæ trahere rudimentum e renibus, quod poſtmodum in veſica coagmentetur; ideo univerſaliter a veritatis ſemita abhorrere, cum etiam pueri, qui rariſſime calculo renum laborant, veſicas habeant ſabulo & calculis ſcatentes; licet hoc in adultis ſi non ſemper, tamen plerumque vel ad minimum aliquando hoc accidere concedat. vid. etiam Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Lib. III. Sect. 25. cap. 2. Tom. I. fol. m. 752.* Quod etiam confirmat Gothofredus Bergerus *Phyſiolog. ſeu de Natur. human. Lib. I. cap. 12. p. m. 201.* omnem, inquiens veſicæ calculum ſuam in renibus matricem habere, cum Fernelio exiſtimandum non eſt, cum neque nuclei in omnibus veſicæ calculis reperiantur, neque in pueris idem admitti queat, qui cum integros & illæſos habeant renes, calculo tamen veſicæ maxime ſunt obnoxii, ac fieri omnino poteſt, ut, quando urina diutius in veſica retinetur, & duris ac craſſioribus particulis prægnans & onuſta eſt, hæ ſeſe comprehendant & ſubſidant, factoque ita cohæſionis fundamento, nunc citius, modo tardius ex eadem materia augeantur, eodem propemodum modo, quo matulis diu uſurpatis nec mundatis arenoſa ac ſabuloſa accreſcit materia, quæ niſi purgetur, in ſquamas, cruſtas & tandem lapides abit. Et ſi novæ materiæ appoſitione & congeſtione ex nucleis ex renibus

nibus demiſſis, calculi in veſica fieri & augeri poſſuntquid obſtet, quo minus illi ibidem originem ſumere queant? Calculum veſicæ vel intra renes primordia ſua nanciſci ac per ureteres transmitti, vel intra illam ipſam ex eadem, qua renalis proſapiam ducit, materia gigni, ſtatuit etiam Johannes Mauritius Hoffmannus *Diſquiſit. Corp. hum. anat. patholog. Specim. VII. §. 24. p. 82.* Quamvis etiam in quibusdam calculis, ex renibus protruſis, imprimis in iis, qui cæparum modo ſtratum ſupra ſtratum, vel laminam ſupra laminam habent, in medio rudimentum aliquod ſeu nucleus reperiatur, plurimi tamen econtra dantur calculi tam renales, quam veſicales, in quibus nullum ejusmodi granulum reperitur, quales ſunt calculi tophacei, & illi, qui ex plurimis particulis vel globulis, ſibi invicem adnatis conſiſtunt, atque utplurimum coloris ſubflavi vel rubicundi, & friabiles ſunt. Neque etiam in calculis duriſſimis & quidem atris, quorum aliquot vix malleo diſcutere potui, ejusmodi rudimentum videre mihi licuit. Imo licet etiam de calculorum ex renibus per ureteres ad veſicam deſcenſu ex dolore ſatis certi reddamur, non tamen in omnibus renum calculis interne nuclei latitant, ſiquidem tres calculos oblongos, inſtarque nuclei dactylorum, cum crenula, ex molli quaſi argilla conſiſtentium, ab amico, illorum per ureteres tranſitum, non admodum doloroſum ſentiente, intra dimidiæ horæ ſpatium excretos memini, qui in ipſo excretionis puncto adhuc quaſi molles erant, nullum autem nucleum in ſe continebant. Hæc etiam controverſia, utrum calculus veſicæ prima ſua rudimenta in renibus accipiat, an vero in ipſa veſica generetur, juxta Guil. Fabric. Hild. *de Lithiaſ. Cap. I. p. 24.* parum emolumenti affert. *Obſervatio.*

§. 43.

In Urethra. Porro in pene ejusque urethra ſeu meatu urinario calculi quandoque ſatis diu hærent, vel etiam ex eodem extrahuntur, vel exciduntur. v. g. ad penis radicem pueri triennis, a prima infantia motibus convulſivis artuum ſæpius infeſtati, cum ſuppreſſione urinæ calculum ſeu lapillum glabrum, oblongum, dactyliformem, gryſei coloris, grana ſex ponderantem exire obſervavit Johannes Burgius, v. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 174. p. 340. ſeq.* De puero, in cujus penis apice tactu perceptus eſt calculus, qui tamen digitorum compreſſione ejectus fuit, vid. Petr. Borell. *Hiſtor. med. Cent. IV. Obſ. 84. p. m. 341.* Viro cuidam Magnifico ſexagenario, cui acidulæ Schwalbacenſes calculum in radicem virgæ propulerunt, ſuppreſſaque omnimodo urina epileptici motus imminebant, exſectus eſt iſto, vel a ſectione potius expreſſus calculus, poſt breve ſpacium vulnus iterum coaluit, vid. Joh. Laurent. Bauſch. *de Lapid. Hæmatit. Proem. p. m. 41.* Hujus exempli mentionem quoque facit Johannes Michael Fehr *Hier. picr. ſive de Abſinth. p. 137.* his verbis: Acidulas Viro Magnifico ſexagenario jam, & quod excurrit, calculum dactyliformem in ipſam virgæ radicem adeo impegiſſe novi, ut ob imminentem urinæ aquarumque medicarum ſuppreſſionem omnimodam, & ſubſequentem aſſumptorum vomitum, imminentem ſyncopen, fruſtratis omnibus aliis remediis ſectione manuali tollendus eſſet &c. Calculum in orificio penis urinam reprimentem annotavit Daniel Winckler us in puero octo circiter annorum variolis laborante, & de dolore ex urinæ retentione conquerente. Tandem Wincklerum particulam ſalis pro ſtimulatione in ipſius penem injicere volens, videt quid albi in orificio, quod variolam pure plenam exiſtimans acum accipit tentaturus, quid ſit? durum offendit, movet, motumque eximit, lapillus eſt. Ex-

Exempto lapillo profluit urina &c. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 36. p. 70.* Item Theoph. Bonet. *Mercur. compitalit. Lib. IX. fol. m. 424.* Guilhelmus Fabricius, Hildanus, calculum inſtar calicis dactyli, ſexagenario cuidam viro, citra inciſionem, non quidem absque dolore, ſed ſine mortis periculo e virga eduxit, uti refert *Tr. de Lithotom. Veſic. Cap. 26. p. 179. & Oper. fol. 752.* In Friderici III. Electoris Saxoniæ veſicæ orificio lapis offendebatur magnus, cuſpide in cervicem, qua urinæ meatus patet, porrecta, latiore parte in veſica hærente, vid. Joh. Kentmann. *de Calcul. in Corp. hum. p. m. 10. ſeqq.* ubi calculum depingit. Lithotomum celebrem tres lapides, magnitudine avellanarum ex nobiliſſimi pueri, ſeptem annorum, meatu urinario extraxiſſe, teſtatur Martinus Bernhardus a Berniz. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 141. p. 225.* De Viro, cui lapillus lentis magnitudine in glande penis ſubſtiterat & oculis conſpici poterat; nihilominus inſtrumento chirurgico extrahendus erat. vid. Obſervatio Johannis Laurentii Bauſchii *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 5. p. 13. ſeq.* quo loco etiam lapilli hoc paullo majoris piſumque magnitudine ſuperantis meminit, qui in extremitate balani exiſtens viſuique obvius Canonico cuidam Regulari quatriduanam retentionem cauſarat atque non niſi via patentiore facta per inciſionem glandis penis, extrahi poterat. Vir plebejus & ſortis tenuioris in Inſula Maris Balthici Borringholmo 1657. calculoſus, ſemel tres calculos excrevit, quorum maximus fabam grandiorem ſuperabat. Conſuluit chirurgum ſeniorem, qui pertentato digitis abdomine circa urethræ initium, de cujus dolore conquerebatur, deprehendit tumorem durum, prædixitque ægro, adeſſe ibidem calculum ingentem. Diureticis & lithontripticis exhibitis tandem erupit calculus nucis juglandis magnitudine unciam pendens, per urethræ latus prope exortum, quod

impetu

impetu calculi miſere fuit ruptum, referente Thoma Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 3. p. 6.* Filio Rectoris Campenſis ſuccreverant ab ineunte ætate, in medio urethræ ductu plurimi calculi, qui illum paulatim diſtenderunt; ad inſtar pugni puerilis, adeo ut ſinguli diſtincte manu palparentur; illato tamen ne minimo quidem impedimento urinæ exituræ, quem tumorem ſexto demum ætatis anno, ablaturus chirurgus aperuit ſcapello colem, prope lineam intermediam, in muſculis urethræ dilatationi dicatis, eductisque inde quinque & viginti calculis, inſtar maximorum piſorum, &c. teſte Nicolao Tulpio *Obſ. med. Lib. IV. Cap. 34. p. 348. ſeq.* Hoc exemplum etiam ab Henrico a Roonhuyſen *Part. I. Obſ.* 27. *p.* 120. De calculo in meatu urinario commorante ſequentem Obſervationem refert Johannes Helwigius *Obſ. 134. p. 366.* Civis Ratisbonenſis pene ſexaginarius aliquando calculum in cole vel meatu urinario commorantem ſentiens iſchuria affligebatur, cum dolore & tumore membri genitalis notabili. Chirurgus accerſitus totum membrum externe oleis emollientibus & diſcutientibus tepide atque perſæpe illinens, injectoque oleo tepido amygdalorum dulcium lubricata via calculum digitis blande balanum verſus deducens, terebra, quali ſphærulæ ſclopetariæ e vulnere trahuntur, balano inſerta, calculum oblongum, rotundum, aſperum, nuclei dactylorum figura & magnitudine, ſine omni læſione ulteriore exemit. Ibidem etiam in Scholio *p. 368.* Lucas Schrœckius alium calculum, ciceris majoris magnitudine & multis eminentiis aſperum e puero ruſtico duodecenni extractum ſe obſervaſſe addit: Coriarius quidam mediæ ætatis doloribus nephriticis diu tortus, tandem aliquando poſt mediam noctem ſubito exclamat: O chariſſima uxor, & calculum excrevi, & alius adhuc urethræ inhæret, lumen mox accende, ut exactius, quæ

geſta

geſta ſunt, perſpicere poſſim, lumine allato nullum quidem calculum excretum invenire poſſunt, ad penis tamen radicem firmiſſime calculum intruſum notant, qui etiam dolores ferme non ferendos inferebat, & omnem urinæ excretionem impediebat; qua de cauſa uxor, ſuaſu medici, Viti Riedlini duos chirurgos vocavit, qui, nullo modo calculum extrahi poſſe videntes, ſectionem inſtituerunt. v. *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 127. p. 218. ſeq.* Calculos phaſeoli magnitudine per tres vel quatuor menſes absque dolore atque urinæ impedimento in urethræ medio retentos obſervavit Dominicus Panarolus. v. *Pentec. V. Obſ. 29. p. m. 162.* Sequentem Obſervationem refert Henricus ab Heer *Obſ. VII. p. 83.* Vidi in Spa ſenem Illuſtrem, cui cum calculus colem ingreſſus nulla arte eximi poſſet, glans ad pollicis latitudinem ſecari debuit; educto calculo, volebam vulneris labiis callo duratis foramen apertum relinqui, ut aliis forte ſecuturis exitum præberet; quo conſilio ſpreto, chirurgus claudi vulnus paſſus eſt; cæterum ſequenti anno novo calculo eundem meatum obſidente nova molienda fuit ſectio &c. Idem Autor etiam *Spadacren. cap. 9. p. m. 78.* inquit: Italus quidam ſtipendia merens, ſedecim ſe in penis cole calculos geſtare dicebat, piſis recentibus majores. Juſſi hominem mingere, cum viderem, ipſum mictionem tardius & cum difficultate pubisque compreſſione cœptam, ſicut alios facile continuare, proculque urinam jaculari, rogavi, num cerebro conſtaret? me enim non capere, quomodo tot calculi tantæ molis, in ipſo urinario meatu poſiti, tantam urinæ libertatem permitterent. Ille ſubito manu mea peni ſuo admota numerare me calculos jubet, numero ſedecim, & quidem tam facile, quam vel globulos precario fune irretitos, vel nodos thoracem vincientes. Teſtor fidem, me quarta poſt ſeptimana tantum ſex inveniſſe, decem emiſſos ſancte affir-

mabat, eosque in pyxide oſtendebat. Puerulus quinque annorum ſubito de ſummo penis conquerebatur dolore, ac urinam reddere nequibat. Acceſſitus autem Johannes Muys per ferrum exploratorium tetigit lapillum grani piperis magnitudinem habentem, ſed aſperum magis in meatu urinario contentum. Hic Autor filioli matri juſſit, ut os ſuum pueruli peni applicaret, ac ſugeret aliquandiu, quantum poſſet, atque hoc pacto lapillus brevi eliciebatur foras, usque ad urethræ extremitatem, unde tunc forcipe facile extrahebatur, ſicque puerulus ille cito, tuto & jucunde a dolorifico hoc affectu liberatus eſt. vid. Joh. Muys *Prax. med. chir. rational. Dec. III. Obſ. VII. p. 125. ſeq.* De quatuor vel quinque calculis a lithotomo ex pueri pene extractis. vid. Vit. Riedlin. *Millenar. Curar. med. Obſ. 468. p. m. 281.* In viri plus quam ſeptuagenarii urethræ ea parte, ubi glans incipit, calculus ſubſtitit atque urinæ excretionem non parum impedivit. Ob dolorem autem hic vir ſubula arrepta tamdiu calculum movit, donec hanc, quam fixerat aliquandiu ſedem reliquerit & in lucem prodierit. Elapſis aliquot menſibus eidem viro alium calculum magnitudine piſi majuſculi extraxit chirurgus, teſte eodem Riedlino *Linear. medic. An. 1699. menſ. Maj. Lin. 3. p. m. 442. ſeq.* Sequentem Hiſtoriam refert Petrus Borellus *Hiſtor. med. Cent. IV. Obſ. 84. p. m. 341.* Vicinum Cadalenum habeo, cujus puer poſt dolores multos conqueſtus eſt de pene & urinæ ſuppreſſione, re inſpecta viſus eſt tumor in ejus apice, tactu perceptum eſt, calculum eſſe, digitorum vero compreſſione verſus ventrem incipiendo & forinſecus mulgendo ejectus fuit & ſic curatus. De calculo in ipſo ductu urinario retento vid. Guilh. Fabric. Hild. *Cent. VI. Obſ. 56. fol. 570. ſeq.* Chemnitii chirurgum quondam dexterrimum Theophilum Voigt e pene juvenis calculum exſecuiſſe, teſtatur Chriſtianus Fridericus

Gar-

Garmannus *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 79. p. 1113.* De lapide ex orificio penis extracto hæc Obſervatio continetur in Petr. Hadrian. F. Verduin *Obſ. Chirurg. 15. p. 52.* Jacobus Cornelii F. quinque annorum puer die 11. Jan. An. 1660. ad nos delatus lapidem in anteriori penis parte geſtabat. Qui lapis cum adhuc minimæ eſſet molis paulo poſt pueri nativitatem ad illam partem delapſus pedem fixerat, tantumque incrementum ſumſerat, ut, poſtquam eſſet extractus juglandis nucis magnitudinem ſuperaret & drachmas quinque ponderaret. Quapropter convenientibus inſtrumentis facta inciſione illum extraximus, patientemque feliciter ſanavimus, remanente parva quadam apertura, quæ propter cutis laxitatem, totaliter claudi non potuit. De calculo circa radicem penis adoleſcentis ab incunabulis hærente, creſcentibusque annis pariter ibidem creſcente, ſeu progreſſu temporis ab affluente ſemper materia adeo aucto, ut ad omnimodam urethræ obſtructionem ſufficeret, tandemque exſcindi neceſſe haberet, vid. Georg. Segeri Epiſtol. ad Thom. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. IV. Epiſt. 5. p. 19. ſeqq.* In chirurgi ex urinæ ſuppreſſione diuturna mortui urethra inventus eſt lapis magnus, rotundus, duriſſimus, rubri coloris, aculeis undique in orbem conſtans, pondere granorum quadraginta quinque vid. Zacut. Luſitan. *Prax. medic. admirab. Lib. II. Obſ. 76. fol. 59.* Et Obſervatione ſequenti caſum refert de viro robuſto octo continuis diebus urinæ omnimoda retentione laborante, quia calculus ad virgæ extremitatem erat protruſus ibique tenaciter adhæreſcens nulla ope educi poterat. Hic æger pudendum, ob lapidis molem tumidum valde ſuper ligneam tabulam in ſcamno ſedens imponit & indignabundus vehementiſſimo pugno pudendum concuſſit & lapidem comminuit, cujus fruſtula parva cum urinæ copia illico excreta illum a mortis faucibus liberavit.

 vit.

vit. A Judæo, veſicæ calculo miſerrime excruciato, calculi domeſticis remediis in penem usque protruſi tenaciſſime adhærebant, quos omnes vocatus chirurgus, toto pene ad ſcrotum usque aperto & diſſecto novacula exemit. v. *M. N. C. Dec. II. An. 5. Append. p. 18.* item Chriſt. Franc. Paullini *de Nuc. moſchat. p. m. 610.* In Sereniſſima quadam perſona duo calculi, phaſeoli magnitudine, exquiſitiſſimo partium delicatiſſimarum ſenſu comitante per meatum urinarium prodierant, tertius vero grandior cæteris, pone glandem hærebat; unde præter dolorem & urinæ ſuppreſſionem ingens tumor ſcrotum & totum virile membrum occupabat. Licet autem calculus per medicamenta ad anteriora paulo magis propelleretur, ob magnitudinem tamen neque ſponte, neque forcipe apprehenſus anguſtias eas eluctari poterat, unde nullum reſtabat remedium, quam dictam urethram in principio glandis usque ad lapidem inciſione facta ampliare, ſicque calculo viam facere. Cui autem conſilio cum reſiſteretur, gangræna lethalis ſuperveniebat: vid. Ido Wolff. *Obſ. chirurg. medic. Lib. I. Obſ. 48. p. m. 156. ſeq.* In ſummo pene inter glandem & præputium reperti calculi ex Vincentio meminit Daniel Sennertus *Inſtitut. Medicin. Lib. II. Part. 2. Cap. 9. p. m. 253.* Cum ſartor quidam, duritiem, quam ultra quatuor annos in medio penis corpore obſervaverat, magis magisque ſentiret augeri & usque eo accreſcere, ut non operi ſolum conjugali impedimento eſſet, ſed urethram etiam premendo vehementer anguſtaret, ac propterea tanta ſe levari peteret moleſtia, ipſius autem Medicus Johannes Conradus Beckerus tactu lapidis præſentiam non vane judicaret, per peritum chirurgum penis celebrari inciſionem curavit. Facta inciſione duo ſe calculi videndos offerebant, paſſeris ovi magnitudinem adæquantes, quos utpote carni accretos, multo quidem labore, ſed tamen bono

ſucceſſu

ſucceſſu chirurgus exemit, uti refert dictus Beckerus *Tract. de Submerſor. Mort. ſine pota aqua p. 95.* Illuſtriſſimus Vir calculum excrevit nucis avellanæ magnitudinem æquantem, ſed figuræ oblongæ, olivam referentis; qui vero tanta difficultate ferebatur per virgæ canalem, ut intra quindecim tantum horas a veſicæ orificio ad balani radicem pervenerit; ubi meatum anguſtiorem inveniens nullo modo eum pervadere potuit; atque adeo neceſſum fuerit balani inciſione illum extrahere; quæ in parte inferiori prope frænum celebrata eſt, juxta Lazar. River. *Obſ. med. Cent. IV. Obſ. 14. p. 9.* De calculo amygdali magnitudine ex urethra exſecto, vid. Steph. Blancard. *Collect. med. phyſ. Cent. IV. Obſ. 42. p. 519. ſeq.* Calculum ſatis ingentem, quem puer quadriennis peperit, obſtetricante cultro chirurgico, qui penem diſtendendo viam ei laxiorem reddidit, depictum communicat Theodorus Kerckringius *Spicileg. anatom. Obſ. 67. p. 136.* De calculo in viro religioſo medicamentis in urethram usque propulſo ibidem forcipe peculiari rupto atque ex anguſtiis exempto, Obſervationem communicat Carolus Joſephus Müllerus *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 162. p. 326.* Calculum avellanæ magnitudinem æquantem, figuræ oblongæ, ex virgæ radice ope manuum, quantum poſſibile, in canalem intruſum atque exinde inciſione celebrata ſine magna hæmorrhagia forcipe exemtum annotavit Johannes Victor Jægerſchmid *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 102. p. 193. ſeq.* Ex Priapo pueri dedecennis calculum tricuſpidem ex veſica eo prolapſum glandique pertinaciter infixum extraxit Johannes Jacobus Harderus, uti refert *Exercit. anatom. & med. p. m. 114.* De calculo rotundo, inſtar ſilicis duro, tres fere drachmas ponderante, ad colis usque orificium ab urina protruſo, volſellæ dentibus arrepto atque citra uretræ inciſionem citraque ſpecilli operam exempto vid. Joh. Scultet. *Armament. Chirurg.*

Chirurg. Part. II. Obſ. 66. p. 92. ſeq. Calculum magnitudine Radicis Zingiberis in ſectione ex pene ſuper lectum proſilire vidit Daniel Wincklerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 34. pag. 67. ſeq.* Extractionem calculi cyſti involuti, figura & magnitudine pineæ nucis ex Infantis Burdegalenſis urethra a D. Hurlotio factam, cœcitas fugax ſecuta annotatur in Nic. Blegny *Zodiac. Med. Gallic. An. II. menſ. Jun. Obſ. 8. p. 127.* In Puero Hafnienſi annorum circiter ſex, calculus nucis magnitudine, naturæ robore e veſica protruſus in urethra ſubſtitit, nec præ magnitudine anguſtum canalem tranſire valens a chirurgo poſt ſectionem urethræ extrahebatur. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. IV. Obſ. 83. p. 193.* De calculo in orificio penis urinam reprimente recenſet Johannes Matthias Müllerus *Ephem. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 53. p. 80.* inquiens: Frater meus natu minimus Anno 1695. ſeptem annorum tunc puer ſubito intenſiſſimos paſſus eſt lumborum dolores, ita ut ad terram incurvatus ejulansque inceſſerit atque repſerit, inde ad ureteris ſiniſtri, poſtea ad hujus in veſicam inſertionis regionem & tandem ad urethram tranſiit ex calculo dolor inque hujus orificio ſubſtitit, ac calculi particula tactui ac viſui ſeſe obtulit; tandem ſuaſu Medici Eraſmi Kisneri urethra in glande inciſione parum fuit dilatata, inſtrumentoque idoneo calculus ad fabæ minoris magnitudinem extractus eſt. De calculis per octennium fere in urethra geſtatis, tandemque absque ſectione, per turundam e radice gentianæ, pollicem transverſum longam, altera extremitate tenuiorem, altera craſſiorem, in medio craſſitie glandis penis orificii capacitati reſpondentem ampliato ſufficienter glandis foramine, ſponte cum urina prodeuntibus, Obſervationem annotavit Guſtavus Gahrliep, v. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 45. p. 67.* In puero ſemeſtri, poſtquam aliquoties ſabuloſum coagulum excre-

viſſet

viſſet, tandem majusculum corpus per urethram protruſum, a præputio impeditum & detentum fuit, & cum illud inflammaretur, & ab urinæ acredine magis conſtringeretur, quam ut exitus daretur calculo, per biennium ibi hæſit, & a prima pollicis magnitudine, ab affluente cum lotio & accreſcente materia, ad quinque pollicum molem auctus eſt, quam cum puer diutius ferre non poſſet, præputium cultro disſcidit, atque ita calculus in tria fruſta diffractus excidit. v. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1713. menſ. Octobr. p. 442.* Plura exempla vid. Joh. Schenck *Obſ. medic. Lib. III. f. m. 499.* Ephemerid. Acad. N. C. *Cent. V. Obſ. 33. Schol. p. 81.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 79. p. 1112. ſeq.* Dan. Sennert. *Inſtitut. Medicin. Lib. II. Part. 2. tit. 9. p. 252.*

§. 44.

Per ſcrotum ſuppuratum puero tredecim aut quatuordecim annorum, poſt quatuor drachmas Aloës tuſæ pro quatuor doſibus e lacte dulci ſumptas, ex veſica exulcerata calculum avellanæ longiuſculæ magnitudine excidiſſe refert Jacobus Zæmanus, Medicus Rondruſienſis. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. III. Cap. VI. p. 10. ſeq.* Poſt graviſſimos dolores e veſica pueri Scanici quadrimi in ſcrotum calculus protrudebatur Anno 1628. exinde vero ſuppuratione facta rejectus, remanente fiſtula, per quam continue urina exſudabat, vixitque hoc ſymptomate urinæque per fiſtulam ſtillicidio ad Annum 1654. Rotundus ille erat calculus & globoſus, candidus cretæ inſtar, ſed durus ſolidusque, exterior tamen cortex ſeu lamina nonnihil ad flavum colorem vergebat. Longus erat pollicem, rotunditati autem aliquid deerat, quippe quod effractum erat, parentes puero ad comminuendos alios calculos exhibuerunt. vid. Th. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſtor. 8. p. 227.* Scroti calculoſi exemplum recen- *In Scroto.*

ſet

ſet Gerardus Blaſius *Obſervat. Anatom. p. m. 131. ſeq.* Die ſcilicet 16. Julii oblatus puer ſex fere annorum, robuſtus ſatis beneque alias valens; Penis hic intumeſcentia laborabat ſingulari, ovi gallinacei ordinarii magnitudinem excedente, color naturali ſimilis erat, inæqualitas aderat magna, ſive duritiem ſpectes, ſive externam aſperitatem, una enim pars altera mollior, uno itidem loco foveæ, altero protuberantiæ occurrebant. Digitis tractanti tumorem lapillorum & numerus inſignis offerebatur & varia de loco in locum commotio. Urinam per penem ipſum libere emittebat æger, imo per urinarium meatum catheter quoque ſine ullo notabili impedimento ad veſicæ urinariæ cavitatem deferebatur. Nec ſolum urina per urethram effluebat, verum etiam per aperturam duplicem circa ſcroti inferiora eaque antica, ſic ut, quoties urinam redderet puer, triplicem quaſi per canalem proſilire notaretur, unum ordinarium naturalem, duos ſibi vicinos, parum a ſe invicem diſtantes extraordinarios, præternaturales. In veſica ipſa nullum omnino calculum catheteris opera obſervare licuit. Hinc conſultum viſum fuit intra ſcroti anteriora & præputii penis poſteriora inciſione commoda, ſecundum penis longitudinem facta, locum tumentem aperire, quo ſic, via apta data, collectis hic præter naturam calculis, quales adeſſe ex tactu aliisque adductis nobis firmiter perſuadebamus, exitus concederetur. Apertione facta cum ſanguine & urina calculi ſeſe manifeſtare incipiebant, & quidem plus quam viginti, lapidelli minoris forcipisque ope, abſtulit Chirurgus, qui etiam die ſequenti plusquam triginta lapillos extraxit. Die 18. Julii duodecim & ſequentibus plures, & ita ultra ſeptuaginta calculos abſtulit. Eandem Obſervationem refert etiam idem Blaſius *Obſervat. medic. Part. VI. Obſ. 25. p. 89.* Ex abſceſſu in ſcroto tres lapides, quorum quisque

que

que craſſitiem & longitudinem pollicis continebat, & ſinguli cyſtide obvoluti erant propria, eduxit Pelerinus, Chirurgus juratus, v. Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. IV. menſ. Februar. Obſ. 4. p. 30.* In viro quodam robuſtiſſimo Sileſiaco ingentem calculum a natura per ſcrotum fuiſſe protruſum, refert Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 142. p. 225.* qui ad majorem hujus hiſtoriæ fidem inſtrumentum publicum Magiſtratus Teſchnenſis ſigillo firmatum adducit. Aliud exemplum calculi per ſcrotum excreti annotavit Carolus Raygerus ibidem *An. 6. & 7. Obſ. 206. p. 304. ſeq.* inquiens: Circa Feſtum Michaelis Anno 1674. Pharmacopæi Poſonienſis duorum annorum filiolus dyſenteria aliquot dies laboravit, urinam non niſi cum difficultate & in minima quantitate reddens, inguinibus & ſcroto diſtentis ac duris exiſtentibus; Hæc cum tandem in puello in agone prope conſtituto dictus Medicus cum Chirurgo exploraret, inveniunt ſcrotum in ſiniſtra parte aliquatenus mollius, quam antea, imprimis in loco quodam, nummi hungarici magnitudine; quapropter hic lancetta aperturam facere decernunt, vixque inſtrumento intra cutis adacto, proſilit urina; & aliquot diebus elapſis, paulo infra vulnuſculum ſponte natura molitur aperturam, & intra tres dies, dum emplaſtrum removere vult chirurgus, una extrahit calculum piſi majoris magnitudine &c. De puerulo, cui prævio ſcroti & veſicæ ſphacelo, calculus veſicæ incluſus ſponte ſua procidit, vid. Marc. Gerbezii *Chronol. med. pract. An. II. §. 61. p. 155.* In cadavere hernioſi calculus una cum veſica unam ſcroti partem impleverat, alteram vero partem inteſtina occupaverant, teſte Stephano Blancardo *Oper. med. Tom. II. Inſtit. Chirurg. cap. 25. p. m. 301.* Calculum friabilem ex diverſis conſtantem tunicis duasque uncias cum drachma una pendentem ex ſcroto ſubito

prodire obſervavit Vitus Riedlinus, Parens, *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 46. pag. 338. ſeq.* Naupegi ſeu Navium Fabricatoris cujusdam totum ſcrotum interne cruſta ſeu cortice lapideo obductum obſervavit Fridericus Dekker *Exercit. practic. Cap. IV. p. m. 150. 152. & Cap. VII. p. 577.* ubi addit, illius Naupegi teſticulum ſiniſtrum cortice quodam lapideo inſtar ovorum teſtæ fuiſſe obſeſſum. Juveni cuidam novendecim annos nato antea bis a diverſis lithotomis, calculis liberato, novus in ſcroto accrevit calculus, miræ magnitudinis, forſan ex fragmento quodam præcedentis inter extrahendum contrito & inter cutem & muſculos in peritonæo remanſo ibique deliteſcente, uti ex Verduini, Chirurgi Amſtelodamenſis communicatione refert Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 253. p. 591.* Sequentem Obſervationem refert Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſerv. chirurg. Cent. VI. Obſ. 57. fol. m. 571. ſeq.* Valentinus Vögler, Heidelbergenſis, quadragenarius ſtranguria & difficultate inter mingendum cum maximo cruciatu ventris, laborare cœpit, ſine ulla cauſa externa ſtranguria illa & dolores ventris cum in duodecimum annum perſeveraſſent, & magis magisque adaucti fuiſſent, tandem plane ſubſtitit urina, nec amplius per penem effluxit, ſed hinc inde per ſcrotum & e regione pubis ulcera fiſtuloſa ſibi efformavit, per quæ ab eo tempore urina ſine inſigni moleſtia & dolore effluxit. Tandem calculus in conſpectum venit, qui etiam poſt dies aliquot a Martino Wirzio, Lithotomo Baſilienſi extractus fuit, ab initio pondus octo drachmarum exceſſit. Ab eo tempore autem, quo extractus fuit calculus, tota fere urina per ulcus, a calculo factum, effluxit. Hunc calculum non in veſica, ſed ipſo ſcroto generatum fuiſſe defendit equidem idem Fabricius. Cum vero non modo per longum temporis ſpatium ante calculi extractionem urina non amplius per

penem

penem, ſed hinc inde per ſcrotum effluxerit, verum etiam poſt operationem nunquam per urethram excreta fuerit, potius dicti calculi locus generationis in veſica, primo integra, ſucceſſu autem temporis ab illo calculo disrupta quærenda mihi videtur.

§. 45.

Teſticulus ſiniſter cujusdam Naupegi ſeu Navium Confectoris cortice quodam lapideo inſtar teſtæ ovorum fuit obſeſſus, quo inſtrumento quodam disrupto tantum fœtorem de ſe ſpirabat, ut juxta Frederici Dekkers *Exercit. pract. Cap. VII. p. m. 577.* animi deliquium una cum chirurgo pene paſſus fuerit, &c. Viro cuidam teſticulos adeo magnos a natura habenti, ut magnitudinem teſticulorum equi multo intervallo ſuperarent, poſt caſum ab equo ſcrotum inſtar ſphæræ, qua trunculis luditur, intumuit, & tumor ad ſuppurationem verſus eſt. Ulcere deterſo deciderunt teſticulorum fruſtula omnino lapidea, ſiliceam enim duritiem æmulabantur, & malleolo in multas partes diſſiliebant, ut cæteri lapides. vid. Lazar. River. *a Petro Pachequo communicat. Obſ. 44. p. 275.* Inter teſticulum & membranam ejus internam lapides triangulares, piſi magnitudine repertos fuiſſe ſcribit Petrus Ruſſe in Nicol. Blegn. *Zodiac. An. II. menſ. Jun. Obſ. 1. p. 122.* Calculum ex medietate virilis teſticuli exſectum propter adamantinam pelluciditatem annulo inſertum poſſedit Gubernator Promontorii bonæ ſpei, vid. Wilhelm ten Rhyne *de Hottentott. cap. 10. p. 34.* In dextro teſticulo decollati cujusdam hominis lapillum ſubalbidum lentis magnitudine inveniſſe Cnoblochium, refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. prior. Obſ. 12. Schol. p. 60.* Item Johannes Rudolphus Salzmannus in teſticulo cujusdam ſuſpenſi calculum parvum, piſum magnitudine fore ſuperantem, angulos obtuſos habentem, ſe reperiſſe dicit *in Obſerv.*

In Teſticulo.

anatom. pag. m. 71. Monſpelii in cadavere teſticulos lapillis plenos fuiſſe repertos, ex Conrado Geſnero allegat Johannes Schenckius *Obſervat. medicin. Lib. IV. fol. 530.* ubi plura exempla adducit.

§. 46.

Per Perinæum. Per perinæum quandoque calculos poſt lithotomiam excerni, confirmat Roſinus Lentilius *Miſcellan. Med. pract. Part. 1. p. 261.* inquiens: Anno 1690. ſeptem annorum filiolus a lithotomo ſecatur, productus calculus friabilis, fuſcus, magnitudine caſtaneæ: Vulnere non rite conſolidato, ſed aperto manente, miſerrimam vitam diu puellus vixit, nempe ad usque quadriennium. Anno 1692. menſe Octobri calculus candidiſſimus, glabellus, ponderoſus, quantitate juglandis majoris erupit ſummo cum cruciatu. Quin & urina per iſtud diverticulum ſui maxima parte exitum quærebat, minores bini paulo poſt myriſticam æquantes coloris & lævitatis ejusdem prodibant. De calculis piſiformis per perinæum ſponte excretis Obſervationem communicat Johannes Nicolaus Pechlinus *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 33. p. 91. ſq.* Puer ſcilicet duodecim annis major dolore veſicæ ponderoſo, at ſine ſuſpicione calculi diu laboravit; tandem inſperato auctis doloribus circa perinæum tumor ſeſe prodit, in ulcus, quod videbatur, deſiturus: ſed tamen nullis, ſive emplaſtris, ſeu linimentis ad maturitatem adduci potuit, donec tandem remediorum ſepoſita cura ſponte in ulcus tranſiret rebellis hactenus tumor. Cum autem tertio die piſis in cœnam appoſitis largius indulſiſſet protervus puer, pruriginem in perinæo ſentit intolerabilem, quam ut coërceret, digitos unguesque admovit, qui, cum graves parti incumberent, nonnihil etiam lacerarent, emollitum jam tumorem facile diſrumpunt. Aperto ſine dolore vulnere, quod minime puer credebat, retractam manum pone ſequuntur globuli,

quos

quos ille viginti numero excipiens ipſa illa comeſta piſa eſſe putabat, adeo forma & magnitudo erat ſimilis: ſed excuſſis diligenter ſphærulis, apparuit, lapillos eſſe piſiformes, albos & ſuperficie glabra velutque expoſita. vid. etiam Pechlin. *Obſ. phyſ. med. Lib. 1. Obſ. 7. p. 14.* Sicuti autem hactenus adducti calculi ex veſica prodiere urinaria, ita etiam Alexander Camerarius calculi ex perinæo viri perrupto ſponte elapſi exemplum commemorat *Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Cent. IX. Obſ. 89. p. 200. ſeq.* quo loco primo defendit, non fuiſſe hunc calculum e veſica urinaria, cum nec ante, nec poſt hanc excluſionem Vir dictus ullam urinæ difficultatem paſſus ſit, nec quidquam urinæ ex loco affecto unquam effluxerit; Deinde non fuiſſe calculum, quales e veſicula fellea procedere ſolent, & egeri per alvum; non modo, quia fuit unus, quem nec præceſſerunt, nec ſubſecuti ſunt plures, ſed etiam, quia nullo modo eſt ſimilis illis, ſcilicet non pinguis, non glaber, non aquæ innatans, ſed mox in ea cadens ad fundum; præterea etiam quod æger tormina ventris dicatur nunquam paſſus neque ullos dolores hypochondrii dextri perſenſerit, &c. Pergit deinde dictus Camerarius, illum virum fuiſſe prætorem ruſticorum, nondum ſenem, ſanum, robuſtum & ad laborandum & compotandum ſufficientem, paſſum a multis vel duodecim annis, abſque prævio, vel conjuncto morbo veſiculam in perinæo, non ſine quadam, nec tam magna inter eundum, æſtate imprimis, minus per hyemem, moleſtia, ſolitam ſtillare non niſi parum ichoris tenuis. Tandem cum ad majorem moleſtiam vocatus chirurgus conditionem loci accuratius exploraret, cum ſpecillo ſtatim appulit ad ſolidum quoddam obſtaculum, durum, non ſine ſono quodam ad tactum, non potuit non referre prætori, adeſſe calculum, inciſione e ſuis latebris extrahendum. Spe igitur facta operationis

non difficilis, conſtituto die æger eques concitato curſu advolavit ad locum habitationis chirurgi; ibidem autem orificium ulceris a chirurgo deprehenſum fuit amplius, & nihil in eo duri, calculus tamen, cum quæreretur ſedulo, in caligis tandem fuit inventus, ſponte inter equitandum delapſus, & fæcibus alvinis conſpurcatus. In perinæo geniti calculi, articulum digiti medii extremum magnitudine æquantis, meminit Vitus Riedlinus *Millenar. Cur. med. Obſ. 442. p. 464. ſeq.*

§. 47.

In Veſicula ſeminali. In famoſi cujusdam furis Anglicani, ob ſurreptos Jacobinos aureos lapidesque pretioſos Francofurti ad manum capite truncati, atque a Phyſico loci ordinario D. Sparrio ſecti alterutra veſicularum ſeminalium calculus reperiebatur, piſum tam colore, quam forma atque magnitudine referens, juxta Mich. Bernhard. Valentini Obſervationem *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 68. p. 158.* *In Vaſis ejaculantibus.* Dominus de la Saux antiquus Magiſter Scriba juratus Pariſienſis, quanquam ex prima conjuge plurimos ſuſcepiſſet liberos, ac demum jampridem viduus, ad ſecundas tamen propemodum ſexagenarius convolavit nuptias: nec enim ab ætate provecta de valetudine & robore quicquam illi deceſſerat: Sed inſtitutum infelix ſucceſſus excepit; etſi enim libidinis æſtu continuo impelleretur ac ſæpe rigida erectio illius comes eſſet, coitus tamen ſemper imperfectus fuit illius culpa, nec enim ejaculatio unquam conſequuta eſt, quapropter fruſtra adhibitis irritis conatibus, quo votis potiretur, fracta tamen naturali & univerſali corporis œconomia, in morbum incidit brevi funeſtum, decimo octavo menſe a poſtremis nuptiis. In hujus diſſecto cadavere deprehendit chirurgus juratus glandulam, verumontanam dictam, adeo tumefactam & induratam, ut molem exiguæ nucis juglandis æquaret, ideoque ſemini

mini tranſitum omnino præcluderet: qui effectus a longo tempore inductus videbatur, nulla manifeſta deprehenſa cauſa. Hoc vero præterea admiratione dignum, quod materia ſpermatica cohibita in vaſis, ibi in lapidem obduruerit, adeo ut vaſa ejaculantia lapidibus duriſſimis ſcaterent, plerisque fere rotundis, magnitudinis prope & formæ piſorum quadrageſimæ tempore in eſcam venientium. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. V. menſ. Mart. Obſ. 4. p. 74.* Referente Johanne Rhodio *Obſ. medic. Cent. III. Obſ. 27. p. 124.* Piſis obſervavit Fabricius Bartoletus in corpore glanduloſo a ſemine retento genitum fuiſſe calculum, quo veſicæ orificium comprimente urina fluere deſiit. In Theatro publico 1629. repertos fuiſſe in cadavere lapides cryſtallos ciceris magnitudinem habentes, in vaſis ſeminariis ex Stephano Roderico Caſtrenſi refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 79. p. 1112.* Reperit Theodorus de Mayerne in cadavere quodam calculum exactiſſime meatum illum claudentem, qui a proſtatis in urethram dehiſcit, per quem e venis varicoſis ſemen vibrante ejaculatione expellitur, uti ex Frid. Loſſii Obſ. refert Theophilus Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 24. Obſ. 5. fol. m. 1345.* In cujusdam Equorum Mantuæ Magiſtri glanduloſo corpore illo, quod veſicæ collo adnaſcitur, & in quod deferentia ſemen vaſa, poſtquam coiere, inſeruntur, ſeminis elaborationi præter alios uſus inſervienti lapidem infixum ſe obſervaſſe refert Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 30. p. 523.* In mulieris cujusdam, in Theatro anatomico Hagienſi diſſectæ, vaſis ſpermaticis lapillos viſos fuiſſe, recenſet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Centur. I. Obſ. 12. p. 53.* De Arenulis cum ſemine excretis vid. Riedlin. *Linear. Medic. An. 1697. menſ. Maj. Obſ. p. 316.*

§. 48.

§. 48.

In Utero. In utero an generentur calculi, negat equidem Hieronymus Mercurialis *de Morb. Mulier. Lib. IV. cap. 11. in Iſrael. Spach. Gynæc. fol. m. 285.* ita ſcribens: Quod in utero fiant lapides, apud neminem vidi, niſi apud Aëtium; ſed quanquam hoc ipſe memoriæ prodiderit, verum tamen admodum dubito, an verum ſit. Extant tamen in contrarium plurima Autorum exempla. Refert enim ipſe Hippocrates de Lariſſæ Dyſeridis ancilla juvencula, quod venere utens vehementer doloribus afflicta fuerit, alias vero dolorem non ſenſerit neque conceperit unquam. Hæc cum annum ſexageſimum attigiſſet, a largo porri eſu dolores vehementiſſimos, velut ex partu laboraret exſurgens aſperum quiddam in ore uteri contrectavit. Deinde cum jam animo linqueretur, ab alia muliere immiſſa manu expreſſus eſt calculus aſper, fuſi verticillum propemodum æquans. vid. Hippocrat. *de Morb. vulgar. Lib. V. Sect. 7. fol. m. 240.* Matrona Martini Bierwolffii, Senatoris Regiomonti, ſemper conqueſta de difficili reſpiratione, abdominis mole, ſuppreſſis uteri purgamentis, fit aſcitica. Nil profuerunt medicamenta. Moritur, mortua exenteratur a Chriſtophoro Tinctorio. Ex exenterata quindecim ſtoffas aquarum detraxit invenitque epar viginti tres libras pendens ſcirrhoſum, in utero lapidem quatuor librarum multis eminentiis lapideis, coloris fuſci deprehendit, juxta Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſt. 64. p. 364.* vid. etiam Steph. Blancard. *Anat. Pract. Cent. II. Obſ. 80. p. 374.* In Muſæo Auguſtiſſimi Regis Daniæ, Friderici III. fuit calculus, quem in Norwegia mulier per vulvam excrevit, tanta præditus virtute, ut manibus puerperæ detentus, oborto in vola ſudore, potenter fœtum propellat. Tanta autem fuit clementia Sereniſſimæ Reginæ, ut non paucis in partus difficultate conſtitutis, felici

ſucceſſu

ſucceſſu conceſſerit; Hunc calculum ſe vidiſſe refert Thomas Bartholinus *Epiſtol. medic. Cent. III. p. 103.* De calculis vel ſilicibus trium vel quatuor unciarum per incantationem ex utero extractis; item de lateribus a fœmina quadam Gallica, Madame de la Roche, cum convulſionibus ex utero prodeuntibus, vid. Joh. de Muralt *Chirurgiſche Schrifften Obſ. 67. p. 487.* vid. etiam Eberh. Gockel. *von Beſchreyen p. m. 54.* In Comitiſſæ cujusdam a Gleichen, viduæ, quæ tumorem uteri cum motu manifeſto, ceu gravida eſſet, incurrebat, demortuæ utero plures repertos fuiſſe calculos, refert Gothofredus Mœbius *Phyſiolog. Cap. XX. pag. 579.* De lapide uteri in puella quinquennii ſequentem Obſervationem communicat Andreas Cnœffelius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 65. pag. 55.* Mercatoris & Oenopolæ Warſavienſis, nomine Kreken filiola annorum quinque, urinæ partim ſuppreſſione labefactata, partim omnimoda veſicæ compreſſione tandem cum gravi dolore & ſui & parentum moritur. Facta poſt mortem ſectione, in veſica præter ſpatium nihil inveniunt, ſed ipſam uteri cavitatem diſtentam & in ea lapidem album oblongum, aliquomodo ſpongioſum, ſed tamen gravem, formam ovi columbini paulisper excedentem conſpiciunt, qui veſiculam compreſſit, ut nulla urina permeare potuerit. De variis in vagina uteri prognatis atque per vulnus poſt partum cæſareum egreſſis calculis, videatur Epiſtola Godofredi a Lanckiſch. *in Act. Erudit. An. 1693. p. 230.* Huc pertinet etiam, quod Fredericus Ruyſchius *Obſ. anat. Chirurg. I. p. 1. ſeq.* it. *Theſaur. Anat. VIII. p. m. 57. ſeq.* recenſet, ſcilicet poſt procidentiam uteri, ex ipſo poſt factam inciſionem quadraginta & duos calculos, quorum magnitudinem & figuram ibidem delineat, partim inſtrumentis, partim ſolis digitis fuiſſe extractos. Exemplum Michaëlis Angeli Mori de utero lapidibus referto ſequens eſt:

Honeſtiſſima Matrona quadraginta octo annorum per menſes decem de acerbiſſimo in infimo ventre dolore conquerebatur, qui nullis cedebat remediis; ad tactum tumor ſcirrhoſus in utero deprehendebatur, a quo materia acris & loturæ carnis ſimilis deſtillabat. Tandem pleuritide correpta e vivis diſceſſit. Diſſecto cadavere uterus lapidibus plenus repertus eſt ad numerum triginta duorum. Maximi eorum magnitudinem amygdali æquabant, minimi fabis conſimiles erant, & inter plicaturas & tubulos uteri infarcti & incarcerati conſpiciebantur. Aliqui erant coloris flavi, aliqui æruginei, & rupti ad ſimilitudinem cepæ varias habebant tunicas. vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. Obſ. 77. p. 148.* item *Obſ. 95. p. 187.* Hector ex Valle calculum uteri fungiformen adducit. Et ex his *Act. Erudit. An. 1712. menſ. Aug. p. 348.* Calculum etiam ſingularis figuræ & fungiformem a chirurgo quodam ex utero cujusdam adoleſcentulæ extractum ex communicatione Bernhardi Ramazzini annotavit Hector ex Valle. *Ephemerid. l. a. Obſ. 95. p. 187.* Monialis quædam non clauſtrata in primo ſenio conſtituta per plures menſes uterinis cruciabatur doloribus, qui nullo unquam medicamento leniri poterant, tandem ejiciebat ſponte, nulloque adminiculante, per pudendum lapidem ſcabroſum, magnitudine & figura ovi anatini, quo ejecto ceſſarunt dolores, ſuperveniente tamen ex utero fluxione putrida & corrupta cum morte. vid. Petr. Salii Diverſ. *Annot. in Donat. Anton. ab Altomar. cap. 12. p. m. 520.* Cum circa Paſchatis tempus inciſio in fœminæ cujusdam matricis fieret, extrahebatur inde lapis, quem octo vel novem annos cum infandis doloribus portarat, a quo tamen poſtea omnino reconvaluit, uti obſervavit Doctor Beale. vid. Frid. Nitzſch. *Ephemer. Erud. p. 556.* Non arenulas tantum, ſed etiam quinque lapillos, parvula piſa referentes, cum menſtruis per mulie-

bria excretos vidit Carolus Joſephus Myllerus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 227. p. 431. ſeq.* Lapidem in tantam molem auctum, ut uteri capacitatem prorſus impleret, Menſes omnino interciperet & ulcera cacoëthica conciliaret, ſe vidiſſe refert Nicolaus Fontanus *de Morb. Mulier. Lib. II. cap. 20. p. m. 94.* De ovo ligneo torno elaborato a muliere, ex partu difficili uteri procidentiam perpeſſa, vaginæ uterinæ intruſo cruſtaque lapidea obducto, vide Obſervationem Joh. Mauric. Hoffmann. *Ephem. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 44. p. 295.* vid. etiam Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. IV. fol. m. 649.* Marcell. Donat. *de Med. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 31. p. 522. ſq.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Miracul. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 80. p. 1113.* Aperta mulier in Scholis Medicorum Lutetiæ lapidem habuit in utero, juxta Joh. Wier. *Oper. Part. IV. cap. 16. p. m. 316.* In agro Sueſſionenſi Mulier quædam pariens valdeque laborans confugit ad divina auxilia, vovetque quidpiam ſeſe B. Mariæ oblaturam, ſi tanto periculo eximatur; mox illa primum ab alvo emittit tres lapides, primum anſerini ovi, alterum gallinacei magnitudine, tertium, quanta eſt nux, tandem infantem enixa eſt, uti fabulatur Simon Majolus *Dier. canicul. Colloqu. III. fol. m. 42.* Referre huc etiam liceat, quod refert Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. cap. 14. p. m. 337.* in ſingulis Tubarum Falopianarum extremitatibus adhærentes ſe vidiſſe calculos duriſſimos, quos una cum ornamento illo conſervaret. Ovarium lapillis nonnullis inſtar granorum milii turgidum in meretrice obſervavit Benj. Bened. Petermann. *Dec. II. Obſ. 9. p. 40.*

§. 49.

Secundinam undique lapidibus plenam in fœmina juvencula viginti annorum, cum altera vice filiolam in lucem ederet, obſervavit Caſparus Theophilus Bierlingius *Adverſar. curioſ. Obſ. 26. Schol. p. 56.* Calculos, & arenulas co- *In Secundinis.*

pioſas in ſecundina, a puerpera, fœmina juveni formoſa & annum vigeſimum nondum egreſſa nephritica matre oriunda, edita, ſe reperiſſe ſcribit Theodorus Zwingerus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 137. p. 238. ſeq.* Ultra ducentos calculos, variæ magnitudinis & figuræ, pleroſque tamen vel triangulares, quadrangulares, quinquangulares, ſexangulares & ſeptangulares, ſed friabiles, non durioris ſubſtantiæ, inter cæteros unum, nucem moſchatam magnitudine ſuperantem, ex ſecundina ſeu placenta uterina decerpſit eosque delineavit Fredericus Dekkers *Exercitat. practic. Cap. 8. p. m. 666.* Calculum ſeptem unciarum rubini inſtar pellucidiſſimum in ſecundina poſt partum rejectum vid. in Dan. Menon. Matthiæ *Obſ. 13. p. m. 96.* Juxta Obſervationem Philippi Jacobi Hartmanni *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 75. p. 171.* Matrona quædam chorion ſeu amnion, tunicam fœtum involventem calculoſa congerie prorſus incruſtatam edidit. Membranam placentæ variis in locis lapideam aliquoties obſervavit Fredericus Ruyſchius *Theſaur. anat. II. p. m. 55.* Ab aurigæ uxore poſt partum difficilem per pudendum prodire viſa ſunt membranacea quædam fruſta duobus ſæpe digitis, quandoque vero latiora, undique argillacea quapiam materia, imo & craſſiore, duraque arena obvoluta; Quas membranas pro ſecundinæ in utero relictis partibus agnoſcit Marcus Gerbezius *Chronolog. Med. pract. An. I. §. 67. pag. 553.* Sæpius etiam mihi ipſi calculos in ſecundinis humanis obſervare licuit, imprimis in fœmina antea ſterili, eo tamen ſterilitatis tempore multos calculos pariente, quippe quæ deinceps aliquoties gravida & partu ſemper placentam uterinam arenulis & calculis majoribus tophaceis repletam edens ab ulteriori calculorum dolore eorumque excretione libera tam diu manebat, donec non amplius conciperet, tunc enim partim per veſicam, partim per alvum iterum creberrime calculos rejiciebat.

Obſervatio.

§. 50.

§. 50.

Per urachum aliquando arenulas fuiſſe excretas, non exiguo pervietatis ejus fundamento, quam in humano fœtu Viri eruditiſſimi in dubium vocare auſi ſunt, ſcribit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 94. Schol. p. m. 365.* *Per Urachum.*

§. 51.

Lapides in umbilico ſe vidiſſe refert Realdus Columbus *de Re anatom. Lib. 15. p. m. 491.* Fœmina quædam Gorlicenſis, manu victum quærens in abſceſſum umbilicalem miſere incidit, dolore non exiguo ſtipatum. Diu hoc ipſo conflictata varia, quæ domus ſuggerit, experitur paupercula, ſed nullo cum juvamine; Quare chirurgum in conſilium adhibuit, qui tumore emollito binos calculos inde extractos ægrotæ oſtendit, eamque poſtea ſanitati reddidit, juxta Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. medic. phyſic. Cent. II. Hiſt. 9. p. m. 167. ſeq.* De lapillis raræ figuræ rarique coloris per umbilicum excretis ſequentem Obſervationem recenſet Antonius Valliſnerius *Ephemerid. Acad. N. C. An. X. Obſ. 52. p. 344. ſeq.* Mulieri pauperculæ ſeptuagenariæ obortus eſt tumor in umbilico, qui tandem poſt duas hebdomadas circiter nullo adhibito remedio ſuppuravit. Plurima ſane primum excuſſa ſubſecuti ſunt lapilli, quorum unus grana quindecim ponderabat &c. Calculum ovi columbini magnitudine, pondere fere unciæ unius, ex Viri nobilis abſceſſu umbilici prodeuntem annotavit Johannes Helwigius *Obſ. 110. p. m. 309. ſeq.* Calculum magnitudine nucleum olivæ æquantem ex umbilico prodeuntem obſervavit Franciſcus Tolet *de Lithotom. Cap. IV. pag. m. 24. edit. Germ.* De umbilici calculo ita ſcribit Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 99. p. 104.* Anno 1622. Mantuæ in Theatro anatomico memoraſſe Fabricium Bartoletum, ſe Bononiæ in ſatellite quodam defuncto offen- *In Umbilico.*

diſſe umbilici lapillum nucis avellanæ magnitudine: item in miniſtro nummulario, qui erumpente calculo poſt ſuppurationem convaluit. Anno 1602. Georgius Geſen, Anhaldinus, ſenſit dolorem circa umbilicum, intumuit, effluxit aliquid ſeroſi humoris. Chirurgus quarto die exemit calculum ſub ſuperiore umbilici parvæ dimidiæ avellanæ magnitudine & dolor omnis evanuit, vid. Chriſtoph. Rœsler Obſervat. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 329. p. 542.* Non ſolum in renibus, urinaria felleaque veſica lapides procreari, verum etiam alibi, puta palato ac umbilico ſibi videre licuiſſe ſcribit Cecilius Folius ad Thom. Bartholin. cujus vid. *Epiſt. med. Cent. I. Epiſt. 62. p. 255.* De materia gypſea ſub umbilico extracta vid. Marcell. Donat. *de med. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 30. p. m. 525.* Obſervantur etiam quandoque lapides in umbilicis porcinis, de quibus infra.

§. 52.

Ex Abdomine. Sæpius etiam in variis humani corporis partibus muſculoſis ſeu carnoſis, & quidem modo in tumoribus lapidiſcondis, vel abſceſſibus & fiſtulis calculos reperiri, teſtantur Autorum Obſervationes. Scilicet lotrix quædam quadraginta annorum, habitus pinguiuſculi, ſane alioquin degens, ſubito incipit conqueri de quodam dolore & tumore ſub hypochondrio dextro penes umbilicum, cui a chirurgo apponebantur cataplaſmata maturantia, tandem rumpitur abſceſſus, & exeunt calculi una cum exigua materia purulenta, annotante Ferdinando Friderico Illmero *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 16. p. 59. ſeq.* ubi dictus Autor hos calculos ex pituita vitrea vel gypſea, concurrente aliquo ſpiritu lapidifico derivat. Sic in Viro quodam, poſt icterum nigrum, in latere abdominis dextro, e regione umbilici, tres digitos ab illo diſtante, macula piſi magnitudine rubra, cum inſigni prurigine exiſtebat, quæ tandem

dem in puſtulam abibat, & ſic indies tantum incrementum cum cruciatibus vix ferendis capiebat, ut ultimis diebus magnitudinem diſci culinarii æquaret, ex quo aperto inſignis copia ſaniei cum deterrimo fœtore emanavit, demumque omnis tumor evanuit, relictis tribus foraminibus, ex quibus ſingulis diebus, extractis turundis ſanies primum emanabat, concomitantibus poſtea illum lapillis, non exiguæ magnitudinis, qui plerumque in orificio fiſtularum hærebant, &c. juxta relationem Danielis Bſchereri *M. N. C. Dec. I. An. 5. Obſ. 107. p. 213. ſeq.* Vidit etiam Andreas Plantcovius Venetiis mulierem in hypochondrio ſiniſtro laborantem ulcere, ex quo cum pure hujus magnitudinis ○ lapillus egreſſus fuerat. Et licet Medicus quidam illam eſſe calculoſam renemque ulcere conſumptum, pronunciaſſet, eventus tamen contrarium demonſtravit, ulcere ad cicatricem paucos intra dies deducto, fœminaque priſtinam ſanitatem recuperante, nec de ullo ſenſu vel minimi doloris querente. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 22. p. 86.* Calculos in abdominis muſculo oblique deſcendente annotavit Hermannus Wernerus Engelbertus de Weſthoven *Ephem. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 20. p. 23. ſq.* Lectiſſima ſcilicet, virtutibusque ſequiorem ſexum ornantibus florentiſſima Virgo, Gertrudis Fornhotz annorum quinquaginta trium, quæ graviter ceciderat & abdomen ad angulum ſcalæ offenderat, nihil incommodi per duos annos inde ſenſerat, niſi quod ſæpe poſt prandium ac cœnam male affecta fuerit. Interim vix anno circumacto exiguos in abdomine percipiebat dolores, quos tamen, quum parvi nec continui eſſent, flocci habuit. Senſim in hypogaſtrio dextrorſum, quatuor circiter digitos infra umbilicum, levis ſine ulla inflammatione apparebat tumor dimidiæ nucis baſilicæ magnitudinem repræſentans, ac inſolitos aliquos punctoriosque ad ultimum cruciatus afferens.

Hoc

Hoc igitur decenter examinato & lanceola pertuſo flavus emanabat ichor, cujus quantitate dactylion impleri poterat, tactuque durities in muſculo oblique deſcendente obſervabatur rotunda palmæ unius latitudine, ac diebus quinto, ſexto, ſeptimo atque octavo lapides prodierunt ſexaginta quatuor. Vulnere tandem, lege artis, probe deligato, virgo plane convaluit. Calculos circiter bis centum ex apoſtemate abdominis excretos adducit Johannes Jæniſius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 189. p. 243. ſeq.* Mulier ſcilicet plebeja Vratislaviæ de tumore admodum duro & profundo in dextro epigaſtrio conqueritur, quo loco poſt emollientia applicata præterlapſis aliquot ſeptimanis abſceſſus rumpitur, materiaque viſcida & purulenta, aſt non copioſa, excernitur. Patiens præterlapſis nonnullis diebus lapillos quosdam minores, inſtar lentium, piſorum, fabarumque excerni videt. Hoc dictus Medicus percipiens ipſe vulnus inſpicit, ſtyloque percontando majores inibi latitare lapides obſervat, quibus anguſtia vulneris exitum denegabat, hinc forcipe arrepto vulnus pauliſper dilatare aggreditur, & ſic tres iterum lapillos grandiores colore & forma externa ſilicibus plane conformes, ponderis tamen levitate diſcrepantes ſine fœtore extraxit, totamque epigaſtrii dextri regionem innumeris hujuscemodi lapillis ſcatere conjecit. Poſtea lithotomus ſucceſſive per biennium ducentos circiter extraxit lapillos ſupra præfatis majores, ad inſtar avellanæ majoris, nonnullos colore & interna tunicarum textura lapidibus Bezoardicis haud abſimiles, tandemque ultimum magnitudine nucis juglandis pondere drachmarum duarum, cum aliis ſex vel ſeptem ſociis minoribus extraxit, & vulnus conſolidavit. Hos autem lapides non in muſculoſa abdominis carne, ſed in ipſo epatis parenchymate ſedem fixiſſe ſuam allegatus Autor conjicit. Item ab anu plus

quam

quam ſeptuagenaria, in Hoſpitali Nordlingenſi degente, ex epigaſtrii dextri abſceſſu magnam quoque lapillorum, haud dubie in folliculo fellis natorum, congeriem ſucceſſive prodiiſſe refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 3. App. p. 109.* Et *An. 5. & 6. App. p. 128.* mulieris cujusdam meminit ſeptuaginta & aliquot annorum, quæ ex abſceſſu lateris dextri calculos ex ruffo flaveſcentes ultra centum & plures, piſi aut circiter quantitate ſucceſſive cum pure, excrevit, quæ hydropica denique exſpiravit. De lapide ſpongioſo ex abdomine exciſo ſequentem Obſervationem recenſet Johannes Paulus Wurffbainius *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 183. p. 366.* ſcilicet Pauli Tamieri Uxor zingiberi crudi eſu nimium delectata, in intenſiſſimos abdominis incidit dolores, nullis remediis placandos, quin indies acerbiores factos, adeo ut malum in abſceſſum tandem degeneraret, nil niſi apertionem & puris ſubjecti evacuationem indicantem. Inciſione itaque facta, ſanie ſatis copioſe effluente, duriuſcula quædam materia vulnuſculum inflictum occludere paululum cœpit, quæ volſella ope extracta, lapis fuit trium unciarum pondere, vertebræ dorſi non diſſimilis, inæqualis & anguloſus, &c. Sic Johannes Laurentius Bauſchius habuit lapides aliquot diverſæ magnitudinis, citrinos & tunicis ſeu cruſtis, inſtar lapidum Bezoardicorum, concretos, qui ex hypochondrii dextri prope umbilicum ulcere, quo laborarat Paſtor quidam Eccleſiæ, per intervalla egreſſi erant. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 5. p. 14.*

§. 53.

De calculo per ulcus prope Ingven emiſſo hanc Obſervationem annotavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. medic. Cent. prior. Obſ. 90. pag. 376.* Menſe Junio 1660. puer quidam per aliquot dies nihil omnino lotii excernere potuerat, nec tamen tunc quidem *Ex Ingvine.*

ulla notabilia calculi renum deprehendimus ex accidentibus indicia, cui licuiſſet urinæ retentionem attribuere. Nulla inſuper aderant ſigna, quæ veſicæ proderent calculum, quoniam chirurgus aliquoties immiſſo cathetere nihil obſtaculi duritieive ſenſerat. Poſt aliquot dies in dextra parte prope ſcrotum nec procul a virgæ radice verſus ingven apparuit abſceſſus, qui non ita diu poſt verſus partem exteriorem rumpebatur. Hæc tamen antequam fierent ſcroti ac penis cutis præputiumque ita intumuit, ut incidere hoc neceſſe fuerit, quo ad urinæ tranſitum promovendum intromitti poſſet catheter. Tandem vero calculus phaſeoli inſtar, variegatoque colore, ut ſolet marmor, prodiit. Et Johannes Stalpartius van der Wiel in Hagienſi πτωχείῳ quindecim annorum adoleſcentem vidit, cui poſt diuturnum dolorem, cujus cauſa erat ureteri inhærens calculus, tandem ulcus in ingvine ortum, per quod ille exiens ægrum dolore liberavit, fiſtula tantum ibidem ſuperſtite, per quam continue guttatim urina ſtillabat, *vid. l. a. Obſ. 91. p. 379.* Item paulo infra ingven cujusdam triginta annos nati, qui ſex ante menſibus primo tumorem duritiemque eo loci ſenſerat poſt applicatum cataplasma, tumor iſte disrumpebatur ex eoque chirurgus accerſitus diverſis temporibus lapidum fruſta aliquot inde educebat, quæ inter unum erat nucis moſchatæ inſtar, ac pumicis ſubſtantiæ admodum, ſimile, ſed colore candidiore. Diu etiam poſtea ulcus illud ſuperfuit, antequam omnino ſanari potuerit, veriſimile namque erat, lapillum hunc membrana fuiſſe cinctum. *Ibid. Obſ. 92. p. 381. ſeq.* Scribit etiam Roſinus Lentilius *Miſcell. Med. Pract. Part. I. p. 261.* Menſe Junio 1692. nos adibat mendicus 24. annorum, qui dolorem in ingvine ſiniſtro ſummum per tempus longum paſſus erat. Exulcerato denique loco affecto calculus candidiſſimus, glaber,

glaber, ſiliceus exſiliebat, glandis quernæ magnitudine. Sub ſcroto, non procul a loco, ubi alias ſectio ſeu Lithotomia fieri ſolet, facto foramine, calculus ſponte prorupit, referente Johanne Laurentio Bauſchio *l. a. p. 13.* Ex vulnere in ingvine, dum ſecaretur ſarcocele, inflicto in fiſtulam converſo, & arenulas & calculos cum urina progredientes, annotavit Felix Platerus *Prax. Tom. III. cap. 15. p. 818.* Aſſerit etiam chirurgus Davy, mulierem quandam, quadraginta quinque circiter annos natam intenſum dolorem in ingvine dextro perſenſiſſe, nullo tumore exterius apparente: exactis autem diebus quindecim, abſceſſum phlegmonoden, nucem juglandem viridem æquantem, doloris illius conſectarium fuiſſe, excitatum in ſuperna & media hypogaſtrii regione, qui elapſo octiduo apertioni opportunus apparuit: quam tamen tunc temporis pauciſſima materiæ effuſio conſecuta eſt, poſtridie tamen lapillis aliquot prodeuntibus, nec non aliquot ex ſerie diebus, adeo ut intra notatum temporis ſpatium ad numerum usque ſexagenarium variæ magnitudinis diverſoque tempore excluſi ſint: quos inter quidam avellanam pene adæquabant, figuræ triangularis, coloris ad flavum accedentis &c. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. I. Menſ. Jul. Obſ. 3. p. 118. ſeq.*

§. 54.

In aliis quoque partibus calculi deprehenduntur, v. g. Mercatoris cujusdam Auguſtani regionem temporalem, dextram occupabat tumor durus, aſt mobilis, quem plurima vaſa ſangvine turgida perreptabant, cujus, amygdalini nuclei magnitudine dum adhuc erat, exſtirpationem, mediante ligatura, chirurgorum aliquis, aſt renuente ægro, fruſtra ſvaſerat, unde majorem ſubinde in molem is excreverat, ita ut tandem ad oculum usque & aurem ſe diffunderet. Cum vero chirurgi eadem ſectione *In Temporibus.*

Ee 2 auferre

auferre, ob infeſtam, quam metuebant, hæmorrhagiam & ſubſtratum muſculum temporalem, dubitarent, conſilio Medici alicujus, capſulæ ex lamina ferrea, in ſummitate tribus exiguis foraminulis pertuſæ incluſum continuo circumportabat, usque dum aliquando inter confabulandum cum amico, acu per foramen capſulæ immiſſa venam inſigniorem fortuito pertunderet, longa mox hæmorrhagia, nullum aliud, excepto pavore ſubitaneo, incommodum producente, quin jam chirurgis convocatis, viam vulnuſculo iſto monſtrante, animum ad ſuſcipiendam audacius curam addente; qui cauſticis, quæ inter butyrum Antimonii primas tenebat, carnem glanduloſam, & ſubinde repullulantem flaccidam ſemeſtrali labore ſenſim abſumentes, ad durum tandem impingendo corpus, calculum albicantem, magnum atque ex laminulis concretum, nonnihil molliuſculum, & hinc cum tempore per exſiccationem in pondere & mole decreſcentem extraxerunt, ulcere dein breve temporis ſpatio perfecte conſolidato, uti recenſet Lucas Schrœckius *M. N. C. Dec. II. A. 6. Obſ. 32. Schol. p. 86. ſeq.* Nobiliſſimæ in Dania Mulieri fluxus in ſiniſtra maxilla ſuperiore valde doloroſum apoſtema excitavit, quo maturo tandem & rupto calculus nucem minorem æquans prodiit, referente Thoma Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſtor. 91. p. 172.*

§. 55.

In Collo. In Collo pone jugularia vaſa dextera lapidem caſtaneæ forma & magnitudine ex tuberculo Anno 1640. exſcidiſſe ſcribit Marcus Aurelius Severinus *de Abſceſſib. p. m. 259.* De calculis e colli tuberculo extractis atque excretis ſequentem Hiſtoriam refert Vitus Riedlinus *Linear. med. An. 1700. Menſ. Decembr. Obſ. 8. p. m. 1386. ſeqq.* Mercatoris cujusdam Ulmenſis filiæ, ſeptendecim & quod excurrit an-

norum absque prægreſſo morbo, collum dolere cœpit, quem tamen dolorem parvi habuiſſet, niſi brevi movere illud hinc inde, ut olim, non potuiſſet, & hinc erectum ſemper geſtare opus habuiſſet, niſique acceſſiſſet tuberculum, a cujus augmento ſibi metuens chirurgum in conſilium vocavit, qui varia emplaſtra impoſuit, at omnia fruſtra, dum non ſolum quotidie tuberculum inde majus factum fuit, ſed & ſemper magis magisque induruit; poſt emollientia autem aliquot elapſis diebus pus in emplaſtris notavit, at in parva admodum quantitate, & cum tuberculo ſemper magis indurato; dilatavit itaque quantum potuit foraminulum, per quod pus excretum fuerat; at nec ſic quidem plus ejusdem elicere potuit, ſtilus vero immiſſus ad duriuſculum quoddam corpuſculum alliſit; unde cum os non eſſe conſtaret, ut detegeretur tandem, quid eſſet, eo diligentius inquiſivit; & ecce! tandem calculum eſſe deprehendit, quem magnitudine lentem æquantem & album extraxit; ac nec ſic quidem tuberculum imminutum & emollitum fuit, unde illud apertum ſervavit, quotidieque plures tales, jam aliquanto majores, jam minores, excreti fuere calculi, cum fragmentis coralliorum alborum comparandi.

§. 56.

Calculum in ſcapula annotavit chirurgus quidam Gallicus, nomine Poterinus, chirurgus juratus in Portu Gratiæ in Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. IV. menſ. Februar. Obſ. 4. pag. 30.* inquiens: Inciſione per me facta inſignis Lupiæ, aut Nattæ, homoplatam obſidentis, comperti ſunt quinque lapides, avellanæ quisque magnitudine. *In Scapula.*

§. 57.

In mammis lapides genitos obſervaſſe Lævinum Lemnium refert Carolus Muſitanus *Trutin. Chirurg. Tom II. cap. 46. p. 203.* Item, mammas calculis non carere, inquit *In Mammis.*

Henricus Rufus *Obſerv. 5. Lazar. Riverio Communicat. p. 307.* Duos calculos inſignes, rupes per ſe mentientes e vetulæ mamma poſt mortem exſectos delineat Fridericus Ruyſch. *Theſ. anatom. I. p. m. 3.* Lac in mammillis lapideſcere, ubi non emungatur, atque in apoſtematum collectionibus lapidoſam quandam congeriem ac concretionem aliquando eximi, inquit Lævinus Lemnius *de Occult. Natur. mirac. Lib. IV. cap. 12. pag. m. 407.*

§. 58.

In Brachio. In medio muſculo Deltoide lapides a Petro Ruſſe reperti leguntur in Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An. II. Jun. Obſ. 1. p. 122.* *In Humero.* De lapide in tumore humeri reperto hanc Obſervationem refert Petrus Borellus *Cent. I. Obſ. 87. p. 92.* Quidam tumorem in humero a longo tempore paſſus ad chirurgum ſe contulit, qui remedia maturantia, ut emplaſtra e diachylo cum gummis & alia apta adhibuit, ſed cum nullis remediis tumor emolliretur, tandem ſectione inſtituta rem duriſſimam invenit, qua extracta, fuit lapis ovi inſtar, isque duriſſimus, quem aſſervat. *In Cubito.* Poſt acerbiſſimos dolores per exulceratam cutem in cubito brachii dextri, prope oſſis, ulnæ dicti processum recurvum, lapilli magnitudine diverſi ad ſex drachmas ponderis civilis univerſi ponderoſi exciderant; lapis demum calcarius, oblongus, craſſus, mire & varie concretus, colore gilvo, pondere quinque ſcrupulorum & trium granorum ſubſecutus eſt, uti ex communicatione Johannis Georgii Volckameri recenſet Johannes Helwigius *Obſ. 110. p. 310.* De Nobili quodam Bohemo, qui per annos aliquot, ſingulis ferme menſibus ex utriusque manus articulis, interdum *In Digitis.* unius digiti, interdum plurium, lapillos eruebat ſcalpello, nonnullos minores, aliquos & fabæ magnitudinem exæquantes, eosque valde duros; ſed in principio illius morbi poroſiores, vid. Joh. Sophron. Kozak *de Sale Cap. VI. Sect. 7.*

p. m.

p.m.242. De manuum & mammarum cute arenulis obducta, ut digitorum apprehendentium veſtigia relinqueret, vid. Joh. Dan. Horſt. *Manuduct. ad Medicin. Part. I. cap. 2. Sect.2.p.191.* ubi tale quid in Illuſtriſſima Matrona vidiſſe ait. De calculis in digito progenitis ex communicatione D. Hertii refert Michael Bernhardus Valentini *M. N. C. Dec. II. An.3. Obſ.89. p.190.* Anno 1684. chirurgum quendam aulicum ruſtico puero indicem exſtirpaſſe ſpina ventoſa affectum, in quo tres lapillos duriſſimos, colore cinereo, fabæ minoris magnitudinem habentes invenerit. vid. etiam Theoph. Bonet. *Medicin. Septentr. Tom. II. Lib. VII. Sect.3. Obſ.9.fol.573.* Calculos in extremitatibus digitorum, & quidem duriuſculos, colore cinereo nigriores, grano piperis majores, obſervavit Johannes Kentmannus *Tr. de Calcul. cap. 12. p.m. 21.* Calculos parvos e digiti articulis mulieris podagricæ depinxit Fredericus Ruyſchius *Theſaur. anat. 1. p.3.* Refert etiam D. Boiret, ſe in plurimis podagricis e juncturis eduxiſſe, prægreſſis quibusdam abſceſſibus frigidis in juncturis ſubortis. vid. Nic. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An. 1. Menſ. Jun. Obſ. 6. p.99.* vid. etiam Jul. Cæſ. Scalig. *de Subtilit. Exercit.108. p.m.396.* Joh. Schenck. *Obſ. medicin. Lib. V. fol. m.691.* Nicol. Venette *des Pierres Chap. IV. Artic. 8.p.m.75.* Chr. Fr. Garmann. *l. a. p. 1085.*

§. 59.

De calculo albo magnitudini ovi gallinacei proximo ex femore extracto, vid. Marcell. Donat. *de Med. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap.30. p.m.526.* Viro conſulari annos ſeptuaginta octo excedenti ſubortum eſt tuberculum inſtar juglandis in interiore femoris dextri parte paulo ſupra. Hujus apertionem, quam Medicus ſuadebat, recuſabat patiens. Contigit autem, ut bene potus equo domum feſtinans ibidem reverſus ex humoris ſeroſi affluxu apertionem ſimulque *In Femore.*

mulque

mulque calculorum & arenularum eructationem animadverteret; unde prudenter conſolidationem neglexit, & fonticulum, piſis pro more injectis ultra viginti annos aluit, nullis moleſtiis ſtipatum, ſed & deligationi aptiſſimum, juxta Sigismundi Graſſii Obſervationem. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 69. p. 197. ſeq.* Lapillorum numerum ingentem e genu cujusdam fœminæ infra patellam, paululum his urgentibus ſurſum preſſam chirurgus quidam ſuſtulit. vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Cent. I. Obſ. 12. Schol. p. 61.* In genu cujusdam ſartoris aquoſum abſceſſum aperuit Ambroſius Paræus, in quo calculum reperit album, durum & levem amygdalæ craſſitie, quo extracto convaluit. vid. Ambr. Paræi *Oper. Lib. 24. cap. 19. fol. 569.* Ab ulcere antiquo chirurgum quendam lapidem tophaceum, nigrum, duriſſimumque extraxiſſe, & poſtea ulcus, antea incurabile, facile curaſſe, refert Petrus Borellus *Cent. I. Obſ. 4. p. 9.* Calculorum in diverſis corporis noſtri partibus & inter alias in ſteatomate cruris productorum exempla adducere Johannem Baptiſtam Contulum Tr. de Lapidibus recenſent *Act. Eruditor. Lipſ. An. 1699. menſ. Sept. p. 396.* In viro quodam, qui calculos majuſculos in quavis corporis parte oſtendit, etiam ſuper rotulam genu dextri tumorem inſignem offendit Henricus Rufus, ejusmodi lapidibus variis & diſtinctis refertum, qui quidem, ac ſi in pera eſſent concluſi, ſtrepitum edebant. vid. Lazar. River. *Obſerv. communic. pag. 307. ſeq.* Quinquagenarius jam per quindecim annos circa malleolum externum pedis ſiniſtri affligebatur tumore mobili, propria membrana veſtito, qui poſt ſupervenientem inflammationem tandem ſponte apertus ichoris haud parum emiſit. Chirurgus accitus foramen ulceris nimis exile dilatavit forcipe. Poſtero die in conſpectum venit lapis concretus, calcis colorem obtinens, quem fruſtulatim extraxit Johannes Muys, atque membra-

In Patella. *In Genu.* *Circa Malleolum.*

membranam calculum inveſtientem pulvere mercurii præcipitati rubri ſeparavit, atque circulatione ſanguinis ac humorum, atque per conſequens generatione carnis, per inſperſionem pulveris aloes & myrrhæ promota, brevi cicatricem induxit, uti *Prax. med. chirurg. Decad. X. Obſ. 8. p. m. 380.* ſcribit. In cute calloſa plantæ pedis exſectum calculum ſe tenere, inquit Felix Platerus *Prax. Lib. III. cap. 15. p. m. 818.* Talis clavus in ſiniſtra pedis planta circa digiti ſecundi, vel a pollice proximi, ad perioſtium usque penetrans per aliquot menſes me adeo vexavit, ut absque pungente dolore greſſus formare non potuerim, donec minimum hunc lapidem, inſtar cryſtalli candidum & durum, tandem effodere mihi ipſi liceret. *Obſervatio.*

§. 60.

De calculis per lumborum ſcabiem excretis Obſervationem communicat Johannes Matthias Müllerus *Ephem. Acad. N. C. Cent. X. Obſ. 66. p. 375.* Muſicus ſcilicet menſe Novembri 1705. dolorem nephriticum præſertim renis ſiniſtri paſſus eſt intenſiſſimum, tandem in ejus regione puſtulæ eruperunt, ex quibus calculi exprimebantur, illis ſimiles, qui cum urina fuerunt excreti, puſtulæ in cruſtam ſcabioſam ardentem degenerarunt, qui tamen dolor remediis adhibitis ceſſit. Anno 1715. menſe Octobri, item 1719. menſe Auguſto dictus muſicus iterum colica afflictus fuit nephritica, ſed ſine calculorum ad cutem penetratione. Interdum etiam calculi renales non modo renes ſed ipſos quoque lumbos perforant, & abſceſſus ac fiſtulas excitant, de quibus vero infra, capite octavo de Nephrotomia pluribus agemus. *Per Lumbos.*

§. 61.

Quandoque etiam circa anum ſeu podicem excretos lapillos apud Autores medicos legimus, ſiquidem referente Paulo Spindlero *Obſ. 85. p. 156.* Vir honeſtus ulcus *Per Ani fiſtulas.*

circa podicem, prævio abſceſſu contraxit, ex quo ſemel lapillus ab uxore ulcus detergente extractus fuit. Calculum in muſculo ani, in fiſtula a Johanne Dominico Sala extractum fuiſſe, ſcribit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſtor. 3. p. 152.* Et Gottofredus Schultzius de calculis ex ani fiſtulis Obſervationem communicat *M. N. C. Dec. 1. An. 9. & 10. Obſ. 185. p. 430.* Scilicet civis Vratislavienſis ob enormem corporis craſſitiem obeſitatemque ſtupendam tota urbe famoſiſſimus, fiſtulam ani contraxerat ſineque inſigni moleſtia aliquot annis toleraverat. Tandem dolore exacerbato tumorem inflammatorium fiſtulæ orificium, a parte ſiniſtra ſphincteris ani ſitum, attollentem ſentit, qui ipſum neque ſedere, neque ambulare ægreque cubare permittit. Hunc tumorem chirurgus lanceola aperit, atque ex vulnere primo puris copia, mox quoque calculus prorumpit. Elapſo abhinc circiter biennio, denuo inter ambulandum vexari atque dolores acerbiores ſentire incipit, donec iterum chirurgi manus in auxilium vocaretur. Hic denuo peracta ſectione, inter ſordes non unicum calculum, ſed geminum, & utrumque illo priori majorem invenit. Primus calculus erat aſper & ſuperficiei inæqualis, lupini inſtar compreſſus, cinerei coloris, ſtriis ſplendentibus varie interſtinctus, grana octo pendens. Secundus, eorum, qui ſecunda vice exciſi ſunt, major, avellanam mediocrem mole æquabat formaque fere referebat, lævis erat, pallidus, venulis rubentibus hinc inde pictus; fereque ſilicem mentiebatur, & pondere grana ſedecim non excedebat. Tertius albidior erat, colore & ſubſtantia tartarum, qui dentibus accreſcit, exacte referebat. &c.

§. 62.

Circa Vertebras. Cum mulier quædam circa ſpondylos ſeu vertebras ſcabendo, pruritu titillante, cutem lancinaſſet, lapilli exciderunt

ciderunt numero decem & octo, magnitudine, quanta in teſſeris viſitur, colore plane gypſeo. vid. Lud. Cœlii Rhodig. *Lection. antiqu. Lib. III. cap. 12. fol. m. 87.* Calculum ſuper oſſe ſacro inventum ex Gerhard. Blencken *Catalog. Rer. antiqu. & nov. Lugd. Batav. in Anat. publ.* annotatum allegat Chriſtianus Frider. Garmann. *de Mirac. mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 43. p. 1084.* Vertebris lumbaribus ſuperjacentes calculos duodecim in viro quodam ex Clarorum Buchnerorum familia orto, Anno 1700. reperi, quam obſervationem alibi recenſebimus. *vid. etiam Cap. IV. §. 11.*

§. 63.

In Tumoribus etiam inſaccatis calculi generantur, v. g. ex Steatomate cruris calculus condenſatus avellanæ magnitudine, anguloſus, rotundus tamen & ſpadiceus una cum pellicula extractus legitur in Joh. Kentmann. *Tr. de Calcul. in corp. hum. p. 16. ſeq.* Calculi unciæ longitudinis, ſubſtantiæ gryſeæ, levis & variis tuberculis verrucati meminit Johannes Jonſtonus *Notit. Regn. mineral. Cap. 5. membr. 1. p. 85.* Huic ſimillimum, niſi idem fuerit, atheromatis calculum, unciæ ſcilicet longitudinis, paulo minoris latitudinis, ex gypſea materia concretum figuræ oblongæ & inæqualis & variis protuberantiis præditum, levem tamen, ut cum avellanam magnitudine vix ſuperet, drachmas tamen duas pondere non æquet, poſſedit Olaus Wormius, cujus vid. *Muſæi Lib. 1. Sect. 2. cap. 11. fol. m. 74.* *In Tumoribus inſaccatis.*

§. 64.

Neque etiam ſangvis ab arenularum vel calculorum concretione immunis eſt, quod imprimis familiare eſſe ſolet ſcorbuticis, quorum ſangvis ſæpe arenulis abundat, hinc etiam in ejusdem vaſis tam arterioſis, quam venoſis, quandoque etiam externe adhærere deprehenduntur. Calculi autem arterialis exemplum adducens Nicolaus *In Sangvine.* *In Arteriis.*

Tulpius *Obſ. med. Lib. II. cap. 25. p. 41.* ita loquitur: Calculum in arteriis qui invenerit, equidem hactenus inveni neminem: ac proinde operæ pretium facturus videor, ſiquidem ejus exemplum, ut inauditum, attamen veriſſimum hic inſeruero. Joannes Arminius, Pharmacopolæ miniſter, ob adverſam valetudinem frequentibus medicamentis magis imbutus, quam adjutus, devenit tandem in tam vehementem cordis palpitationem, & irrequietum agitati viſceris impetum, ut verberantis ictus diſtincte nonnunquam audirentur, præ foribus conclavis, in quo id temporis decumberet. Quibus acceſſere frequens animi deliquium, præcordiorum anguſtia, ſpiritus difficultas, pulſus intermittens, urina nunc flava, modo nigra, modo cruenta, vel muco aut arenulis perfuſa, anorexia ventriculi cum crebro vomitu, iecinore indurato & ſubſequente morte. In diſſecto cadavere inter alia prope renem ſiniſtrum dedit ſe nobis in conſpectum inauditum calculi genus, quod a loco, cui inhæſit, lubet vocare arteriale. Inſidebat quippe firmiter illi arteriæ aortæ ramo, qui vergit ad glandulam Euſtachii, ſiniſtro reni impoſitam. Diſruperat autem caput ipſius (ita appellamus rotundam illam excreſcentiam, quæ cum anguſtiore collo haud male refert, caput implumis pipionis) arteriæ tunicam, latitante reliquo corpore in dilatata ipſius fiſtula; ſed ita ut vulneris oræ minime hiarent, verum contraherentur tam arcte circa ipſius collum, ut vix guttula ſanguinis potuerit illinc effluere &c. Lapidem ibidem *p. 142.* depictum reperies. In Cardinalis Camilli Meltii arteria aorta plurima apparuerunt oſſis rudimenta, quæ fruſtula hinc inde per arteriam ad diſtantiam trium a corde digitorum ſparſa fuerunt, teſte Henrico a Moinichen in Thom. Bartholin. *Epiſt. medic. Cent. II. Obſ. 97. p. 722.* In Toparchæ cujusdam

Anno

Anno 1692. d. 13. Novembris diſſecti cadavere deprehendebatur calculus circa exortum arteriæ magnæ, annotante Benjamino Benedicto Petermanno *Obſ. med. Dec. I. Obſ. 1. p. 1.* Tam in arteriæ venoſæ, quam venæ arterioſæ nonnullis ramulis, lapillos, partim jam ſolide induratos, partim adhuc aſpera ſcabritudine, quaſi tartariſatos in olitoris cujusdam, ob temerariam bigamiam capite damnati cadavere, ſolenni publicæque diſſectioni conceſſo obſervavit Chriſtianus Langius, uti *Miſcell. curioſ. medic. ſ. 12. p. m. 32.* Et *Oper. p. 24.* recenſet. Arterias carotidas in fœmina per viginti quinque annos intolerabili capitis dolore excruciata ita induratas offendit Regnerus de Graaf, ut externa facie calculoſas, ſive in lapideam ſubſtantiam mutatas eas judicaret; ſed illis apertis, earum lateribus calculoſo lapideam accreviſſe, & quidem, ubi ad latera ſellæ equinæ aſcendunt, obſervavit vid. *M. N. C. Decad. I. An. 1. Obſ. 127. p. 285. ſeq.* In arteriolæ cujusdam cavitate circa uterum hærentes duo lapilli, unus inſtar grani milii, alter duplo vel triplo major ex duobus concretus juxta ſe invicem fuere obſervati, juxta Roſin. Lentil. *Jatromnem. Cap. VI. p. m. 23.* Lapides in interna arteriarum tunica ſe vidiſſe ſcribit Laurentius Bellinus *de Urin. p. m. 617.* Jean Trulla trouva dans la Veine cave auprés du Cœur du Pere Barthelemy Jeſuite une matiere pierreuſe, inquit Nicolaus Venette *des Pierres cap. 4. p. 681.* In Petri Carpenterii thorace aperto aortam præter morem dilatatam, in eaque diſſecta prope cor fiſtulam quandam lapideam, inſtar tubuli veluti totum arteriæ ſtipitem incruſtantem, reperit atque extraxit Carolus Piſo, uti refert *de Morb. ſeroſ. Sect. 4. cap. 2. p. 383.* In Viri cujusdam anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo ultimum halitum exſpirantis, arteria magna ſive aorta, infra renes, circa regionem muſculorum Pſoas, ubi dicta arteria in binos ſe propagat ramos,

 Iliacos

Iliacos dictos, interiorem ejus tunicam materia quædam oſſibus ſimilis ultra ſpithamæ longitudinem ambiebat; quæ ipſamet materia dictas etiam Iliacas aliasve aortæ propagines vicinas circa harum oſtia obſidebat, referente Johanne Henrico Starckio *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 171. p. 301. 304.* Sic in Viri cujusdam, incirca quinquaginta quatuor annorum aorta plurimus tactu deprehendebatur tartarus, & quidem artificialis quaſi, ac inæquales ſuperficies præ ſe ferens, veluti parietibus dolii adhæret, fruſtillum ſatis notabile hic ex baſi decerpſit notabilemque aortæ partem taliter infarctam exemit Johannes Jacobus Franciſcus Vicarius, juxta *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obſ. 3. Schol. p. 24.* In arteriis cordis & venis hæmorrhoidalibus calculos fuiſſe repertos, ſcribit Daniel Beckherus *Medic. Microcoſm. Lib. I. cap. 15. p. m. 95.* In arteria magna pueri tredecim annorum ad longitudinem unius digiti a cordis ſiniſtro ventriculo in ſanguine jamjam e corde extruſo invenit Johannes Georgius Greiſelius particulam quandam albam inſtar unguis minimi digiti, quæ erat friabilis inſtar arenæ. vid. *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 70. p. m. 172.* Calculos unguiformes in aortæ deſcendentis bifurcatione reperit Mauricius Hoffmannus vid. *Ephem. Acad. N. C. Cent. X. p. 442.* In fœmina hydrope defuncta calculum venæ arterialis principio impactum obſervavit Petrus Marchettus, vid. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 4. p. 111.* quo loco tam magnitudinem, quam figuram depictam reperies. In arteria venoſa ad foraminis ovalis veſtigium lapidulum, ductum exacte claudentem annotaſſe Alexandrum Maurocordatum, refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 57. p. 1096.* Circumcirca venam tam ramum aſcendentem, quam deſcendentem moles materiæ gypſeæ, ad magnitudinem pugni, in puella undecim circiter annorum, tenaciter adhærebat

hærebat, obſervante Guilhelmo Fabricio, Hildano, *Obſ. chirurg. Cent. II. Obſ. 44. fol. 117.* Calculum venæ thoracicæ externæ arcte inſidentem ſphæricum & inæqualem, cujus magnitudo ut nuci avellanæ, ſic forma fuit ſimillima racemo uvarum corinthiacarum, quibus calculus hic rotundis ſplendicantibus ac atris ſuis acinis adeo fuit æqualis, ut vix ovum ovo videris ſimilius, obſervavit Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. IV. cap. 21. p. 327.* In venis emulgentibus pueri decennis calculum ad pugni magnitudinem repertum refert Henricus a Moinichen, *Obſerv. 20. p. m. 73.* item in pueri novem annorum venis emulgentibus prope renes reperti ſunt duo calculi, unus utrinque, quorum primus æquabat pondus duorum aureorum Hiſpanicorum, unum & dimidium Ungaros & ſex grana, alter duos aureos, medium Ungarum, exceptis ſeptem granis, uti ex fratris ſui Eraſmi Bartholini relatione commemorat Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. III. Hiſt. 34. p. 71. ſeq.* ubi calculi figuram annectit. In vena portæ lapides ſe inveniſſe ait Renaldus Columbus *Tr. de Re anatomic. Lib. XV. p. 491.* In venis partis cavæ hepatis, priusquam in communem illum caudicem portæ deſinunt, inventi lapilli eas obſtruentes diſtendentesque, foris nigri, intus flavi, v. Joh. Wier. *Oper. Part. IV. cap. 16. p. 315.* Quandoque etiam cum ſanguine e ſecta vena calculi proſiliunt; ſiquidem Johannes Georgius Greiſelius in Viro quodam duorum & ſeptuaginta annorum in catarrhum ſuffocativum cum contumaci urinæ obſtructione incidenti poſt varia remedia venam brachii ad uncias, ſex aperuit, ubi cum effluente ſanguine quatuor lapilli in pelvi protruſi fuerunt; Et cum magnam ſatis venæ aperturam fecerit, absque impedimento quidem ſanguinis fluentis exſilierunt, ita ut exſilientes illos audiverit, una cum Patre confeſſionario, ibi adſtante. vid. *M. N. C. Dec. I. A. 3. Obſ. 65. p. 103.* Et *Append. p. 23.* plura

ex-

exempla adducit Philippus Jacobus Sachſius, & quidem de arenulis in ſanguine leproſi obſervatis; idem de quodam dolore iſchiatico undecim annos laborante, ex cujus poſt lapſum in genu, aperta exteriore malleoli vena cum ſanguine ferventiſſimo proſiliente lapilli quoque figura & quantitate napi ſeminis, quantum teſta nucis juglandis capere potuit, una quoque exſilierat, unde ipſi perfecta ſanitas reddita eſt. In Matrona ex vena ſecta cum ſanguine ſimul arena, qualem cum lotio excernere ſolebat, fuit extracta, inque pelvim defluxit, juxta Obſervationem Joh. Ludovici Hannemanni vid. *M. N.C. Dec. II. An.5. Obſ. 86. pag. 191.*

§. 65.

In Sanguine menſtruo.

De calculis cum ſanguine menſtruo excretis ſequentem Obſervationem recenſet Carolus Joſephus Myllenus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 228. p. 431. ſeq.* Fœmina annos quadraginta duos nata liberorum trium. Mater vegeta & ſana, ſtato tempore menſtrua locis ordinariis cum pruritu & dolore effluere ſentit; at, quod ſtupendum, ſanguis ſimul per umbilicum ei exſudat quantitate circiter unciarum duarum. Adhæc induſio ejus adhærent parvulæ arenulæ cum ſanguine per umbilicum prodeuntes. Idque a quindecim jam annis, uti dicit, absque incommodo pertulit, niſi quod, erumpentibus iis, ardor circa umbilicum & naturalia eam vexet, ſubinde tam atrox, ut curvato corpore, ingrederetur, additque ſe ſubinde cruciatus tantos paſſam eſſe, qui nixus pariendi, ſi non exceſſerint, ſaltem æquaverint. Petii, ut obſervaret, an quoque per muliebria arenularum quid excernatur, & non arenulas tantum ſed etiam lapillos quinque parva piſa referentes mihi monſtravit. Virgini cuidam nobili quadraginta jam aliquot annorum primisque craſſæ tempore menſtruationis utplurimum menſes ſimul per

Obſervatio.

vaſa

vaſa hæmorrhoidalia, & quidem per utramque viam, in magna copia fluebant. Ordinarie autem ante menſium proventum dicta virgo maximum in ſinu muliebri, & circa os ſacrum ſentiebat dolorem atque ardorem, qui fluentibus dein menſibus, ſemper arenam ſecum vehentibus, iterum remittebat. Quodſi vero talis menſium fluxus (quem aliquoties in eadem perſona nobili, ad quatuor, octo, & aliquando ad ſedecim ſeptimanas continuum & absque intermiſſione durantem annotavi) nimis diu continuaret, tunc ſimul etiam multos calculos, ad lentium & piſorum magnitudinem, in linteis reperiundos, cum ſummis cruciatibus excernebat; quos etiam ſæpius mihi monſtrabat.

§. 66.

In Glandulis etiam materiam calculoſam indureſcere, *In Glandulis.* jam ſupra *§. 3.* de calculis in glandula pineali monſtravimus, quibus adhuc aliquot exempla annectere liceat. In ipſa ſcilicet glandula pineali cadaveris juvenilis apoplexia extincti, calculum ſe obſervaſſe ait Bartholdus Kruger *Anatomic. curioſ. Deodid. cap. 12. p. 38.* Meibomius etiam plus decies arenulas in famoſa hac glandula reperiſſe, in *ipſius Diſput. de Calcul. §. 50.* legimus. Relationem de glandula pineali petrefacta, in cerebri cujusdam diſſectione reperta, ab Edmundo King communicatam *vid. Act. Erudit. Lipſ. An. 1688. menſ. Maj. p. 234.* vid. etiam Joh. Matthiæ Müller *de Effract. Cran. Membr. I. p. m. 42.* De glandula pineali petrefacta, vid. Nouvelles de la Republique des Lettres *An. 87. Avril. p. 396.* Sic etiam in glandula lacrymali, ad oculi angulum internum ſita calculum inæqualem valde in ruſtico defuncto ſe obſervaſſe ſcribit Gerardus Blaſius *Obſerv. med. Part. IV. Obſ. 16. pag. 82.* Glandula Thymus maxima glandulas exhibens induratas, calculoſas & ſubatras ſuis incluſis folliculis

in puella decem annorum a Johanne Jacobo Hardero fuit obſervata, *vid. ejusd. Apiar. Obſ. 45. p. 200.* Glandulam thymum maxime ſcirrhoſam, uti in hydropicorum hepate, in muliere pagana obſervavit Benjaminus Benedictus Petermannus *Obſerv. medic. Dec. 1. Obſ. 8. p. 12.* In ſectione viri Reverendi Lichtſcheidii glandula thymi erat indurata & calculis repleta, juxta Act. Berolinenſ. *Vol. III. p. 28.* De materia tophacea ad grana novem thymum obſidente, vid. Frid. Hoffmann Parentis *Cardianaſtroph. pag. m. 6.* In pectore circa iugulum in medio interſepientium thoracis membranarum glandulis calculos accreviſſe in anatome obſervavit Felix Platerus *Obſervat. med. Lib. 1. p. m. 181.* In glandulis ad arteriam aſperam ſitis concretos lapillos in ſubjecto virili Anno 1667. deprehenſos fuiſſe refert Juſtus Schraderus *Obſerv. anat. med. Dec. 1. Obſ. 3. p. m. 186.*

§. 67.

In Sudore

Sæpe etiam ejusmodi particulæ calculoſæ ſeu arenulæ mediante ſangvinis ſero per poros cutis ad externas partes propelluntur, uti in ſudore, imprimis ſcorbuticorum obſervare licet. Inquit enim Johannes Daniel Horſtius *Manuduct. ad Medicin. Part. I. pag. 191.* Scorbuticorum ſangvis ſæpe adeo abundat arenulis, ut non tantum copioſe prodeant cum urinis, ſed & poſt ſudorem cuti in vola manuum & aliis partibus ſe inſinuent, uti nuper vidi in illuſtriſſima matrona, cujus ſæpe mammarum & manuum cutis ita arenulis obducebatur, ut digitorum apprehendentium veſtigia relinqueret. Scribit etiam Henricus Rufus ad Lazarum Riverium *Epiſt. 5. p. m. 307.* Virum ſe vidiſſe, qui calculos & lapides majuſculos in quavis ſui corporis parte oſtendit; vidimus ſæpe & tales tetigimus ſuper carnes, muſculos, membranas, nervos, oſſa indifferenter, ita ut aures, naſus, mammæ illis non carerent, protuberabant quippe manifeſto & tangentibus

mobiles

mobiles apparerent. De Sudore arenularum hanc obſervationem refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 34. p. 48.* Illuſtris quidam vir, regius in Selandia præfectus, calculo & arthritide, domeſticis hoſpitibus, ſæpe obnoxius, ſubinde in largiſſimum ſudorem ſolvitur, quo non ſerum exſudat, aut ſuetos per poros liquores ſed, quod mireris, manipulis arenularum, quas inducta manu abſtergit. Quotidianum id nobili viro, & a medicis ſaluti illius excubantibus viſum perſæpe, teſtis mihi eſt fide digniſſimus Olaus Wormius. Vidit etiam D. Bluhnentroſt in fœmina quadam ſcorbuto laborante ingentem tartari rubicundiſſimi copiam haud abſimilem illi, qui in urinis ſcorbuticorum matulæ lateribus adhæreſcere ſolet, diaphoreſis per corporis habitum expulſam, juxta Andr. Valentin. Mœllenbrock *de Varis ſeu Arthritid. Vag. ſcorbut. cap. 13. p. m. 251.* Vir quidam inſignis ſcorbutico-arthriticus Fridericus Kraft, uſus aliquando eſt ſpiritu aperitivo Penoti, quo largus provocabatur ſudor, ſvavi obrepente ſomno. Expergefactus miratur rubicundiſſimas arenulas, paſſim induſio tenaciter adhærentes, quas in ſcatula collectas ſubridens monſtrabat Chriſtiano Franciſco Paullini, cujus vide *Obſerv. med. phyſ. Cent. 1. Obſ. 14. p. 19.* Item ſecundum Felic. Plater. *Prax. Tom. III. cap. 15. p. 818.* Cutis poris tophuli exigui quandoque innaſcuntur, indeque eximuntur, uti in faciei cute, nunc unus, nunc plures ſe aliquando exhibent, quos Germani *Leicht Dornen*, quaſi leves ſpinas vocant. Sudoris autem calculoſi vel arenoſi mihi ipſi innotuerunt exempla, & inter alia celeberrimus olim Lipſiæ degebat Theologus, admodum ſcorbuticus, qui a concione domum rediens, ſudoreque quaſi diffluens, veſtimenta, imprimis induſia, a nimio ſudore madentia ſiccis mutare tenebatur. Simulac vero dicta induſia erant exſiccata, præ nimia ſalis *Obſervatio.*

Gg 2 ſcorbutici,

ſcorbutici, per poros corporis inter prædicandum expulſi, quantitate, evadebant rigida, ut quaſi erecta ſtarent, magnaque ex iis fricando arenularum ſubrubrarum copia colligi poſſet. Absque dubio etiam ex hujus theologi poris tunc temporis arenulæ ſcorbuticæ colligi atque a cute abſtergi potuiſſent, uti mihi hactenus in viro, tam ratione quantitatis & qualitatis magno, poſt atrophiam ſcorbuticam reconvaleſcente integramque ſanitatem adepto, aliquoties poſt ſudorem, imprimis circa pectus obſervare contigit. Porro etiam ejusmodi arenulas ſcorbuticas, quaſique ſangvine tinctas femina quædam ſat robuſta nec macilenta, purpura tamen ſcorbutica admodum vexata, poſt ſudorem ſub alis per poros provenientes collegerat, quas mihi, earum magnitudinem admiranti, monſtrabat. Vidit etiam Salomon Reiſelius in Operario artis vitriariæ Naſovico ſudorem in induſio ita copioſæ cryſtalliſatum & coagulatum, ut cultro poſſet abradi. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 67. Schol. pag. 93.* Ejusmodi exempla quotidie fere in praxi medica occurrunt.

§. 68.

In Podagra. In ſubjectis etiam ſcorbutico-arthriticis materiam calculoſam ſeu tophaceam ad artuum extremitatem propelli, miſeri teſtantur podagrici nodoſi; hinc etiam Johannes Baptiſta van Helmont *Tr. Volupe vivent. Morb. §. 4. fol. m. 240.* Podagræ tanquam peculiare quid adſcribit, quod calculos, cretam calcemve alienis a Duelech initiis, proferat, &, monſtrum petroſum, extra ſolitum locum, & debitum, hominemque ſuis mutilatum membris & truncum, a tam ſuperba ſtructura in monſtrum deformet. Tales autem arthriticorum tumores nodoſos vere lapideſcere quamplurimis confirmatur hiſtoriis; ſcribit etiam Petrus Johannes Faber *Chirurg. ſpagyr. Sect. I. cap. 6. Oper. Vol.*

poſter.

poſter. p. m. 959. vidi ipſe ſcirrhos lapidoſos & nodos arthritidis lapides factos, & audivi & legi apud optimos Autores &c. De tali lapideſcente in articulis materia podagrica admonet Franciſcus Tidicæus *Microcoſm. Tract. VI. p. m. 417.* dignum obſervatu eſſe illud Polemonis Sophiſtæ, cui cum articuli morbo arthritico lapideſcerent, Medicos admonuit, ut effoderent inciderentque Polemonis lapidicinam. Arthriticum quendam ultra bis mille, (ſit fides penes Autorem) in corporis articulis habuiſſe tophos, ſub humoris viſcidi ſpecie, e venis manifeſte quidem erumpentes, quamprimum vero muſculos attingerent, in duriſſimos lapides illico concreſcentes, obſervaſſe Petrum Sanchium, refert Johannes Nicolaus Binningerus *Obſervat. Cent. I. Obſ. 31. p. 33. ſeq.* De tali padagricorum calce ſequentem obſervationem refert Johannes Jacobus Wenceslaus Dobrzensky *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 65. p. 122.* Anno Domini 1670. fatis ceſſit Capitaneus Ammon, qui vitam ſuam longo ſpatio annorum arthritide excruciatus transegit, ita ut pedibus & manibus contractus evaſerit. Aperto cadavere cauſam contracturæ digitorum, tam manuum, pedum, quam reliquarum juncturarum indagine, easdem plenas calce vulgo dicta, ſpatia omnia occupantis reperi, tanta quantitate, ut ipſa oſſicula loco ſuo naturali cedere neceſſe fuerit, unde dislocatio oſſium digitorum, tam manuum, pedum & juncturarum facile inde colligi poteſt; cum ſenſim tanta materia ad articulos transmandetur, ut mole ſua prius nervos, membranas, tendines obruat, & ad obeundas rite actiones motui & ſenſui convenientes ſuffocet, tandem & ipſa oſſa loco ſuo dimoveat.

§. 69.

Ex ſaliva quandoque calculum generari, ſeu condenſari, ex illis patet, quæ *ſupra §. 17.* de calculis ſublingualibus ſive ſub lingua circa ductus ſalivales repertis diximus. *In Saliva.*

Præterea non modo Galenum vidiſſe ſputa, quibus corpuſcula grandini ſimilia commixta fuere, ſed quendam etiam Alemannum lapidem ſputo rejeciſſe ex Antonio Benivenio refert Hieronymus Mercurialis *de Excrement. Lib. III. cap. 3. p. m. 194.* Et Gerardus Blaſius *Obſervat. anatom. p. m. 138. Fig. IV.* Calculum ex ſalivalibus locis circa frenum linguæ extractum delineavit. Scribit etiam Balthaſar Kryſingius de linguæ ductu ſalivali calculorum promo condo *Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. X. Obſ. 79. pag. 402.* hanc Obſervationem: Non tantum ſerum, a renibus ſecretum, in tophos ſæpe permutari, ſed & ſalivalem humorem, terreis particulis onuſtum, in lapides nonnunquam indureſcere, cum duriuſcula dentibus inhærens ſubſtantia, tum præcipue variorum de linguæ calculis hiſtoriæ ſatis ſuperque evincunt. Atque hinc interdum evenit, ut in unum eundemque ductum ſublingualem, tanquam in nidulum, non una ſolum vice, quod vulgatum eſt, ſed & ſemel iterumque lapides deponantur. Exempli gratia: Simon Rætger Organœdus Flensburgi, quadragenarius, Anno 1715. ſub medio linguæ loco tumorem quendam ſubito vidit ſine dolore exortum ac longius prominentem, initio fungum ab ipſomet habitum, qui tamen leni commotione exemtus atque inventus fuit lapis oblongus, altero latere planus, altero autem paulo elatior, colore & ſubſtantia tophis renum prorſus ſimilis, e ductu ſalivali per linguæ motum expreſſus, &c.

§. 70.

Obſervatio. Præter hæc allegata calculorum in corpore humano repertorum loca, alium adhuc & quidem inſolitum obſervare mihi contigit, quem cum reliquis in eodem ſubjecto obſervatis benevolo Lectori paucis communicabo. Anno ſcilicet 1700. die 2. Februarii hic Dresdæ morte ſubitanea decedebat Vir ob Matheſin artemque ſcribendi celebris, nomine

nomine Johannes Paulus Buchnerus, quinquaginta octo annorum, vitæ ſedentariæ deditiſſimus, bilioſus alias ſummeque emaciatus, qui ultra viginti annos ineffabiles atque incredibiles eosque fere continuos perpeſſus erat cruciatus; ſiquidem circa vertebras lumbares incipientem, dehinc per meſenterium & hypochondria vagantem perque totum inteſtinorum tractum continuatum, lancinantem, & circa umbilicum cordisque ſcrobiculum urentem & convulſivum ſeu ſpasmodicum omnium in abdomine contentorum viſcerum, atque utplurimum cum vomitu deſinentem, quotidie fere ſentiebat dolorem. Alvus vix poſt quartum aut quintum diem ſemel & quidem baccatim, maximoque niſu reſpondebat, quapropter tam hujus ſolvendæ, quam doloris ſedandi gratia miſerrimus hic ſæpiſſime clyſteres efflagitabat; utplurimum vero a meridie circa quartam vel quintam a paſtu (optime enim appetebat) horam ejusmodi cruciatus infernales recrudeſcebant, atque vix una vel altera ante prandium ſequentis diei hora, iterum ceſſabant, ut hinc aliquoties violentas ſibi manus inferri ſerio expoſceret. Hos vero dolores ante viginti annos, poſt ſaltum ex curru in itinere, ab initio exortos indiesque auctos fuiſſe, aliquot ante obitum menſes mihi dictus ægrotus referebat. Sæpius etiam idem per alvum ſanguinem congrumatum inſtarque picis nigricantem excernere ſolebat, quod etiam paucis ante deceſſum horis in magna quantitate, imo cum ipſa animæ exhalatione dicto die contigerat.

§. 71.

In aperto hujus Martyris, qui die antecedente cætera ſanus obambulabat, cadavere, cujus ſectio, uti ipſe ſæpiſſime petierat, octava a deceſſu hora a me inſtituebatur, ſequentia occurrebant obſervanda. 1) Sub cute nulla penitus erat pinguedo, muſculi autem abdominis virideſcen- *Varia obſervata.*

tes

tes atque putredini quaſi proximi. 2) Inteſtina omnia tam tenuia, quam craſſa, fuſca, nigricantia & gangrænoſa. 3) Meſenterium totum flavum & bile quaſi tinctum cum corruptionis initio. 4) Epiploon ſeu omentum penitus ſphacelatum. 5) Ventriculus nimium, & quidem ad capacitatem ſex cantharorum vel duodecim librarum, flatibus diſtentus, totaque ejus ſubſtantia externa albiſſima cum rubicantibus & elegantiſſimis venularum ramificationibus optime conſpicuis. 6) Inteſtinorum vero & meſenterii vaſa maxime nigricantia ſe offerebant. 7) Epar colorem ferebat fere naturalem, niſi aliquantulum albicantiorem, absque tamen ſcirrho ſeu induratione, ne minimæ quidem portiunculæ. In concava vero, ſeu ea, qua inteſtina tangit, parte, nigerrimum monſtrabat colorem, pariter tamen ſine induratione. 8) Maxime etiam obſervatu dignum, quod neque in loco alias conſueto, neque in toto epatis parenchymate, ne guttula quidem bilis, quin etiam ne minimum quidem veſiculæ alicujus felleæ, ſive integræ, ſive dilaceratæ, veſtigium obſervari potuerit. Hinc etiam ſpeculationi, atque indagationi, quantum quidem temporis moroſa uxor permittebat, ſatisfacturus totum epar extrahebam, nihil tamen quicquam bilis, neque extus neque intus, in tota epatis ſubſtantia, ſuſpenſa manu in minutiſſimas partes diſſecta, neque etiam folliculum diſciſſum aut diſruptum, neque ipſi analogum quid, imo nullum avulſæ ejusmodi cyſtidis, nec minimæ partis, indicium aliquod deprehendere potui. 9) Lien uti & renes cum vaſis & cæteris annexis optimæ erant conſtitutionis. 10) Super ſpina dorſi, circa vertebras lumborum, in membranula quadam tenuiſſima, pollicis fere longitudinem & calami ſcriptorii craſſitiem æquante, duodecim lapilli ſeu calculi ſubfuſci, & mucilagine ſubflava ſeu borioſa veſtiti, quales alias in cyſti fellea reperiri

ſolent,

ſolent, piſi minoris magnitudine atque rotunditate, in linea recta jacentes continebantur, qui etiam facillime, inciſa iſta membranula, eximi poterant. 11) In thorace pulmones debito deſtituebantur colore, ſed cærulei magis, plurimisque punctulis nigricantibus erant conſpicui. 12) Cor externe optimum colorem & ſufficientem pinguedinis copiam, quæ alias in toto hujus ſubjecti corpore rariſſima erat, ſpectatoribus monſtrabat, intus vero uterque cordis ventriculus polypo & ſanguine congrumato refertus deprehendebatur. 13) Arteria magna, ubi cor egreditur, ad trium digitorum amplitudinem ſeu ſpatium erat extenſa. 14) Nullus tamen neque in eadem arteria, neque in aliis vaſis ſanguiferis, tam majoribus, quam minoribus, epatis & cordis, ſtudio a me diſſectis, ſanguis reperiebatur, ut adeo ex toto diſſecto corpore vix cochlear unicum ſanguinis, præter illum in corde coagulatum, colligi eoque impleri potuerit; hinc etiam ſine ligaturis incruentam ſectionem perficere atque viſcera ſine cruentatione exſcindere licuerit. 15) Denique hoc ſubjectum etiam duplici hernia ſcrotali laborarat. Qua occaſione chirurgo atque herniotomo noſtrati, Tobiæ Fiedlero, qui cum pharmocopæo noſtro Johanne Andreæ Mithigero huic ſectioni intererat, herniotomiam absque caſtratione & ſine puncto aureo exerceri poſſe, tertia vice demonſtravi. De qua methodo in Spermatologia mea *An. 1720. edita Cap. VII. §. 7. p. 365. pluribus egi.*

§. 72.

Vermem longum & craſſum in capite cornu membranaceum, in ore lapillum album ervi magnitudine habentem, a muliere unius & quadraginta annorum poſt medicamenta anthelmintica excluſum obſervavit atque depinxit Benjaminus Scharffius *Deſcript. Juniper. curioſ. cap. 17. Litholog.* *In Vermis ore.*

p.m.231. Hunc lapidem in vermis ore repertum non in ipſo verme, ſed potius in dictæ feminæ inteſtinis originem ſumſiſſe, inque iisdem tam diu latuiſſe, donec a verme aſſumptus fuerit, judicare mihi liceat.

§. 73.

Calculi inteſtinorum duplices. Cum autem ſupra *§.35.* ubi multa calculorum inteſtinalium exempla adduximus, quædam de ipſorum generationis loco annectere promiſerimus, paucis adhuc circa finem hujus capitis notandum venit, quod ſcilicet diſſentiant Autores Medici circa quæſtionem: An calculi in inteſtinis reperti, vel etiam per alvum rejecti, in ipſis inteſtinis primam originem ſumant & generentur? vel an aliunde ad inteſtina protrudantur? Quorum non pauci hos calculos ex veſicula bilis per ductum choledochum, facta ejusdem vel eroſione, vel expanſione ſeu dilatatione, vel etiam dilaceratione, provenire atque ad inteſtina deſcendere ibidemque incrementum aſſumere defendunt; e quibus Franciſcus Gliſſonius *Anat. Hepat. Cap. 7. p. m. 105.* ita inquit: Novi complures, qui lapidum fragmina ingenti quantitate per alvum eliſerunt, quorum locum genitalem haud alium fuiſſe exiſtimem, quam vaſa bilaria, in quibus tubulus ejusmodi lapideus forte natus, & fruſtillatim comminutus per porum bilarium in inteſtina delabi indeque per alvum excerni potuerit, &c. Et ſane ſæpiſſime ejusmodi calculos e cyſtide fellea per hunc porum ad inteſtina transire, atque dehinc per alvum rejici, minine negandum, variisque exemplis ſupra probatum eſt. Quin tamen in inteſtinorum anfractibus, pariter ac in reliquis totius corporis partibus calculi generari poſſint, impedimentum vix datur. Poſita enim materia, poſito agente, & omnibus ad agendum requiſitis neceſſariis, quæ inteſtinis denegare non poſſumus, quidni ponatur effectus? juxta verba Metzgeriana. vid. etiam Nicolaus Guilelmus Beckers

M. N.

M. N. C. Dec. I. An. 6. Obſ. 70. p. m. 119. ubi inquit: Cum a plurimis Medicis in omnibus corporis humani partibus calculi fuerint obſervati, idcirco nullam, cur poſita viſcoſa, qua inteſtina abundant, pituita, veluti cauſa materiali, & calore eorundem tam innato, quam aſcititio, ut efficiente, vel ſecundum neotericos, mucilaginoſo, quo referta, tartaro, accedente ſpiritu lapidifico, calculi in anfractibus inteſtinorum generari nequeant, adeſſe video implicantiam. Scribit etiam Theodorus Craan *de Homin. cap. IX. p. m. 80.* Calculorum generationem in inteſtinis quidem non adeo miram eſſe, ac quidem in interioribus partibus noſtri corporis, quales ſunt pulmones, cerebrum, cor, veſica, & ſimiles. Nempe poſſunt, pergit idem, facilius cum alimentis plura calculoſa pervenire ad inteſtina, quam ad alias partes interiores noſtri corporis; hoc ipſum ſæpe experimur inter maſticandum, quod dentes ſtrideant propter ſabulum & arenam, alimentis aſſumptis permixtam, quæ poſtea cum reliquis ex ventriculo expelluntur inteſtina verſus, atque illic hærendo, accedente aliquo glutine ſeu materia viſcoſa tenaci, hæ particulæ arenoſæ combinantur, & ſibi invicem applicantur; atque ita lapidem conſtituunt cum tempore, accedentibus aliis pluribus.

§. 74.

Signa Calculorum inteſtinalium & veſiculæ bilis.

Pro meliori autem differentiæ horum calculorum dignotione nonnullis lapilli ex cyſti fellea ab illis, qui in tractu inteſtinorum, & aliis partibus reperiuntur, differre creduntur, primo ratione coloris, dum illi, utplurimum flavo ſeu felleo, interdum etiam viridi & nigricante colore tincti ſunt: deinde ratione ponderis, leviores ſunt reliquis calculis, atque in aquam projecti non facile ſubmerguntur, ſed inſtar ligni ſupernatare ſolent, vid. Gothofr. Mœbii *Phyſiolog. Cap. XV. p. m. 371.* Et Joannes

Fernelius Patholog. *Lib. VI. Cap. 5. pag. m. 141.* inquit: Calculus in cyſti fellis plerumque concreſcit niger, ſed tamen levis, & qui aquæ immerſus innatat, neque ut, qui e renibus aut veſica vellitur, ſubſidet in imo. Idem confirmat etiam Thomas Bartholinus *Cent. III. Epiſt. 86. p. 372.* Calculi, inquiens, veſicæ bilis leves ſunt, nec facile merguntur in aqua. Quod etiam exemplo probat Andreas Petermannus *Diſp. de Icter. & Calcul. Veſicul. fellis*, in qua viri meminit quinquaginta quatuor annorum, qui Ictero flavo laborans non modo lapillum baccæ lauri quoad colorem & formam haud adeo abſimilem, ſed poſtmodum plures, quam ſeptuaginta duos, magnitudine partim phaſeolorum & piſorum, partim lentium, per alvum excrevit; quorum alii rotundi & læves, alii anguloſi & aſperi videbantur; plures eorum lapideam duritiem præ ſe ferebant; nonnulli tamen, quanquam pauciores, mollioris compagis erant. Ex felleo cunctorum colore conjectare facile erat, eos folliculum fellis occupaſſe, neque dolorum atrociorum in hypochondrio dextro forſan alia fuit cauſa, quam calculorum ibi latitantium ad inteſtina tranſeundi conatus. Præterea aquæ tam calidæ, quam frigidæ omnes ſupernatabant. &c. Tertio calculi fellei ab aliis in eo differre creduntur, quod in aqua calida pæne colliqueſcant ſeu reſolvantur. Refert enim Olaus Borrichius apud Thom. Bartholin. *Epiſt. medic. Cent. III. Epiſt. 85. p. m. 362.* in muliercula cujusdam veſicula fellea plus quam nonaginta calculos magnitudine fabarum fuiſſe repertos, in aqua calida pæne totaliter colliqueſcentes. Et *Epiſt. 86. p. 372.* ſcribit Bartholinus: Calculi innumeri in veſicula mulieris fellea facile frangi in liquore calido potuerunt, quia plerique calculi hujus veſiculæ leves ſunt, nec facile merguntur in aqua, quippe a bile aſſata vel exſiccata plerumque origi-

originem ducunt. &c. In iecore ſenatoris cujusdam & aliorum lapides atros invenit Julius Cæſar Scaliger, qui in aquam injecti intumuere. vid. Scalig. *de Subtilitat. Exercit. 108. pag. m. 395.* Quibus differentiis & ſignis calculorum felleorum alii quarto aliam adhuc addunt, formam ſcilicet angulosam & friabilitatem. Calculos friabiles in Comitis Thomæ Arundelii veſica fellea repertos reperimus in Georg. Hieronym. Velſch. *Epiſagmat. Obſ. 65. p. m. 39. ſeq.* Calculos anguloſos flavos, nec oppido duros per alvum a fœmina rejectos obſervavit Olaus Borrichius, hosque ex hoc colore, mollitie & cæteris indiciis & veſica fellea prodiiſſe judicavit, vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 65. p. 159.* De calculis veſiculæ felleæ ſentit Johannes Baptiſta Morgagni, tales omnes aquæ innatare, lucernæ autem admotos, vel primum ebullire absque ullo fœtore, tum flammam concipere atque ſervare, in guttas colliquatos decidere, & ſubinde inter ardendum cum levi crepitu ſcintillare, denique ad extremum usque flammam alere, vel leves quidem ſtrepitus edere, aſt in flamma nec liquefieri, nec hanc ſervare, inſtar capillorum vero combuſtorum fœtere ac præterea intus & foris ita nigricare, ut carbones potius, quam calculi videantur. v. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1719. Menſ. Octobr. p. 445.* Mauritius van Reverhorſt *Diſſert. de Motu Bilis circular. §. 57. p. m. 48.* ideo non facile adduci poteſt, ut credat Petram del Porco ex veſica fellea aprina oriri, utpote in aquam projecta minime eidem ſupernatet, ſed fundum petat, cum contra calculi ex veſica fellea orti, igni admoti flammam non tantum concipiant, ſed in aquam projecti minime fundum petant, ſed eidem ſupernatent, propter bilis particulas oleoſas, hos lapillos componentes. Calculos octogonos, coloris ex flavo fuſci, nigris maculis inſignitos, quales alias in veſicula fellis reperiri ſolent, per alvum excretos vidit Lau-

rentius Wolffſtrigel *in M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 89. p. 193. ſq.* Plura vide ſupra de calculis veſiculæ bilis *§. 36. Ephem. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 89. p. 200.*

§. 75.

Sunt incerta. Ab his tamen circumſtantiis minime certa atque infallibilis calculorum veſiculæ bilis & aliarum partium differentia deſumenda erit, ſiquidem primo ratione coloris in aliis quoque partibus dantur lapilli coloris viridis, flavi atque nigri. Coloris ſubcrocei lapillos ex abceſſu circa os iſchii ſuppurato & rupto, provenientes allegat Philippus Jacobus Sachſius *Schol. ad Joh. Georg. Greiſelii Obſerv. M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 66. p. m. 166.* Lapillos ſubviridis coloris minores duos & unum majorem pondere duarum unciarum in pericardio fœminæ invenit Joſephus Lanzonus *v. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 75. p. 119.* Flavos calculos in rene obſervatos reperimus in Guern. Rolfinc. *Epitom. Method. cognoſc. Affect. partic. Lib. III. cap. 19. p. 30.* Ex ulcere antiquo nigrum lapidem extractum refert Petrus Borellus *Hiſtor. phyſ. med. Cent. I. Obſ. 4. p. m. 9.* De nigro lapide in corde obſervato vid. Laurent. Scholz. *Conſil. medic. fol. 103.* Et nigerrimum adeoque durum ut malleo non læderetur in viro per veſicam excretum ipſe annotavi. Econtra vero in folliculo bilis etiam aliorum colorum calculi quandoque deprehenduntur, v. g. albi & rubei, vid. Th. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent. I. Epiſt. 62. p. 254.* Venetæ cujusdam veſiculam felleam calculo inſtar cryſtalli pellucido repletam ſe reperiſſe, ſcribit Johannes Scultetus *Armam. Chirurg. Part. II. Obſ. 48. p. 61.* Ex Baroniſſæ cujusdam veſica fellea calculi triginta ſeptem, colore non conſveto fuſco præditi, ſed potius albo variegato ſplendente, fuerunt exempti. *vid. Act. Berolin. Vol. V. p. 90.* Calculum albicantis coloris in puellæ cachecticæ veſia bilaria fuiſſe inventum, vid. Maurit. van Reverhorſt *de Mot. Bil. circul. pag. m. 47.*

m. 47. A viro quodam icterico rejectus eſt calculus glaber & inſtar marmoris politus, ponderans duos ſcrupulos cum ſemiſſe; conſiſtentia videbatur durus quoad corticem, ſed pondere & ſubſtantia levis; dum aquæ injiciebatur, ſenſim & tarde, non perpendiculariter, ſed ad latus reflexus deſcendebat & ſubſidebat primis vero ſeptimanis ſupernatabat, quia ſubſtantia ejus ſenſim dura & compactior, minus poroſa facta fuit *vid. Act. Erudit. Lipſ. An. 1724. menſ. Decembr. p. 536.* ubi alius quoque calculi meminit magnitudine ovi gallinæ indicæ, qui æquabat pondere ℥ij ʒvj ℈j & aquæ injectus eidem innatabat. Candicantem etiam calculum in cyſti fellea obſervavit Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. D. II. An. 5. Obſ. 77. p. 181.* Ut ita ex colo calculorum per alvum rejectorum colore nihil certi pro veſicula bilis concludere liceat, ſiquidem diverſitas illa coloris unice bili, prout in ſtatu præternaturali diverſimode vitiata varios colores adſciſcit, adſcribenda erit; uti Hartmannus *l. a.* in fellis veſicula, ovi magnitudine diſtenta, inciſa non bilem, ſed putram lympham, nulla flavedine tinctam, quin potius lacteſcentem magna in copia cum calculo candicante offendit. Deinde ratione innatationis aquæ, concedo quidem, leviores atque poroſos ſeu tophaceos ejusmodi lapillos non facile in aqua ſubmergi; quod ſi tamen lapides fellei magis lapideam atque compactiorem duritiem præ ſe ferant, aut tempore acquirant, dubium non eſt, quin etiam ſub mergantur. Hinc etiam Andreas Petermannus *l. a.* obſervavit calculi corticem antea flavum admixtione ſpiritus nitri & ſalis nigerrimum induiſſe colorem atque friabiliorem redditum fuiſſe, interiore interim compage albiſſima, apparente duritieque cum ſilicibus certante; imo ipſum aquæ, cui antea innataverat, fundum jam petente. In cujusdam ægroti, cui colica cum

ictero

ictero laboranti medicus curſum chalybeatum cum medicamentis antiicteriçis, amaris ſcilicet interpoſitis per biennium præſcripſerat, demortui veſicula fellis quinque calculi quaſi ex ferro conflati & rubiginoſi reperti ſunt, qui in aquam injecti fundum petiere, contra naturam aliorum ejusmodi lapillorum in veſicula fellis repertorum, juxta Joh. Dolæi *Epiſtol. IV. ad Waldſchmid. pag. 253.* Porro neque ſolutioni calculorum felleorum in aqua calida ſemper fidendum eſt, cum, teſte Petermanno *l. a.* ejusmodi lapillorum ſolutio ſeu colliquatio neque in aqua calida, neque in calido herbæ Theæ infuſo, neque in Decocto radicis graminis, neque cum ſpiritu Nitri & Salis obtineri potuerit. Et Lapidem porcinum, qui alias Piedra del Porco vocatur, atque ob manifeſtam amaritiem potius veſicam felleam, quam ventriculum Hiſtricis pro loco natali agnoſcit, in aquam projectum minime eidem ſupernatare, ſed fundum petere ex Mauritio Reverhorſt allegat Mich. Bernhardus Valentini *Polychreſt. Exotic. Diſp. III. §. 5. p. m. 34.* Neque etiam a forma externa angulosa, aut friabilitate aliquid certi concludere licet, cum in omnibus totius corporis partibus calculi anguloſi læves & rotundi, duriores & molliores ſeu tophacei & friabiles obſerventur, uti jam ſupra adducti & alii teſtantur Autores. Aliam tamen adhuc conditionem calculi ex cyſti fellea præ reliquis calculis quaſi propriam habent, ſcilicet inflammabilitatem. Igni enim admoti, licet non ad totam ſubſtantiæ conſumptionem comburantur, facile tamen, ob bilis viſciditatem ſulphuream ſeu oleoſam flammam concipiunt. Item a loco doloris differentia deſumi poteſt, ſiquidem calculi veſiculæ bilis utplurimum in hypochondrio dextro ſeu regione epatis (ante exitum ex ſuo domicilio) & cyſtidis felleæ maximos cruciatus cauſantur, cum econtra calculi inteſtinales potius colicam paſſionem inducant.

§. 76.

§. 76.

Sequentem obſervationem de ſingulari petrefactione in corpore humano communicat Johannes Georgius Cariſius *Nov. Literar. German. An. MDCCIV. menſ. Jan. p. 21.* Puer octo annorum menſe Octobre tumore glandularum ſub aure dextra ſitarum laborare cœpit; qui tumor poſtea magis magisque creſcebat, donec ægrotus puer, accedente atrophia, aſthmate & ſymptomatibus aliis, poſt ſedecim menſium ſpatium animam efflaret. Defuncti, cultro anatomico ſubjecti, non tantum glandulæ, ſed & ſingula totius corporis viſcera glacie obducta & calculoſa quadam ſubſtantia, imo calculis ipſis repleta conſpiciebantur. Cor ſaccharo candito ſuperſperſum polypum continebat inſignem, quod ſymptoma ægrum deinde ſuffocavit. *Petrefactio ſingularis.*

CAPUT III.

De Calculorum Mole & Pondere.

§. 1.

A differente calculorum loco ad ipſorum magnitudinis differentiam progredimur, ſiquidem eorum alii ſunt parvi, alii majores, alii maximi; quo etiam ipſorum pondus pertinet, dum alii equidem aliis ſunt minores, pondere tamen eosdem ſuperant, hinc etiam ab Autoribus modo ſecundum ſolam magnitudinem & comparationem certæ rei, modo ſecundum pondus, vel etiam ſecundum utrumque ſimul deſcribuntur. Deinde etiam calculi certo tantum reſpectu, & ratione loci, magni judicantur, dum v. g. calculi, qui ratione renum, veſicæ aut inteſtinorum, pro parvis habentur, in aliis partibus, e. g. in cerebro, oculis, naribus &c. ſat magni judicantur. *Calculorum magnitudo*

§. 2.

Variæ Variæ autem magnitudinis hinc inde in corpore calculi occurrunt. v. g. *Fabæ* Lapis fabæ magnitudinis diu ſub cranio viri cujusdam delituit, juxta Petri Borelli *Hiſtor. med. Cent. II. Obſ. 61. p. 160.* *Caryophylli* Caryophylli aromatici magnitudine & figura ureteris parietibus adhærentem calculum in puella novem annorum obſervavit Carolus Raygerus. v. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 285. p. 503.* In Viri cujusdam cerebro lapidem quidem parvum & mole piſum non æquantem, ſilicem vero æmulantem, deprehendit Guntherus Chriſtophorus Schellhamerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 131. p. 332.* Arenulas minimosque lapillos in glandula pineali & aliis partibus ſæpe reperiri, ex antecedenti capite patet. Grani hordeacei magnitudine ſcrupulum in cerebro obſervavit Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 48. p. 76.* Duos calculos, quorum unusquisque granum ſeminis cannabis adæquabat ex angulo oculi, ægilope affecti, eductos annotavit Nicolaus Blegny *Zodiac. Med. Gall. An. 1. menſ. Sept. Obſ. 2. p. 140.* Idem Autor etiam *l. a. menſ. April. Obſ. 14. p. 81.* lapidem phaſeoli magnitudine in nervorum opticorum ſubſtantia Comitiſſæ cujusdam repertam fuiſſe refert. Ex naribus aliquot lapides, magnitudine piſi, oblongos, Virgo quædam poſt errhinum rejecit, teſte Johanne Friderico Khern *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 46. p. 100.* Calculum ex cerumine compactum, piſi forma & magnitudine, ex aure ſibi extraxit civis quidam Chemnicenſis, teſte Chriſtiano Frid. Garmanno *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 50. p. 1090.* Ex apoſtemate maxillæ lapis magnitudine & forma grani tritici profiliit, v. Johann Schenck. *Obſ. med. Lib. 1. fol. 196.* Lapidem tritico figura, colore & magnitudine parem, duritie ſuperiorem ex palpebræ ora eximi juſſit Julius Cæſar Scaliger *de Subtilitat. Exercit. 108. num. 3. p. 396.*

Calcu-

Calculum ad grani piperis magnitudinem in corde militis invenit Joſephus Lanzonus, vid. Heinr. a Moinich. *Obſ.12. Schol. p. 74.* Ultra mille lapillos nucleis meſpilorum, vel mali aurei non abſimiles Virginem quandam per guttur inferius egeſſiſſe, refert Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 96. p. 221.* Quinque & viginti calculos, inſtar maximorum piſorum, ex urethra pueri ſex annorum chirurgum exſcidiſſe, teſtatur Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. IV. cap. 34. p. 348. ſeq.* Uſu cujusdam tincturæ exoticæ calculum veſicæ, quantitate piſi majuſculi, a puero quadrienni ad deſperationem redacto expulſum eſſe, docet Sigismundus Graſſius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 212. pag. m. 387.* De calculis piſiformibus per perinæum ſponte excretis, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 33. p. 91. ſeq.*

§. 3.

Nucis avellanæ magnitudine calculum Thorunii in Muſici inſtrumentalis Johannis Hentſchelii, iſchuria defuncti, dextri ureteris pelvi reperit Paulus Segerus, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 23. p. 39. ſeq.* Calculus etiam avellanam nucem æquans, formæ tamen magis rotundæ ex fœminæ ſexaginta annorum naſo a chirurgo extrahebatur, teſte Gabriele Claudero *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 79. p. 176.* Reverendi Domini ab Ohren conjugem, calculum cavum inſtar nucis avellanæ per alvum rejeciſſe, hocque fracto materiam pituitoſam & aquoſam effluxiſſe, recenſet Caſparus Theophilus Bierlingius *Theſaur. theor. pract. Cap. VI. p. 40.* Lapillum inſtar nucis avellanæ ſub fœminæ Grünbergenſis lingua prorupiſſe narrat Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 144. p. 320.* Quinque lapides magnitudine nucis avellanæ, figura Mathematicorum corpora repræſentante, in fœminæ veſicula fellis fuiſſe repertos, teſtatur Thomas Bartholinus *Cent. II. Hiſt. 54. pag. 234.* *Avellanæ*

De calculo avellanæ magnitudine in uretere dextro, vid. Freder. Ruyſch. *Obſ. 94. p. 120.* Tres calculos ejusdem magnitudinis ex nobiliſſimi pueri ſeptennis meatu urinario extractos adducit Martinus Bernhardus a Berniz, *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 141. p. 225.* Lapillum magnitudine nucis juglandis in veſicula bilis reperit Johannes Bilgerus. vid. Gregor. Horſtii *Oper. med. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. 239.* Lapidis nucem juglandem æquantis ſub lingua reperti exemplum refert Petrus Borellus *Hiſtor. med. Cent. II. Obſ. 17. p. 122.* Nucem juglandem maximam adæquans calculus juxta tonſillam repertus legitur in Nicol. Blegny *Zodiac. Med. Gall. An. IV. menſ. Febr. Obſ. 4. p. 30.* In Johannis Heurnii Anno 1601. die 12. Auguſt. aperti, veſica calculos ſeptem, quorum ſinguli fuerunt magnitudine nucis juglandis, ſe reperiſſe ſcribit Petrus Pawius *Obſ. anat. 30. p. m. 44.* Id confirmat etiam Gualterus Charleton *de Lithiaſ. Sect. II. cap. 1. p. 109. ſeq.* inquiens: poſt mortem Heurnii in veſica ejus ſeptem calculi ſunt reperti, & a filio Othone Heurnio, adſervati, forma & magnitudine nucis juglandis majoris & (quod mirum dictu) omnes æqualis magnitudinis & ponderis. Nam ſinguli pendunt drachmas duas, ut ſeptem expleant quatuordecim drachmas? vid. Georg. Franc. de Franckenau *Orat. de Studior. Nox. Satyr. med. p. 582.* Nucis juglandis magnitudine calculos in utroque rene obſervavit Nicolaus Cheſneau *Obſ. medic. Lib. III. cap. 9. Obſ. 1. p. 340. ſq.* Ex Viri ſeptuagenarii veſica poſt mortem calculus nucis pene juglandis magnitudine extractum refert Johannes Helwigius *Obſ. 118. pag. 325.* Noribergæ virgo quædam poſt diuturnos cruciatus calculum magnitudine nucem juglandem ſuperantem per alvum ejecit, annotante Georgio Abrahamo Mercklino *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 50. p. 78.* Ex filioli, qui Anno 1690. a lithotomo ſectus fuerat, perinæo non conſolidato, poſt quadriennium

nium calculus ponderoſus, quantitate juglandis majoris ſummo cum cruciatu erupit, juxta Roſin. Lentil. *Miſcell. med. pract. Part. I. p. 261.* quo loco etiam mendici meminit, e cujus inguine ſiniſtro exulcerato candidiſſimus, glaber, ſiliceus, glandis quernæ magnitudine exſiliebat. Ex pueri Hafnienſis urethra calculum nucis magnitudine exſecuit chirurgus Nicolaus Bojus, vid. *Act. Hafnienſ. Vol. IV. Obſ. 83. p. 193.* In Civis Genevenſis, nomine Jean Lepreux, veſica urinaria, quæ in duas burſas velut diſtincta erat, in utraque cyſta reperti fuerunt ſex lapilli, nucis gallæ omnes magnitudinem æquantes, uti ex Petri Blandini communicatione refert Guilhelmus Fabricius, Hild. *Obſ. Chir. Cent. IV. Obſ. 50. fol. 324.* *Glandis quernæ*

§. 4.

Calculum magnitudine nucis caſtaneæ minoris poſt continuum capitis dolorem e naribus quendam rejeciſſe, refert Jacobus Eckholdus in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Libr. 4. Obſ. 47. fol. m. 240. & ibidem fol. 239.* Anno 1690. ſeptem annorum filiolus a lithotomo ſecabatur, calculusque friabilis, fuſcus, magnitudine caſtaneæ producebatur, juxta Roſin. Lentilii *Miſcell. med. pract. p. 261.* In Mercatoris cujusdam filiæ corde duplo majori, circa valvulas dextri ventriculi calculum inſtar minoris caſtaneæ nucis compreſſioris membranoſæ valvularum ſubſtantiæ adnatum fuiſſe, ad dictum Horſtium ſcribit Bernhardus Stieberus. Calculi caſtaneæ & forma & magnitudine inteſtino colo tenaciter adhærentis ex Zacuto Luſitano meminit Thomas Bartholinus *Cent. III. Hiſt. 75. p. 151.* Ex infantis quatuor annorum veſica operator quidam quinque calculos, quorum unus caſtaneæ magnitudinem habebat, extraxit, quam operationem deſcribit Cornelius Solingen *Tr. van de manuale Operatien der Chirurgie Part. III. cap. 14. p. m. 189.* ubi inter alia ita loquitur: *Caſtaneæ*

 d'Heer

d'Heer Jacob Sasbout ſonburg hael de kleyne ſteent jens met ſijn Vinger nyt de Blaes, 't welck gedaen zijnde, paſſeerde denſelven wegh, ende vond een grooten bouger van een ſteen, ſoo groot als een Caſtanie, maer wat platter &c. vid. etiam hujus Autoris *Edit. Germ. p. 275.* De ſex calculis magnitudine magnæ caſtaneæ ex Comitis Trivultii veſica ſine ullo ejulatu extractis vid. Ludov. Septal. *Animadverſ. Lib. V. p. m. 262.* & Theoph. Bonet. *Labyrinth. med. extricat. Lib. VIII. p. m. 445. ſeq.* Ex tumore ſub lingva viri cujusdam calculum caſtaneæ magnitudine chirurgus extraxit, juxta Henr. a Roonhuyſ. *Obſ. 29. p. 125. ſeq.* Tres & viginti lapides magnos inſtar caſtanearum in veſica urinaria literatiſſimi JCti Caſpari Ziegleri die viridium An. 1690. denati, ſe obſervaſſe ſcribit Georgius Francus de Franckenau *Orat. de Studior. Noxa §. 17. v. Ejusd. Statyr. medic. p. m. 382.* De adoleſcente calculos diverſi coloris, quorum nonnulli caſtaneæ magnitudinem ſuperabant, per membrum virile excernente, vid. Guilh. Fabric. Hild. *Obſ. Chir. Cent. I. Obſ. 69. fol. m. 52.* In condiendo cadavere Regis Hiſpaniæ, Philippi Quarti occupati medici in rene dextro lapidem magnitudine & figura caſtaneam æmulantem invenerunt, teſte Caſparo de Sobremont. *Conſult. II. §. 6. p. 245.* In mulieris nobilis tunica fellis calculus coloris atri & magnitudine caſtaneæ aridæ continebatur, teſte Antonio Benivenio *Obſ. med. cap. 94. pag. 262. ſeq.* Lapidem magnitudine caſtaneæ, mollitie alabaſtri, ponderis unciarum duarum & quinque drachmarum in mulieris cujusdam liene inveniſſe Turneiſerum, refert Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 16. fol. m. 84.* De viro, qui lapidum quantitatem per ſeceſſum excrevit, quorum ſinguli caſtaneam aut glandem æquabant, vid. Joh. Renod. *de Mater. med. Lib. III. cap. 23. p. 326.* Lapidem caſtaneæ forma & magni-

tudine

tudine ex tuberculo circa vaſa jugularia ſe exſcidiſſe ſcribit Marcus Aurelius Severinus *de Abceſſ. Nat. p. m. 259.*

§. 5.

Calculum unum nucis moſchatæ figura & magnitudine ex nobilis Conradi a Steinberch veſica fellea ſe exemiſſe refert Reinerus Solenander *Conſil. med. Sect. V. Conſ. 16. f. 493.* Quatuor calculos figuræ triangularis magnitudinem nucis moſchatæ æquantes annotavit Johannes Helwigius *Obſ. 81. pag. 251.* Calculum magnitudine nucis moſchatæ Jacobi Spœrlin veſiculam bilis continuiſſe, ait Johannes Jacobus Wepfferus *de Apoplex. Hiſt. 13. p. m. 374.* In matronæ cujusdam Franciſcæ Voyſin, veſicula fellea calculi aderant numero quinque, duo majuſculi, mole nucis moſchatæ, reliqui dimidio minores, uti ex Sponio refert Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 59. ſch. p. 242.* In Comitiſſæ cujusdam veſicula bilis tres atri & ſplendentes lapilli, quorum quilibet ſua magnitudine nucem moſchatam referebat, reperti fuerunt, teſte Eberhardo Gockelio *Gallicin. Obſ. 99. p. 611. ſeq.* In defuncti mercatoris cadavere circa ingreſſum ureteris dextri in veſicam calculus nucis moſchatæ majoris magnitudine arctiſſime inhærere deprehenſus fuit. vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. X. Obſ. 100. p. 437.* Ex vulnere in perinæo, poſt lithotomiam pueri ſeptennis, relicto, cum urina etiam bini calculi myriſticam æquantes prodibant, referente Roſino Lentilio *Miſcell. Med. Pract. p. m. 261.* La veſſie du fiel de Monſ. Robert Bacon etoiet remplit ſeulement d'une pierre, qui n'etoit pas plus groſſe qu'une longue noix de Muſcade. vid. *Nouvelles de la Republique des Lettres Auvril 1687. p. 394.* Meminit etiam Fredericus Dekkers *Exercit. pract. Cap. V. p. m. 229.* mulieris cujusdam, in cujus folliculo bilis præter alios lapides, unus nucem moſchatam magnitudine antecellens reperiebatur. Novem

Nucis Moſchatæ.

calcu-

calculos magnitudine nucis moſchatæ coloris viridiuſculi, ponderisque leviſſimi, in civis Goerlicenſis cyſti fellea obſervavit Ehrenfridus Hagendorn *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Hiſt. 40. p. 210.* De calculo nucis moſchatæ minoris magnitudine poſt capitis dolorem per palatum rejecto. vid. Greg. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 240.*

§. 6.

Dactyli. Dari etiam calculos dactyli magnitudine, teſtantur Autores, v. g. in Dania virgo nobilis ex naribus calculos emunxit forma & magnitudine dactylorum, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 33. pag. 47.* In viro quodam conſulari, totali lotii ſuppreſſione, per novem dies perdurante, defuncto, calculus dactyliformis ſat grandis pro cauſa agnoſcebatur. Item in ejusdem uretere dextro, non procul a veſica, pariter calculus dactyliformis conſpiciendum ſe præbuit, teſte Gottofredo Samuele Poliſio *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 104. p. 263. ſeq.* Calculum oblongum, rotundum, aſperum, nuclei dactylorum figura & magnitudine, ſine omni læſione ulteriore, terebra, quali ſphærulæ ſclopetariæ e vulnere trahuntur, balano inſerta, ſibi ex urethra exemit civis Ratisbonenſis, *Obſervatio.* referente Johanne Helwigio *Obſ. 134. p. 366.* Tres calculos oblongos, inſtarque nuclei dactylorum, cum crenula, ex molli argilla quaſi conſiſtentes, ab amico, illorum per ureteres tranſitum, non admodum doloroſum, ſentiente, intra dimidiæ horæ ſpatium excretos pauloque poſt induratos memini. De calculo nuclei dactyli magnitudinem habente & urinam obſtruente. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 211. p. 420.*

§. 7.

Amygdalæ. Amygdalæ magnitudinem æquantes calculos quoque obſervarunt medici, & quidem Ehrenfridus

Hagen-

Hagendorn in chirurgo quodam Gorlicenſi invenit novem calculos in cyſti fellea, totam occupantes capſulam, & in uretere ſiniſtro mox ſub pelvi alium calculum magnitudine amygdalæ dulcis. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 243. p. 344.* Nicolaus van Dyck ad grande ſenium usque de nullo unquam lumborum dolore, nec aliis nephriticis ſignis, eſt conqueſtus: ne quidem cum extremo ſuo morbo menſibus aliquot detentus lectoque affixus indies deficeret. Cum autem Harlemi ſepeliendum corpus aperiretur, caſu renes diſſecti ſunt; in quorum uno lapis majuſculæ nucis juglandis quantitatem habens, repertus, cum duobus magnis & tuberoſis proceſſibus; in altero duo calculi extabant, quorum prior magnitudine & figura pomi Perſici lapidem, alter nucem amygdali, quam dentibus frangere ſolemus, adeo naturaliter referebant, ut ovum ovo vix ſimilius dixiſſes. vid. Joh. Beverovic. *Spicil. de Calcul. p. m. 175.* Ex abſceſſu ſub lingua lapis amygdali ſaccharo incruſtati, magnitudinis ejusdemque fere figuræ prodiit. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An. I. menſ. Jun. Obſ. 7. p. 99.* Cum Mercator quidam Hamburgenſis de linguæ dolore & tumore diu conqueſtus, linguam inter colluendum fortius moveret, calculus proſiliit nucis amygdalæ magnitudine & forma, niſi quod paullo longior eſſet, ex eo paulatim ſubſedit tumor &c. referente Baldaſſare Timæo a Güldenklee, *Caſ. med. Lib. I. Caſ. 35. p. 69.* Anno 1696. oblatus eſt Roſino Lentilio calculus amygdaloides a virgine nobili excretus, foris erat cruſta quaſi alabaſtrina inveſtitus, ceu ovi teſta glabra & pulchra; eo vero loci, ubi cruſta abſceſſerat, in lateralibus partibus, interior calculi facies erat, quovis carbone nigrior & aſpera ſuperficie. Pendebat grana undecim v. Lentil. *Miſcell. med. pract. p. 261. ſeq.* In corde Comitis Becclarenſis infra baſin inter dextrum & ſiniſtrum ventricu-

lum, repertus eſt lapis, qui magnitudine æqualis fuit amygdalo. vid. Henr. Oldenburg. *Act. Anglican. Philoſoph. 1665. Menſ. Jul. p. 65.* De lapide amygdalæ magnitudinis in fellea cyſtide, vid. Petr. Borell. *Obſ. Cent. I. Obſ. 4. p. 8. ſeq.* In genu cujusdam ſartoris abſceſſum aquoſum aperuit Ambroſius Paræus, in eoque calculum reperit album, durum & levem amygdalæ craſſitie, uti refert *Oper. Libr. 24. cap. 19. fol. 569.* Anno 1667. die 31. Januarii Princeps Lubomirsky Vratislaviæ apoplexia mortuus exenteratus eſt. In cujus cadavere omnia legitimo modo conſtituta fuerunt, niſi quod ad veſiculam felleam lapis ſpongioſus in forma & magnitudine amygdali, ſed tamen absque periculo adcreverit. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Caſ. VI. p. 41.* Sic etiam calculus, qui pruni majoris nucleum facile æquabat, a paſtoris ruralis, per quinque dies urinæ ſuppreſſione laborantis, veſica ſua ſponte prodiit, teſte Thoma Bartholino *Cent. III. Hiſt. 33. p. 70.*

§. 8.

Oliva. De calculis olivarum oſſiculis magnitudine reſpondentibus agunt etiam nonnulli Autores, ſiquidem Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 23. p. 40.* Muſici cujusdam Thorunenſis meminit, qui poſt plurimos rejectos denique magno cum conatu lapillum, colymbadum ſeu olivarum ſalitarum, nucleo haud abſimilem, excrevit. Calculum rotundum & aſperum olivæ magnitudine Matrona quædam ſexagenaria ultra annos duos dolore punctorio e regione colli veſicæ laborans tandem maximo cum dolore, parturientium doloribus non multum abſimili, ejecit, juxta Guilh. Fabric. Hildan. *Obſ. Chirurg. Cent. III. Obſ. 68. fol. m. 251.* Sic Mercator quidam Genevenſis tumorem ſibi ſub lingua ſucceſſive enaſci obſervavit, adeo ut tandem linguam non niſi maxima cum difficultate volutare potuerit & verba eloqui, ſic etiam ut non niſi ranarum ad inſtar

coaxare,

coaxare, dum animi ſenſa exprimere vellet, cogeretur; hinc ob ſuffocationis metum, inciſionem ſibi fieri paſſus eſt, qua calculus olivæ majoris magnitudine fuit exciſus & extractus, annotante Emanuele Kœnig *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 116. p. 210.* Anno 1698. in Eminentiſſimi Cardinalis Franzoni, anno ætatis octogeſimo ſexto defuncti, ſiniſtri ureteris extremitate prope veſicam duo calculi, magnitudine & pondere olivarum oſſiculis reſpondentes, ſed inæquales ac fere triangulares comparuerunt, annotante Johanne Baptiſta Contulo. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. Menſ. Septembr. p. 397.* Prope cyſtim fellis in Auguſtini, Ducis ex Barbadica gente, epate Venetiis inventus eſt lapis magnitudine grandioris olivæ, coloris ſerpentini in nigredinem tendentis, ſecundum Lud. Cæl. Rhodigin. *Lect. antiqv. Lib. I. Cap. 17. fol. m. 140.* Olivæ majoris magnitudine nec colore & figura ipſi abſimilem calculum annotavit Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 283. p. 498. ſq.* In Chirurgi cujusdam Amſtelodamenſis uretere ſiniſtro calculum magnitudine & forma olivæ exiguæ obſervavit Fredericus Ruyſchius *Obſerv. 15. pag. 20. ſeq.* Calculum magnitudine nucleum olivæ æquantem, ex umbilico prodeuntem obſervavit Franciſc. Tolet *de Lithotom. C. IV. p. m. 24. Edit. Germ. IV.* Calculum magnitudine nucleum olivæ ſuperantem, e lingua prodeuntem ſervavit Georgius Dethardingius. vid. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. I. & II. App. p. 197.* Globulos oblongos, olivæ fere magnitudinis, coloris ſubviridis per alvum excretos annotavit Thom. Mermannus *Conſult. med. Lib. IV. Conſult. 10. fol. 259.* Dactylorum forma & magnitudine calculos emunxit Virgo quædam Danica, teſte Thom. Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſtor. 33. p. m. 47.*

§. 9.

Ad globi ſclopetarii magnitudinem quandoque calculi incrementum ſumunt; ſiquidem atteſtante Johanne Jacobo Dobrzensky de Nigropote, Anno 1662. in Baro- *Globi.*

niſſæ Przeborzouskianæ veſicula fellis, loco humoris bilioſi flavis arenulis onuſta, calculi ſimul duo rotundi, flavi, ſcabroſi, glandem ſclopeti fere æquantes ſunt deprehenſi. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 129. p. 288.* Talis calculus globoſus etiam in Comitis, Thomæ Arundelii veſica repertus delineatur a Georgio Hier. Velſchio *Obſ. med. Epiſagm. 65. p. 40.* Ejusmodi magnitudinis etiam fuerunt calculi magnitudine nucis moſchatæ, paulo ante a nobis adducti; quibus adhuc annectendus eſt calculus rotundus, magni ſclopeti globulum vel nucem moſchatam ſuperans, quem ex vicinæ meæ, piſtoris cujusdam viduæ, veſica, poſt maximos ultra octiduum durantes, cruciatus, cum aliquali ſphincteris læſione excretum memini. Sex prægrandes calculos globuloſos ſeu rotundos, uncias ſeptem ponderantes ex Colonelli cujusdam veſica extraxit, eorumque icones depinxit Georgius Chriſtophorus Petri ab Hartenfels *Ephemer. Acad. N. C. An. 1. Obſ. 34. p. 102.* Lapides duos magnitudine globuli majoris e ſapone confecti, (Savonette de Bologne) & alium ab his diverſum, forcipe extractorio e veſica extraxit quidam chirurgus nomine Binel, juxta Nicol. Blegny *Zodiac. An. 11. Jan. Obſ. 3. p. 5.*

Obſervatio

§. 10.

Lapidis Perſici.

De calculo inſtar lapidis perſici majoris ſequentem Obſervationem refert Johannes Mauricius Hoffmannus *Disquiſit. corp. hum. anat. patholog. Specim. X. §. 16. p. 143.* Ante viginti & quod excurrit annos ſereniſſimi Principis Zeizenſis, Mauritii, uxor ex renali calculo magnos ſubinde dolores perpeſſa, peperit Principiſſam, quæ mox a partu atrocia tormina experta fuit, præſertim in mictione; tertia ſeptimana moriebatur; aperto corpore in veſica inventus fuit calculus inſtar lapidis perſici majoris. Talem calculum perſici lapidem magnitudine re-

ferentem

Kk 2

ferentem paulo ſupra ex Joh. Beverov. *Spicileg. de Calcul.* adduximus. Calculum rotundum, magnitudine mali perſici, duriſſimum inſtar ſilicis gravem, oblongis ubique verrucis ſeu potius ſpinis obtuſioribus horridum e viri ſex & viginti annorum veſica extractum vidit Juſtus Schraderus. vid. *Obſerv. med. anat. Decad. IV. Obſerv. 7. p. 230. ſeq.*

§. 11.

Lapidem malo punico ſimilem in inteſtinis humanis *Pomi.* Johannem Riolanum vidiſſe, refert Philippus Jacobus Sachſius *Epiſt. de Mirand. Lapid. Natur. p. m. 101.* De calculo pomi majoris magnitudine per anum extracto hanc Obſervationem ad Gregorium Horſtium perſcripſit Johannes Bilgerus: Vir quidam quadraginta aut circiter annorum natus, corpore robuſtus ingenti ſiti ad aliquod tempus ita preſſus fuit, ut ſingulis ferrne diebus duodecim menſuras aquæ & quidem ſine omni noxa evacuaret. Cum autem dictus vir die quodam pondus grave in corpore huc atque illuc, globi inſtar grandis, movere ſeſe ſentiret, ratus excrementa forſan dura eſſe, quibus exitus non pateret, protinus ad latrinam perrexit, in qua cum ſederet & globum ad inteſtinum rectum deſcendere animadverteret, quem cum præ nimia magnitudine excernere non poſſet, ut ſibi ſuppetias quiſpiam ferret, grandi clamore totam replevit domum, dicendo ſibi globum quendam in ani orificio hærere, cui exitus eſſet denegatus. Accitus igitur ſtatim lithotomus, & explorante digito in anum immiſſo, calculum magnitudine pomi majoris prægrandem eſſe cognovit, qui haud cunctanter arrepto ſuo inſtrumento calculum prædictæ magnitudinis, cui quaſi cacodæmonis facies erat inſculpta, maximo cum ægri cruciatu exemit. vid. Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 237.*

§. 12.

Ovi Columbini. Quandoque calculi ovorum diverſorum magnitudinem attingunt vel ſuperant; v. g. in Friderici Electoris Saxoniæ rene dextro poſt mortem repertus eſt tophus ovum columbinum mole ſuperans, vid. Joh. Kentmann. *de Calcul. Obſ. 7. p. 9. ſeq.* In veſicæ urinariæ collo pueri ſeptennis calculus hæſit ovi columbini magnitudine, pondere unciæ ſemis & granorum decem, gryſeus, durus & ſcaber, atteſtante Jacobo Auguſtino Hünerwolffio *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 18. p. 63. ſq.* Calculum ovo columbino majorem juveni quindecim annos nato majori apparatu exſectum, ex communicatione Chirurgi Amſtelodamenſis, Petri Hadriani Verduini, refert Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 253. p. 591.* In ureteris medio calculum ovi columbini molem pene æquantem invenit Franciſcus Sylvius *Prax. med. Lib. I. cap. 54. f. m. 246.* In Baronis cujusdam uxore calculum, ovi columbini magnitudine jecoris lobo adnatum obſervavit Henricus ab Heer *Obſ. 1. p. m. 15.* Lapidem, ovi columbini formam referentem, per alvum excrevit Matrona Illuſtriſſima, uti recenſet Johannes Henr. Brechtfeldus *Act. Hafn. Vol. 1. Obſ. 100. p. 203.* Sic Mariottus Palla, pharmacopola, lapidem inſtar columbini ovi alvo projecit, teſte Antonio Benivenio *de Abdit. Morbor. Cauſ. Cap. 19. p. m. 167.* In urethra fœminæ calculum ovo columbino majorem reperit Auguſtinus Hermannus. vid. *M. N. C. Dec. 1. An. 2. Obſ. 71. p. 270.* Calculum marmoreum ſtriatum, ovi columbini ſpeciem præ ſe ferentem in gibba dextra pulmonis adoleſcentis, a fixo pectoris dolore conſumti, obſervavit Johannes Baptiſta Contulus, vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. Menſ. Septembr. p. 397.* In veſica fellis duos calculos alterum magnitudine ovi columbini, alterum vero paulo minorem reperit Georgius Baglivus, cujus vid. *Tract. de*

Fibra

Fibra motric. pag. m. 415. In cyſtide fellea lapidem ovi columbini magnitudine obſervavit Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gall. An. 1. menſ. April. ſ. 78.* Ex pueruli quinquennis veſica lapis durus, ovi columbini magnitudinem ſuperans, exſectus refertur a Georgio Hier. Velſchio *Curat. propr. Decad. VII. Curat. 9. p. 441. ſeq.* item ex civis Mantuani veſica, juxta Joſeph. Lanzon. *Ephem. Acad. N. C. Cent. I. Obſ. 66. p. 136.* In Alberti Savoranolæ veſica decem lapides magnitudine ovi columbæ fuiſſe repertos, refert Georgius Tobias Dürrius *M. N. C. Dec. III. An. 5. Obſ. 86. p. 130.* vid. etiam Lud. Duret. *Schol. in Jac. Holler. de Morb. intern. cap. 45. p. m. 140. b.* Puerulus quatuor annos natus jam per aliquod tempus excruciatus fuerat calculo veſicæ, quamobrem parentes illius, aſſiduarum querelarum pertæſi, curarunt, ut calculus ſecundum apparatum minorem tolleretur, quod optime ſucceſſit, nam calculus glaber, ovi columbini molem adæquans ac figuram repræſentans integer extrahebatur, teſte Johanne Muys *Prax. med. chir. Decad. XI. p. 377.* De lapide ovi columbini majoris magnitudine, angulari forma, a vidua per alvum excreto, vid. *M. N. C. Dec. 1. An. 4. & 5. Obſ. 125. p. 136. p. 136.* vid. etiam Hier. Montui *Anaſcev. Tom. IV. p. 409.* Tophum columbæ ovo paulo majorem mulier excrevit. vid. Joh. Wier. *Oper. Lib. IV. c. 16. pag. m. 317.*

§. 13.

Ovi anatis magnitudinem habens calculus e civis *Anatini.* cujusdam Jaurovienſis, ſeptuaginta trium annorum, veſica poſt mortem exſcindebatur, teſte Samuele Ledelio *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 211. p. 421.* Ovi gallinacei magni- *Gallinacei.* tudine globulos inteſtino colo adhærentes obſervavit Bernhardus Stieberus in Greg. Horſt. *Oper. Tom. II. Obſ. 47. fol. m. 236.* Lapidis ad ovi gallinacei magnitudinem a Marci Taurelli ſcriba in colico dolore excreti, meminit Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. c. 30. p. 525.* Sub

renis

renis ſiniſtri membrana calculum ovi gallinacei magnitudine vidiſſe Guernerum Rolfincium, refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mort. L. III. Tit. 3. §. 65. p. 1103.* Nobili viduæ absque ſectione calculum ovi gallinæ inſtar citra periculum extraxit Hieronymus Stromair, vid. Diomed. Cornar. *Obſ. med. cap. 16. p. m. 31. ſeq.* Ejusdem magnitudinis lapides ex veſica ejectos ſe vidiſſe refert Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. 22. cap. 35. fol. 412.* In veſica fœminæ calculum magnitudine ovi gallinacei, rotundum reperit Auguſtinus Hermannus vid. *M. N. C. An. 2. Obſ. 71. p. 270.* Anno 1671. faber quidam lignarius tantum calculum, quantum eſt ovum gallinaceum minus, gravi tuſſi ejecit, teſte Cornelio Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. prior. Obſ. 28. p. m. 118. ſeq.* In puellæ ſeptem annorum veſica prope cervicem latitavit calculus inſtar ſpongiæ poroſus, magnitudin - ovis gallinæ reſpondens, ſed pondere tantum dimidiam unciam æquans. vid. *Hiſtor. Morbor. Vratislav. An. 1702. p. m. 183.* Fœmina quædam Hafnienſis diu acerbiſſimi calculi doloribus exhauſta, tandem lapidem duriſſimum excrevit, figura nuclei dactyli, ſed ovi gallinacei magnitudine, juxta Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 71. p. m. 107.* De calculo inſtar ovi gallinacei in infantis duorum annorum veſica reperto, vid. Cornel. Soling. *van de Manual Operatien Part. II. cap. 14. p. m. 189. Edit. German. p. 273.* Ex Matronæ nobilis veſica calculum ovi gallinacei magnitudinis, citra vim, hæmorrhagiam doloremque magnum ſe extraxiſſe, refert Guilhelmus Fabricius Hildanus *Obſ. Chir. Cent. I. Obſ. 68. fol. m. 52.* quem ibidem etiam depingit. In pueri decem annorum, qui a menſe ſuæ ætatis calculo laboraverat, veſica calculum ſesquiunciam pendentem, ovi figura, reperit Stephanus Blancardus. v. ejusd. *Prax. med. cap. 9. Oper. med. Tom. II. p. m. 159.* Poſt dyſuriam calculum ovi magnitudinem habentem unciasque duas pendentem in nobilis

cujus-

cujusdam fœminæ veſica obſervavit Godofredus Thileſius. v. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 106. p. 244.* Poſt dyſuriam quoque ejusdem magnitudinis calculum in viro ſexagenario exſectum annotavit Gerhardus Blaſius *Obſ. med. Part. VI. Obſ. 21. p. m. 85.* Tres calculos ex veſica extractos, ſingulos ovi gallinacei craſſitie, omnes colore albos & ſimul duodecim uncias pendentes delineat Ambroſius Paræus *Lib. 24. cap. 19. fol. 568.* Eccleſiaſtes quidam Ulmenſis in veſica geminos calculos aſperos habuit, quorum grandior ovi gallinacei magnitudinem & formam, uncias tres ſemis pendens, minor drachmas ſex repræſentavit. v. Auguſtin. Thoner. *Obſ. med. Lib. III. Obſ. 6. p. 183.* Ab anu quadam lapidem fere ovi gallinacei magnitudine e veſica ſponte excretum ſe vidiſſe dicit Daniel Sennertus *Prax. Lib. III. Art. 8. Sect. 1. cap. 2. p. m. 850.* Calculum ſuper tres uncias tres drachmas pendentem, figura ovum gallinæ æquantem, ac magnitudine aliquantum ſuperantem exſectum vidit Vitus Riedlinus *Linear. med. An. 1698. menſ. Oct. Obſ. 4. p. 820.* De tribus calculis, duobus oculi, tertio ovi magnitudine in veſica repertis, vid. Thom. Bartholin. *Cent. V. Hiſt. 57. p. 125.* Mulieri quadragenariæ lapidem magnitudine ovum gallinaceum æquantem eduxit Pelerinus. vid. Nic. Blegn. *Zodiac. Med. Gall. An. IV. menſ. Febr. Obſ. 7. p. m. 29.* Nobili cuidam calculum ovi gallinacei magnitudine exſectum ſe vidiſſe ad Arnoldum Senguerdium ſcribit Thomas Bartholinus *Epiſt. med. Cent. IV. Epiſt. 45. p. 259.* Ab excellentiſſimo Frizimelica colico dolori obnoxio calculum ad ovi magnitudinem excretum vidiſſe teſtatur Hieronymus Capivaccius *Pract. medic. Lib. III. Cap. 13. p. m. 601.* Reperit etiam Benedictus Sylvaticus in Veneti cujusdam veſica calculum magnitudinis ovi gallinacei, vid. Joh. Beverovic. *Exercitat. de Calcul. pag. 4.* De calculo ovi gallinæ Indicæ magnitudine.

vid. Johann. Dan. Geyer. *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 231. p. 456.*

§. 14.

Anſerini. Ovi anſerini magnitudine & forma calculum in colo cujusdam hominis Romæ diſſecti reperiſſe Nicolaum Larcheum dicit Marcus Aurelius Severinus *de Abſceſſ. Cap. 28. p. 260. ſeq.* In Electoris Saxoniæ, Friderici Sapientis, veſica, calculum, ovum anſerinum æquantem, repertum fuiſſe, refert Philippus Salmuth *Cent. II. Obſ. 85. pag. 101.* (quem tamen alii magnitudinem ovi columbini habuiſſe ſcribunt. *vid. ſupra.*) In Medici cujusdam veſica ovi anſeris quaſi magnitudine inventus eſt lapis, nunquam tamen facta urinæ ſuppreſſione. vid. Nicol. Cheſneau *Obſ. med. Lib. III. c. 10. Obſ. 2. p. m. 354.* De calculo inſtar ovi anſerini uncias tres & drachmas quinque æquante, vid. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 171. p. 304.* Solidæ doctrinæ & experientiæ in re medica Vir, Carolus Oggerus, nunquam de calculo veſicæ conqueſtus, in veſica habuit calculum ovo anſeris majorem, omni ſilice duriorem, juxta Henr. ab Heer *Obſ. 26. p. m. 225.* Puellam Vinarienſem lapidem album, duriſſimum, magnitudinis ovi anſerini minxiſſe, vel potius ingentibus conatibus eduxiſſe, refert Petrus Borellus *Cent. II. Obſ. 22. p. 128.* In Comitiſſæ de Nadaſti, in procinctu partus derepente extinctæ aperto ventre repertus eſt lapis, magnitudinem ovi anſerini referens, ponderis tamen leviſſimi, annotante Paulo de Sorbait *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 106. p. 179.* De muliere quadam in partu difficili tres lapides, primum ovi anſerini, alterum gallinacei magnitudine, & tertium, quanta eſt nux, per alvum emittente, tandem fœtum enitente, vid. Simon Majol. *Dier. canicular. Colloqv. III. fol. m. 42.* Cum Medicus Burgundus N. Tabermon, ex magnis cruciatibus deceſſiſſet atque diſſectus eſſet, in veſica ejus lapis inſtar ovi anſerini magni fuit in-

ventus,

ventus, uti ex Joh. Jac. Wecker. Obſerv. narrat Theophil. Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 23. f. m. 1178.*

§. 15.

De calculo ovi pavonii magnitudine ſequentem Ob- *Pavonii* ſervationem recenſet Baldaſſar Timæus a Güldenklee *Oper. Lib. III. Caſ. 39. pag. 175. ſeqq.* Filius Domini Richardi Froreichem, decem circiter annorum puer, frequenti mictionis deſiderio afficiebatur, urinam guttatim emittebat & cum dolore, tenuem, claram, & ſubalbidam, quandoque ſubcruentam, potiſſimum arenoſam; aderat & ponderis ſenſus in veſica & deſidendi cupiditas; ſub finem mictionis acerrime dolebat, adeo ut pudenda vehementer vellicaret, de loco in locum diſcurreret, ſæpe gyros ageret tanta velocitate, ut ſuborta per circumrotationes vertigine ſemianimis interdum concideret. Huic veſicæ calculo, cum varia medicamenta fruſtra adhiberentur, ipſique parentes lapidis exciſionem, tanquam periculoſam formidarent, æger tandem fatis concedebat, in cujus demortui corpuſculo aperto inveniebatur calculus in veſica raræ magnitudinis ovi pavonii quantitatem fere adæquans, aſper & undique acuminatus, adeo durus, ut cultello vel lima vix radi poſſet.

§. 16.

Imo ovi ſtruthii magnitudine calculos quandoque in *Struthii.* hominum veſica reperiri teſtantur exempla. Refert enim Thomas Bartholinus *Cent. V. Hiſtor. 57. p. m. 126.* Jacobum Franciſcum Kotzebuc, Medicum eruditiſſimum, ſuumque amicum, cui multum deberet, calculum ovi ſtruthii magnitudine ex veſica militis ſervi exemiſſe. Et Johannes Jacobus Leibnitzius *in Bibliothec. Norimberg. Memorabil. p. m. 161.* Calculum minoris ovi ſtruthii magnitudine Holmiæ e Georgii Majeri veſica extractum delineat.

§. 17.

Calculi magni. Plures adhuc alios ingentes atque monſtroſos calculos varii Autores hinc inde deſcribunt atque delineant, quorum alii ſunt leviores alii graviores. Duos enim lapides ingentis magnitudinis ex veſica fellis Comitis cujusdam ſeptuagenarii exſciderat Johannes Fabricius; horum unus erat oblongus, alter fere rotundus, pro magnitudine tamen non adeo ponderoſi erant. Major enim drachmas quatuordecim, minor vero drachmas quatuor & ſemis ſolummodo pendebat, quandoquidem ſpongioſi erant, & per laminas concreti. vid. Guilhelm. Fabric. Hild. *Obſ. Chir. Cent. IV. Obſ. 44. fol. m. 320. ſeq.* ubi eosdem delineavit. Et *Obſ. 50. & 51. fol. 324. ſeq.* Idem Autor duos alios calculos ingentes & monſtroſos depingit. Calculum fere minimi digiti magnitudine & craſſitie cum urina excreviſſe vetulam ancillam, refert Bernhardus Verzaſcha *Obſ. med. 9. p. 23.* In pueri novennis venis emulgentibus repertum calculum ingentem depingit Thomas Bartholinus *Cent. III. Hiſtor. 34. p. 72 ſeq.* In ureteris orificio calculum pollicis magnitudine & craſſitie obſervatum legimus, apud eundem *Cent. II. Hiſt. 37. p. 200.* Renem ſiniſtrum fœminæ cujusdam aſthmaticæ calculo prodigioſo, magnitudinem & formam ingentis radicis zingiberis apprime referente obſeſſum obſervavit atque delineavit Fredericus Ruyſchius *Obſerv. Chir. anat. Cent. Obſ. 56. p. m. 73.* Et *Obſ. 57. p. 74.* alium calculum in puelli triennis rene ſiniſtro pro ratione ætatis ſatis ingentem & inſolitæ magnitudinis communicat. Calculus magnitudine digiti pollicis incurvatus, & partim in pelvi, partim in ureteris principio exiſtens in Matrona nobili fuit repertus, vid. Georg. Bagliv. *de Fibr. motric. p. m. 192.* De calculo pollicem longo e pueri Scanici quadrimi ſcroto per fiſtulam excreto, vid. Thom. Bartholin. *l. a. Cent. IV. Hiſtor. 8. p. 227. ſeq.* Tres quoque lapides,

des,

des, quorum quisque craſſitiem & longitudinem pollicis continebat, & ſinguli cyſtide obvoluti erant propria, ex abſceſſu in ſcroto chirurgus juratus, nomine Pelerinus eduxit. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An. IV. Menſ. Febr. Obſ. 4. p. 30.* Lapidem ſtupendæ magnitudinis ex Patre quodam Societatis Jeſu, Schœnhovio exſectum deſcribit atque depingit Martinus Bernhardus a Berniz *M.N.C. Dec. I. An. 2. Obſ. 140. p. 224.* Et in Obſervatione ſequenti plures adhuc calculos ingentes adducit. Carolus Lana in pueri decem annorum venis emulgentibus calculum ad pugni magnitudinem reperit, v. Henr. a Moinich. *Obſ. 20. p. m. 73.* Lapidem magnitudine pugnum fere æquantem, oblongum, annotavit Chriſtianus Erneſtus Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 197. p. 394.* Calculum prægrandem e veſica fœminæ quinquaginta ſex annorum per dilatationem ſphincteris eductum depingit Guſtavus Caſimir Garliep *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 78. p. 147.* De calculo humano, occaſione turundæ poſt læſionem veſicæ in eam illapſæ, pugnum humanum magnitudine æquante, vid. Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. III. cap. 9. p. 204. ſeq.* Piſtori cuidam dulciario calculus pugni craſſitiem habens novemque uncias pendens, feliciſſime incolumi ægro fuit revulſus, referente Ambroſio Paræo, *Oper. Chir. Lib. 24. cap. 19. fol. 567. ſeq.* ubi hujus calculi figuram fere cordiformem annectit. Ibidem etiam dictus Autor *fol. 569.* ægræ cujusdam, quæ calculum pilæ palmariæ craſſitie excreverat, mentionem facit. Chirurgus Edmundiburgenſis, Goodrick, aſſeruit, ſe ex mortuo quodam exemiſſe calculum magnitudine ferme æquantem caput infantis recens nati, nec multum ei diſſimilem, vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglican. 1667. menſ. Jun. p. 388.* In Bibliotheca Oxonienſi calculum ſibi humanum magnitudine capitis annui pueri oſtenſum fuiſſe ſcribit Olaus Borrichius.

Inſtar capitis infantis.

vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent. IV. Epiſt. 92. p. 528.*

§. 18.

Lapilli. Pondus Sæpiſſime etiam calculorum in variis corporis partibus repertorum pondus examinari atque ab autoribus exprimi ſolet. Cum autem magni atque ponderoſi calculi in quibusdam partibus v. g. in inteſtinis, renibus & veſica quandoque fere nullum, e contra vero parvi lapides in aliis partibus ſenſibilibus majorem vel ſummum dolorem excitant, hoc loco etiam nonnulla, aliquot tantum grana pendentium calculorum gravioribus præmittere exempla volumus. A calculo enim ſeu lapillo *Sex granorum,* glabro, oblongo, dactyliformi, ſex tantum grana ponderante, in puero trienni a prima infantia motibus convulſivis artuum ſæpius infeſtato, ſuppreſſionem urinæ penisque circa radicem perforationem, lapidisque per eundem locum expulſionem obſervavit Johannes Burgius *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 174. p. 340. ſeq.* A calculo *Octo,* octo grana pendente dolores acerbiores inter ambulandum & inflammationem cum fiſtula ani, in cive quodam Vratislavienſi obſervavit Gottofredus Schulzius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 185. p. 430.* In Weſtphali adoleſcentis, quatuordecim annorum, ſemper ſomnolenti, ſemperque capite obtuſo, cerebri ventriculo dextro calculum grana tredecim pendentem deprehendit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 35. p. 76. ſeq.* Idem Autor etiam *Obſ. 78. p. 152. ſeq.* in puellæ undecim annorum, (quæ adhuc viva de anguſtia & anxietate circa regionem cordis querebatur) corde lapillum ponderis granorum quatuordecim reperiſſe dicit: Calculum, figura corculum referentem, & magnitudine avellanam, pondere autem undecim grana non excedentem in ureteris pelvi annotavit Georgius Segerus. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 23. p. 42. &c.*

Sequen-

Sequentem Obſervationem de enormi calculorum magnitudine & quantitate refert Antonius Valliſnerius *Ephem. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 74. p. 167.* Monachus quidam Caſſinenſis, Clemens Parilenus temperamenti bilioſi, habitus gracilis, & corpore parvus, tota hyeme tali ventris ſtypticitate laboravit, ut quandoque ad duodecim, quindecim, & interdum etiam ad viginti dies fæces non exoneraret, cui tamen adventante vere alvus obediens reddita eſt. Dum in gratiam ſanitatis ſe rediiſſe exiſtimabat, urinæ difficultas apparuit, qua, prodeunte calculo, liber evaſit, ſed qualibet hebdomada dolor incurſabat gravior, majoris molis indies exeunte calculo. Eo tandem devenit, ut quarta qualibet die, duorum menſium ſpatio, acerbioribus ſemper attritus doloribus, calculum indies mole majorem ejiceret, quorum ultimus grana octuaginta ponderabat.

§. 19.

A granis ad drachmas & uncias progredimur, adducendo calculum album, rugoſum & admodum durum, ex tumore circa uxoris cujusdam maxillam dextram inferiorem de nocte ſuppurato prodeuntem & quatuor circiter ad quinque drachmas pendentem, qualem Stephanus Blancardus *Collectan. med. phyſic. Cent. V. Part. 2. Obſ. 47. p. 79.* annotavit. De calculo quinque drachmarum *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 227. p. 415.* Calculi ſatis magni aſperi & unciam ſemis ponderantis a fœmina quinquaginta annorum, ſine læſionis in meatu urinario ſenſu excreti, figuram depictam communicat Johannes Andreas Glozius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 124. p. 205. ſeq.* Calculum ponderis ſemiuncialis e veſica exſectum adducit Johannes Helwigius *Obſ. 119. p. 326.* Calculum ponderis unciæ ſemis, inſtar ſilicis & nucis moſchatæ ex vicinæ meæ veſica poſt incredibiles cruciatus atque per aliquot dies durantem

Aliquot Drachmarum.

℥ß

urinæ

urinæ ſuppreſſionem, cum ſpincteris veſicæ læſione excretum novi. De calculis Sperlingianis, quorum alius drachmam, alius drachmas tres, & alius drachmas quinque pendebat, totamque renis dextri capacitatem occupabant, vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 22. fol. 1151.* ubi plura reperiuntur exempla. Virgo quædam Delfftenſis poſt maximos nephriſeos dolores, horridiſſimosve calculi cruciatus, tandem per urinam ejecit prima die calculos duos, primum ʒv. alterum ℥ß & ʒß. poſteriori die quatuor alios ejecit, primum ʒvij alterum ʒß. tertium ʒiß quartum ʒß gr. xij. vid. Dan. Menon. Matthiæ *Obſ. 13. p. 94.* Sex drachmas ponderans calculus ruſticæ cujusdam urethram, cum maxima ſangvinis effuſione ruptum, perrupit, teſte Caſpare Theophilo Bierlingio *Adverſar. Caſ. 98. p. 249.* E pueri undecim annorum veſica calculum drachmas ſeptem pendentem exſcidit lithotomus præſente Vito Riedlino vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 243. p. 576. ſeq.*

§. 20.

℥i Calculum unciæ unius ex puero Gallo duodecim annorum exſectum vid. in Joh. Dolæi *Epiſtol. III. ad Waldſchm. p. m. 221.* In Principis Naſſovici Hadamarenſis folliculo fellis repertus fuit calculus unciæ unius ponderis, teſte eodem Dolæo. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 139. p. 311.* De calculis ab uncia ſemis ad unciam unam in trachæa repertis, vid. Steph. Blancard. *Anatom. pract. Obſ. 23. p. m. 80.* In filii coqui Giſenſis veſica calculus unciæ unius urethram obſtruens inventus eſt, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Prax. Medicin. infallib. p. m. 366.* Barbitonſoris, natione Galli, uxor calculum caſtaneæ grandioris & unciæ unius pondere, citra ſectionem excluſit, juxta Obſervationem Juſti Frid. Dillenii *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 242. p. 425.* Calculus unciæ unius & drachmæ dimidiæ pondere ex fœminæ

veſica

veſica a lithotomo exemptus legitur in Viti Riedlini, Parentis *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 5. p. 5. ſeq.* In Electoris Colonienſis, Gebhardi, rene dextro calculum pondere novem drachmarum invenit Johannes Rudolphus Saltzmannus *Obſ. anat. p. 9.* Calculos unciales friabiles in veſicula fellea annotavit Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 227. p. 415.* Poſt acidularum uſum per anni quadrantem continuatum calculus prægrandis, unciam unam cum duabus drachmis pendens a fœmina excernebatur, uti refert Johannes Victor Jägerſchmied *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 101. p. 193.* Calculum unciam excedentem in ſcroto genitum vid. Gvilh. Fabric. Hild. *Obſ. Chirurg. Cent. VI. Obſ. 57. fol. m. 572.* Calculum ovi columbini magnitudine, pondere fere unciæ unius, ex viri nobilis abſceſſu umbilici prodeuntem obſervavit Franciſcus Tolet *de Lithotom. Cap. IV. p. m. 24.* De calculo unciæ unius in fœminæ quinquagenariæ rene ſiniſtro iacente vid. Steph. Blancard. *Anat. pract. Obſ. 79. p. 216.* Ibidem etiam *Obſ. 43. p. 137.* mentionem facit calculi rotundi in adoleſcentis veſica reperti & ſesquiunciam pendentis, quam obſervationem etiam *Prax. med. Cap. 9. Oper. Tom. II. p. m. 165.* recenſet. In ſiniſtro rene reperti calculi ponderis unciæ unius ſemis exemplum refert Teophilus Budæus *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 172. p. 290.* Calculum exacte rotundum, aſt nimium aſperum ſesquiunciam ponderantem in adoleſcente novendecim annorum annotavit Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 16. p. 65.* Tres calculos per inciſionem perinæi ex veſica mercatoris Auguſtani lithotomus extraxit, quorum unus fuit ponderis ℥iß ſecundus ℥j ʒiij. & tertius ℥j ʒij. teſte Philippo Hœchſtettero *Obſ. med. Dec. VI. Caſ. 2. p. 681.* In veſica juvenis lapidem aſperum ſesquiunciam cum drachma pendentem, repertum fuiſſe, refert Simon. Schultzius *M. N. C. Dec. I. An. 2.*

Obſ. 81. p. 156. Ex renibus illuſtriſſimæ matronæ calculos binos raræ magnitudinis (quorum alter duos digitos transverſos latus & craſſus erat, alter pollicem magnitudine & craſſitie æquabat, pondere autem bini unciam unam ponderis civilis non excedebant,) extraxit Carolus Raygerus, vid. *ibid. An. 3. Obſ. 185. p. 803.* Lapidem colore album, pondere unciam unam & tres drachmas cum dimidia æquantem, per foramen ſub ſcroto factum, prorumpentem, vidit Johannes Laurentius Bauſchius *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 5. p. 13.* In Notarii cujusdam Cæſarei demortui veſica inventus fuit calculus ℥j ʒvj. pendens, & in cyſti fellea pondere trium drachmarum vid. *ibid. An. 3. Obſ. 157. p. 297.* Calculus ℥iſs ʒj in muliere ſexaginta annorum repertus legitur in Chr. Warliz *Muſ. curioſ. A. b.* Calculum ℥iſs & ʒiij ponderis civilis maximo niſu per anum excluſit ſartor quidam ſeptuaginta trium annorum, teſte Petro Rommelio *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 184. p. 476.* In Horatii Albani, fratris germani Pontificis Clementis XI. defuncti cadavere ſiniſter ren in pelvi uno potiſſimum lapide obſitus erat pondere ſesquiunciæ, qui falcatæ figuræ cum eſſet, cuſpides ſuas adigebat in glandularem pelvis membranam, &c. annotante Johanne Maria Lanciſio *Epiſt. ad Phil. de Turre Epiſcopum Adrienſem* vid. *Ephem. Acad. N. C. Cent. III. & IV. App. p. 9.* In præconis cuiusdam verbi divini rene dextro a Johanne Auguſtino Hünerwolffio calculus ſive ſilex notabilis, craſſitie pollicis, orificio ureteris veluti clavus maior capitatus, unciam unam ſemis, cum drachma una & ſcrupulo ſemis pendens repertus fuit ita infixus, ut nihil ſeri urinarii tranſire potuerit. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 88. p. 150. ſq.* De lapide drachmarum quatuordecim vel ℥j ʒvj in veſicula bilis reperto vid. Phil. Jacob. Sachſ. *Schol. Obſ. 44. An. 1. M. N. C. p. 135.* In Alexandri Marchetti, Matheſeos Pro-

Profeſſoris in univerſitate Piſana, celeberrimi, veſica calculum ſesquiunciæ pondere, inſtar ovi gallinacei, ſcabroſum, pungentem & rubrum, deprehendit Laurentius Civininus vid. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Append. p. 79.* De calculo unciam unam & ſemis pendente, ex puero quindecim annorum extracto, vid. *Act. Berolinenſ. Vol. II. N. VI. p. 138. ſeq.* ſimilem etiam calculum in pueri novem annorum, calculo defuncti, uretere dextro prope veſicam hæſiſſe, vid. *Vol. IX. p. 59.* Absque laceratione ſpincteris veſicæ vinitoris cujusdam in pago, Spaar dicto, nomine Martini Schumanni uxor, poſtquam per tres annos, fere absque intermiſſione, maximos dolores atque tenſiones circa veſicam cum crebrioribus vomitibus paſſa fuerat, calculum pyriformem drachmas undecim cum dimidia ſive ℥j ʒiiiß pendentem die 5. Februarii Anno 1710. pariebat. Annumerare his etiam liceat quatuor calculos, ad deſiderium & mandatum ipſius ægrotantis, ſcilicet Johannis Meiſneri, præfecti tunc temporis præturæ Hohnſteinenſis, viri quadraginta annorum, poſt obitum ex ipſius renibus exſectos, quorum minimus ʒvj ſecundus ℥iß tertius ℥ij & quartus, ſeu maximus ℥iiß ſicque conjunctim, ſeu omnes ſimul uncias ſex & dimidiam pendebant, albiſſimi atque ſilicis duritiem ſuperantes, adeo ut malleo nunquam diffringi potuerint. *Obſervatio* *alia*

§. 21.

Duas uncias pendentem lapidem ex puero duodecim annorum ab egregio lithotomo Davide Condier exciſum ſe vidiſſe ſcribit Johannes Dolæus *Epiſt. III. ad Waldſchm. p. 221.* & pagina ſequenti alium ejusdem ponderis calculum ex puerulo quinque annorum depingit. Exemplum calculi duarum unciarum ex nobilis cujusdam Viri veſica exciſi refert Stephanus Blancardus *Anat. pract. Cent. II.* ℥ij

 Obſ.

Obſ. 34. p. 328. In Medici Sileſienſis rene ſiniſtro calculum unciarum duarum fuiſſe repertum, recenſet Leonhardus Doldius v. Joh. Hornung. *Ciſt. Medic. Epiſt. 236. p. m. 427.* In pueruli quinque fere annorum veſica calculus fere duarum unciarum fuit repertus vid. Mich. Bernh. Valentin. *Prax. Med. infallib. Noſocom. academ. Caſ. 8. p. m. 576.* Effigiem calculorum Philippi Jacobi Sachſii a Lewenheimb, in rene dextro repertorum, & inter hos magnitudine inſignis, ſcilicet duas uncias pendentis, videmus in Memoria Sachſiana *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. App. p. 3.* Chirurgi Auguſtani, Philippi Heiſs veſica lapidem ſolidum unciarum duarum cum drachma una habuit hoſpitem, juxta Philipp. Hœchſtetter. *Obſ. med. Dec. X. Caſ. 5. p. 410. ſeq.* De calculo uncias duas totidemque ſcrupulos pendente, vid. Cornel. Stalpart van der Wiel. *Cent. II. Obſ. 18. Sch. p. 209.* Calculi ovalis pondere unciarum duarum feliciter e veſica exemti meminit Johannes Helwigius *Obſ. 120. p. 330.* Obſervationem & figuram calculi uncias duas & drachmam dimidiam pendentis in puero quatuordecim annorum veſicæ collo adhærentis a Chriſtiano Friederico Garmanno annotatam videmus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 153. p. 330. ſeq.* In Caroli Comitis de Balcarras, undecim annorum diſſecti corde magnum calculum duarum prorſus unciarum ponderis fuiſſe repertum refert Thomas Burnet *Theſaur. Medic. pract. Lib. III. p. 254.* In Viri cujusdam Illuſtris veſica fellea lapides aliquot pondere unciarum duarum inventos fuiſſe ſcribit Oswaldus Grembs *Arbor. integr. & ruinoſ. Lib. II. cap. 1. §. 7. p. 227.* Viennæ Nobili cuidam matronæ, ſexageſimum nonum ætatis ſuæ annum agenti chirurgus quidam abſque ſectione calculum unius ovi gallinæ inſtar, ponderis unciarum duarum & drachmarum duarum exemit, juxta Diomed. Cornar. *Obſerv. medic. cap. 16. p. m. 32.* De lapide inſtar ovi columbini unciarum dua-

rum ex alvo prodeunte, vid. Joh. Dolæi *Encyclop. medic. Lib. III. cap. 13. p. 592.* In Nobilis cujusdam veſicæ collo magnus & durus lapis duas medicinales pendens uncias inveniebatur, teſte Godofredo Thileſio *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 106. p. 243. ſeq.* In fœminæ honeſtæ, annorum ætatis trium & triginta, pericardio invenit Joſephus Lanzonus tres lapillos ſubviridis coloris, quorum duo exigui erant, alius autem magnus & duarum prorſus unciarum ponderis. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 75. p. 119.* Calculum ovalis fere conformationis & quantitatis ex adnato muſco aſperum ponderis unciarum duarum cum drachmis duabus excluſiſſe mulierem ſeptuaginta novem annorum, refert Johannes Georgius Sommerus *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 180. p. 392.* Calculum unciarum duarum & drachmæ unius pendentem e ſcroto ſphacelato viri melancholicæ conſtitutionis prodeuntem communicat & depingit Vitus Riedlinus, Parens, *Obſerv. med. Cent. III. Obſ. 46. p. 338. ſeq.* In Erneſti Güntheri ſylvarum Inſpectoris Stebenlehnenſis veſica poſt mortem reperit ipſius affinis, D. Johannes Georgius Lucius, Medicus Dreſdenſis, duos calculos, ſibi ut ovum ovo ſimiles ſatisque magnos, quorum alter duas uncias & ſex drachmas, alter vero duas uncias cum ſex drachmis & ſcrupulo uno pendebant, quorumque figuram, magnitudinem, craſſitiem & faciem internam æri incidendam curavit idem Medicus. vid. *etiam Nov. Literar. German. An. 1704. menſ. Decembr. p. 449.* Calculi drachmarum viginti & unius ſive unciarum duarum & quinque drachmarum a fœmina rejecti meminit Matthias Ramlovius *in Specul. Acidul. Wildungenſ. Lib. II. cap. 21. p. 179.* In Sereniſſimæ Principiſſæ Barutho-Brandenburgicæ, Sophiæ Louyſiæ, rene ſiniſtro calculus ponderis civilis quinque latones æquans repertus eſt, teſte Gothofredo Steinio *Lithograph. Curioſ. §. 29. p. m. 40.* Anno 1626. Nobilis qui-

dam Foro-Julienſis diacrydio aſſumto calculum dejecit duas ferme uncias pendentem, teſte Prevotio vid. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 74. p. 93.* Bina quoque calculorum duas uncias pendentium exempla obſervare mihi licuit, alterum quidem ſiliceum & inſtar globi rotundum ex Viri cujusdam triginta aliquot annorum nomine Bennewiz poſt atrociſſimos cruciatus defuncti veſica, ante aliquot annos excidebam: alterum vero ejusdem ponderis, oblongum vero, in puero tredecim circiter annorum, nomine Wiegnero, qui jam a tertio ætatis anno quandoque cum quandoque etiam ſine ſabuli excretione incredibiles patiebatur dolores, deprehendere contingebat. In nobilis cujusdam mulieris liene lapidem unciarum duarum & quinque drachmarum a Thurneiſero fuiſſe repertam, refert Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. I. cap. 16. fol. 84.* Anno 1678. Paſſaviæ ex veſica puelli, duodecim annorum nati calculum unciarum duarum ſemis, cujus magnitudo ovum gallinaceum in craſſitie & longitudine ſuperabat, a chirurgo per ſectionem eximi vidit Daniel Meno Matthiæ *Obſerv. 13. p. m. 95.* Calculum uncias duas ſemis ponderantem in viri ſexaginta annorum veſica invenit Johannes Adamus Lospichlerus. vid. *Ephemer. Acad. Nat. Cur. An. I. Obſ. 58. p. 131.* De calculo magno ejusdem ponderis, quatuor digitos transverſos longo ex juvene octodecim annorum exſecto vid. Thom. Bartholin. *Cent. III. Epiſt. 36. p. 131. ſeq.* Calculus unciarum duarum & drachmarum duarum in viri ſeptuagenarii veſica fuit repertus, teſte Petro Pawio *Obſ. anat. 3. p. 7.* In pueri quatuordecim annorum veſica ſana lapidem unciarum duarum cum drachma ſemis vidit Chriſtianus Frid. Garmannus vid. *M. N. C. Dec. II. An. 8. p. 331.* Calculum uncias duas mercatorum cum dimidia ponderantem a juvene mictione rejectum in domo orphanorum Delphenſi obſer-

Obſervatio.

vavit

vavit atque delineat Petr. Foreſtus *Obſ. med. Lib. 24. Obſ. 24. fol. 537.* Talem ſpontaneam excretionem oblongi calculi uncias duas cum ſemiſſe pendentis videmus etiam in Obſervatione Danielis Angeli *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 195. p. 285.* Hujus ponderis calculum quoque in Pauli Beham veſica repertum legimus in Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 24. fol. 1260.* In mercatore ſexaginta annorum calculum duas uncias cum dimidia ponderantem annotavit Johannes Adamus Lospichlerus vid. *Ephem. A. N. C. Cent. I. Obſ. 58. p. 130. ſeq.*

§. 22.

De lapide trium unciarum feliciſſime e pagano extracto, vid. Ludov. Septal. *Animadv. & Curat. medic. Lib. 7. p. 264.* Ponderis lotonum ſex ſeu trium unciarum calculum ex puero undecim annorum exſectum ſe noviſſe ſcribit Diomedes Cornarus. *Obſ. med. cap. 19. p. 34. ſeq.* In Johannis Guilhelmi Secretarii ordinum Hollandiæ, veſica inventus eſt lapis ponderans uncias tres & drachmam ſemis, vid. Petr. Foreſt. *l. a.* Virgo quædam annum agens octuageſimum nonum calculum tres uncias cum duabus drachmis ponderantem feliciſſime enixa eſt, juxta Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. III. cap. 7. p. 200.* ubi calculum reperies depictum. A calculi tres uncias ponderantes immanitate extinctus fuit M. Lucas Pollion, Diaconus Lipſienſis, cujus Epitymbion vid. Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 69. p. 1107.* In Principis cujusdam rene dextro calculum unciarum trium ſemis reperit Antonius de Gozzis vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 29. p. 40.* In Epiſcopi Auguſtani veſica calculus magnitudine & forma ovum gallinaceum repræſentans & uncias tres cum drachmis duabus ponderans eſt repertus vid. Greg. Hieron. Welſch. *Epiſagm. Obſ. 62. p. 38.* Comiti de Tholouſe Anno 1711. die 7. Nov. calculum oblongum, ℥iij

magni-

magnitudine ovi parvi trium unciarum pondere e veſica exſectum referebant Relationes ordinariæ Lipſienſes. In Petri Schumacheri, quondam regni Danici Cancellarii, Comitis in Greiffenfeld, corpore varii reperti ſunt calculi, & inter hos in veſica quidam tres & dimidiam uncias pondere æquans vid. Jdo. Wolff. *Obſ. Chirurg. med. Lib. I. Obſ. 48. p. 159.* Calculum ſuper tres uncias tres drachmas pendentem e veſica extractum vidit Vitus Riedlinus, cujus vid. *Linear. Med. An. 1698. Menſ. Octobr. Obſ. 4. p. 820.* De fœmina nullo fere dolore prægrandem calculum, cujus pondus viginti octo drachmas medicas cum dimidia, ſive ℥iii ß ʒß æquabat, ejiciente, vid. Ido. Wolff. *l. a. Obſ. 47. p.* 155. Lapidem tres uncias & totidem unciæ partes pondere æquantem fœmina poſt ingentes dolores eſt enixa vid. Theodor. Kerkring. *Spicil. Anatom. Obſ. 67. p. 135. & 137.* Trium unciarum cum dimidia calculum ex muliere ſexagenaria feliciter exſecuit lithotomus quidam. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſ. theoret. pract. Obſerv. 6. pag.* 41. Et in Scholio in eandem Obſervationem *§. 1. pag. 42.* calculi ſiccati viginti octo drachmas cum dimidia ſeu ℥iij ʒß pondere æquantis idem Autor meminit. E Mercatoris Norimbergenſis veſica diverſæ magnitudinis calculi diverſis temporibus (quater ſcilicet veſicæ ſectione celebrata) extracti ſunt, inter quos in prima ſectione unus uncias tres cum ſex drachmis æquavit, quem cum aliis depictum ex Obſervatione Joh. Georg. Volckameri videmus in *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 177. p. 414. ſeq.* In juvenis viginti trium annorum veſica calculum pondere trium unciarum cum dimidia deprehendit Lucas Schrœckius, Filius, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 13. p. 36.* ubi hujus lapidis figuram reperies. Calculum magnitudine ovum anſerinum adæquantem, & uncias tres cum drachmis quinque in ſe continentem,

fundo

fundo veſicæ accretum in Viro quodam obſervatum fuiſſe refert Johannes Henricus Starckius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 171. p. 301. 304.*

§. 23.

Lapidem magnitudinis ovi anſerini, quatuor unciarum ponderis, ſe vidiſſe, ſcribit Petrus Borellus *Hiſt. med. Cent. II. Obſ. 22. p. 128.* Faber ferrarius, cui lithotomus bis calculum ademerat, adeo pertæſus fuit cotidianarum ærumnarum ac ſectionis iteratæ, ut maluerit, tertium jam ab eodem carnifice excruciatus, quibuscunque potius periculis objici, quam denuo experiri lithotomi ſcalpellum, erecto itaque animo ſibi ipſi calculum, ovo gallinaceo maiorem, ac uncias quatuor ponderantem in perinæo exſcidit. vid. Nicol. Tulp. *Obſerv. med. Lib. IV. Cap. 3. p. 341.* vid. etiam Obſervatio Samuelis Reiſelii *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 192. p. 363. ſeqq.* Ex Viro juvene triginta duorum annorum exſectum calculum unciarum quatuor ſemis depinxit Johannes Dolæus *Epiſtol. III. ad Waldſchmid. p. 222.* Calculum etiam uncias quatuor medicas ponderantem e ſcroto prolapſum depingi curavit Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 142. p. 227.* In chirurgi cujusdam veſica juxta Iſaac. Cattier. *Obſ. 3. p. m. 15.* Calculus ponderis unciarum quatuor ſemis inventus eſt. Item in Chirurgi Gœrlicenſis veſica urinaria recondebatur calculus grandis, pondere novem lotonum cum drachma una ſive ℥iiij. ʒv. ſecundum Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Hiſtor. 40. p. 210.* De fœmina octo vel novem annos cum infantis doloribus in matrice calculum gerente, qui poſt tempus aliquod factus leviſſimus adhuc quatuor fere uncias adhuc gravis fuit inventus, v. Frid. Nitzſch. *Ephemer. Erudit. p. 556.* In Eccleſiaſte Ulmenſi geminos calculos aſperos, quorum grandior ovi gallinacei magnitudinem & formam uncias tres ſemis pendens, mi- ℥iiij

nor drachmas ſex repræſentavit, fuiſſe repertos, teſtatur Auguſtinus Thonerus *Obſ. Lib. VI. Obſ. 6. p. 183.* Calculum novem lotonum magnitudine ovum gallinaceum excedentem, ex veſica extractum ſe vidiſſe ſcribit Wilhelmus Huldericus Waldſchmid. *Diſſert. de Superfœtat. A. 3. b.*

§. 24.

℥v. In Danielis Hackii ultra quam ſeptuagenarii, per quinquaginta & tres annos Paſtoris in Imperiali Bapſinga vigilantiſſimi, veſica repertus eſt calculus ovalis pondere uncias quinque ſemis exæquans, uti refert Roſinus Lentilius *Paralelism ad An. VIII. Dec. I. M. N. C. in Ephemer. Acad. N. C. Cent. I. & II. App. p. 201.* E veſica fœminæ cujusdam, quinquaginta ſex annorum, pocillatoris aulici uxoris, calculus quinque uncias cum ſemiſſe pendens per dilatationem ſphincteris manu lithotomi eductus fuit, teſte Guſtavo Caſimiro Gahrliep *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 78. p. 147. ſeq.* In Parochi cujusdam veſica reperit Johannes Scultetus calculum ſatis magnum, qui figuram cordis humani repræſentans uncias quinque & dimidiam ponderavit, v. Joh. Scultet. *Armament. Chirurg. Part. II. Obſ. 66. p. m. 93.*

§. 25.

℥vj. De calculo ſex unciarum hanc Obſervationem recenſet Thomas Bartholinus *Act. Hafn. Vol. IV. Obſ. 83. pag. 193.* Mulier pagana per multos annos circumtulerat calculum, donec tandem aucto lapidis in veſica pondere, incurvum corpus ægre ſuſtineret: Victa tædio chirurgum convenit, qui ſine ſectione calculum extrahi non poſſe pronuncians & fœminam prognoſtico terret & pretio. Ne tamen nihil ageret, potionem vilioris pretii lithontripticam conceſſit, qua ſumpta calculus ſe in ſinum pudoris provolvit, ex quo ipſa mulier obſtetricante manu propria ipſum protraxit: Pendebat vero uncias ſex. Ovalis erat, & forma & magnitudine ovum maius gallinaceum referebat, ſed

appen-

appendice donatus, velut anguſto collo prominente, quo adhæſiſſe videbatur veſicæ. In Conſiliarii intimi Sacræ Cæſar. Majeſtatis utroque rene duo magni calculi ponderis ſex unciarum inventi fuerunt, nullo calculi ſigno præcedente. v. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 32. p. 33.* Anno 1639. juvenis quidam in Noſocomium Ulmenſe receptus fuit laborans urinæ incontinentia, ob laceratam veſicæ cervicem a calculo ovali, aſpero & uncias ſex pendente, uti refert Johannes Scultetus *l. a.* In ſenis cujusdam octogenarii veſica lapis inventus fuit, ſilicis adæquans duritiem & pendens nummarii ponderis uncias ſex cum dimidia; rediiſſet hoc ad vulgaris Medicorum ponderis uncias fere octo; juxta Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 24. fol. m. 1330.* Vir quidam ex pago Rapiz, nomine Michael Leinweber, ætatis quadraginta quinque annorum ingentem calculum, pondere duodecim lotonum ſive unciarum ſex æquantem per ſcrotum excrevit, annotante Philippo Jacobo Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 142. p. 225. ſeq.* De calculis Papæ Innocentii XI. ita ſcribit Mr. Dionis *des Operations de Chirurgie Demonſtr. III. p. 133.* le plus fameux exemple des groſſes pierres, qui ſont venus a ma connoiſſance, c'eſt celuy du Pape Innocent XI. qui étant mort le 13. Aouſt 1689. fut ouvert: on luy trouva deux pierres, une dans chaque rein; celle du rein gauche peſoit neuf onces, & celle du droit ſix, quo loco effigiem reperies.

§. 26.

In Viri cujusdam, qui ſine ullis renum doloribus & ſine urinæ ſuppreſſione, octuageſimum attigerat annum, rene dextro lapis cineritius, obſcurus, ponderis ſeptem unciarum inventus fuit, juxta Petr. Foreſt. *Cent. II. Obſ. 62. p. 162.* E Civis & Patritii Auguſtani veſica calculum ſeptem uncias cum dimidia pendentem extractum ejusque figu- ℥vij.

ram ſpectandam offert Lucas Schrœckius *in Additam. ad Joh. Helwig. Obſ. 121. p. 333.* De Calculo ſeptem unciarum a fœmina poſt partum in ſecundina ejecto & rubini inſtar pellucidiſſime, vid. Dan. Menon. Matthiæ *Obſ. 13. p. 96.* Ex Nobilis Viri, Henrici Pecchii, octuagenarii, cum per quindecim annos doloribus ex lapide in veſica eſſet conflictatus, ex eadem a Cæſare Pagano lapis ſeptem unciarum & drachmarum quinque exciſus & extractus fuit, præſente & referente Ludovico Septalio *Animadverſ. Lib. VII. p. m. 263. ſeq.* In mercatoris cujusdam, ætatis ſexaginta novem annorum, cadavere cultro anatomico ſubmiſſo, calculus magnus, quaſi pyriformis & ſeptem cum dimidia unciarum pondus æquans in veſica delituit, veſica admodum craſſa & circa calculum conſtricta apparente &c. teſte Luca Schrœckio *Ephem. Acad. N. C. Cent. X. Obſ. 100. p. 437.*

§. 27.

ʒviij. Adoleſcenti cuidam decimum octavum ætatis annum ſaltem agenti poſt obitum calculum veſicæ octo unciarum pondere exſecari vidiſſe Peucerum, refert Philippus Salmuth *Cent. II. Obſ. 85. p. 101.* Senis cujusdam octogenarii, in cujus veſica lapis ſex nummarii ponderis uncias cum dimidia, ſive vulgaris Medicorum ponderis uncias fere octo pendens inventus fuit, uti paulo ante ex Theoph. Boneti Sepulchreto mentionem fecimus, extat autem hæc Obſervatio apud Guilhelm. Fabric. Hildan. *Obſ. Chirurg. Cent. II. Obſ. 66. fol. m. 139.* In Domini Maskosky, Archiatri Würtenbergici veſica calculus reperiebatur ſtupendæ magnitudinis ovalis, non exacte rotundus, ſiliceus, colore fuſco, uncias octo pendens. vid. Roſin. Lentul. *in Ephem. Acad. N. C. Cent. I. & II. Append. p. 200. ſeq.* Calculum octo unciarum in Viri veſica poſt mortem inventum depingit Georgius Dethardingius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 31. p. 45.*

p. 45. A textore quodam calculum octo unciarum artificioſe extraxiſſe lithotomum Johannem Jacobum Merckium, refert Gregorius Horſtius *Oper. Tom. II. Lib. IV. Obſ. 47. fol. m. 236.* Pro calculo octo unciarum allegat etiam Chriſtianus Fridericus Garmannus locum ex Robert. Boyl. *de Utilitate Philoſoph. experiment. Exercit. II. ſ. 18. p. 133.* Qui tamen non de unico calculo, ſed de aliquot calculis, ex hominum veſicis erutis, ejusdem ferme magnitudinis & figuræ, octo uncias cum dimidia ſummatim ponderantibus loquitur.

§. 38.

Calculum immenſæ magnitudinis, cujus moles in extractione circiter pondus novem unciarum æquabat, poſtmodum autem, cum per quatuor menſes exaruiſſet, tantum uncias ſex adimplebat, in juvenis cujusdam arte dulciarii, annos viginti quinque nati veſica urinaria repertum fuiſſe refert Petrus Blandinus apud Guilhel. Fabric. Hild. *Cent. IV. Obſ. 50. fol. m. 323.* Ex Franciſco Steinauer tres calculos uncias novem pondere medicinali ponderantes, fuiſſe exemptos in Philipp. Jac. Schenfelder. *Hiſt. med. Hiſtor. 22. Annot. p. m. 85.* legimus. Chirurgi cujusdam Gœrlicenſis veſica urinaria caclulum ſat grandem ruffum, ſiliceum, pondere novem unciarum cum drachma una exhibuit, annotante Ehrenfrido Hagendornio *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 243. p. 344.* Piſtori dulciario lithotomus quidam ex veſica calculum, pugni craſſitiem habentem novemque uncias pendentem, feliciſſime extraxiſſe legitur apud Ambroſ. Paræum *Lib. 24. Cap. 19. fol. m. 567.* Videtur equidem eadem Obſervatio cum illa a Petro Blandino narrata, niſi Paræus calculum hunc incolumi ægro revulſum, Fabricius vero poſt mortem inventum fuiſſe dicat; Deinde differunt etiam ratione temporis, ſiquidem Blandinus Piſtorem ſuum dulciarium ultimo De- ℥jx.

cembris Anno 1614. fato debita perſolviſſe atque diſſectum fuiſſe ſcribit, cum econtra Paræi caſus jamjam Anno Domini 1570. obſervatus fuerit.

§. 29.

℥x. Calculum decem fere unciarum ex viri cujusdam, quadraginta circiter annorum veſica Anno 1707. exſectum delineavit Franciſcus Tolet *de la Lithotomie cap. 22. pag. 242. ſeq.* Calculo decem uncias ponderante Generoſum quendam obiiſſe virum, ſcribit Johannes Faber ad Gregorium Horſtium, vid. hujus *Oper. Tom. II. Obſ. 47. fol. 236.* De calculo veſicæ, ad ovi gallinæ indicæ magnitudinem & uncias decem pendente ex puero duodecim fere annorum, ab utero materno veſicæ calculo laborante, fruſtillatim extracto hiſtoriam refert Johannes Daniel Geyerus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 231. p. 456. ſeq.* De Theologi Noricorum celeberrimi, Johannis Sauberti, calculo ſatis magno variæ apud Autores foventur ſententiæ, quorum alii eundem decem, alii undecim, alii plures uncias ponderaſſe ſcribunt. Siquidem Georgius Hieronymus Velſchius hunc calculum ex ipſius veſica ab obitu exciſum uncias decem civilis ponderis habuiſſe, cum appoſita lapidis effigie, ſcribit *Obſ. med. Epiſagm. 61. pag. 37.* Johannes Helwigius *Obſ. 121. p. 331.* ex propria Obſervatione dicit, hunc calculum fuiſſe triangularem incredibilis magnitudinis, angulis quidem obtuſis, & in medio parum depreſſiorem ac planiorem, in latere utroque rotundiorem, cylindricæ figuræ fere ſimilem, ponderis civilis inſuper decem unciarum. Aſt Gothofredus Mœbius *Phyſiolog. Cap. XVIII. pag. 458.* hunc Sauberti calculum, pyri majuſculi magnitudine, unciarum undecim, in veſica repertum fuiſſe ſcribit. Et Daniel Hartnaccius *Admirand. phyſic. Lib. IX. cap. 3. p. m. 653.* Johannis Sauberti calculum extractum viginti uncias ponderaſſe ait.

vid.

vid. etiam Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 57. p. 126.* Hujus autem diverſitatis rationem, juxta Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 68. p. 1105.* nemo facile divinabit, niſi recens exemptum viginti uncias ponderaſſe, tractu autem temporis exſiccatum vix dimidium pendere, quod in calculis Sperlingianis obſervavit Johannes Daniel Major, aſſeras, aut ſphalma typographicum ſit commiſſum. Quod mea quidem ſententia facile fieri potuit, ſi loco viginti lotonum (℥ß) viginti unciæ ℥j poſitæ fuerint.

§. 30.

De alio lapide undecim unciarum ex juvenis triginta annorum veſica extracto, vid. idem Garmannus *l. a. p. 1106.* quo loco adhuc aliud exemplum refert; in Muſeo, inquiens, Collegii Rom. erat globus abortivus, qui in petram coaluit cruſtatæ ſuperficiei, in veſica P. Leonis Santii, viri omnigena ſcientia celeberrimi natus, eoque mortuo exciſus, uti prodigioſæ magnitudinis, ſcilicet quod facile pugnum humanum expleat, ſic & duritiei incomparabilis. Calculus hic uncias undecim circiter pendens hoc epiphonemate doctum occidit Leonem. ℥xj.

§. 31.

De calculo duodecim unciarum etiam reperiuntur Obſervationes medicæ; ſiquidem Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſervat. Phyſ. med. Libr. I. Obſ. 2. p. 4.* meminit, Marotto Gallo manum commodante, Patricii Hamburgenſis filium, propter magnitudinem lapidis altero poſt fruſtra tentatam Operationem die obiiſſe, apertumque poſt mortem ventrem in veſica lapidem oſtendiſſe durum, duodecim uncias pendentem, & undique veſicæ agglutinatum. Lapidem duodecim uncias, cum drachma una ponderantem ex veſica excretum, ſuperſtite muliere, obſervavit atque depinxit Chriſtianus Erneſtus Clauderus ℥xij.

M. N.

M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 198. p. 395. ſeq. Erat autem hic lapis formæ rotundæ, optime ſphæricæ; coloris ochrei, externe læviſſimus, ſubſtantia compactus ac duriſſimus, adeo ut cultro difficillime aliquid eo deradendum. Magnitudo ovum gallinaceum æquabat &c. Ex D. Johannis Jacobi Schwarzii veſica poſt obitum aperta calculus uncias duodecim cum dimidia (*25 Loth ſchwer*) ponderis civilis pendens, eſt extractus, obſervante Petro Rommelio *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 185. p. 477. ſq.* Lithotomus quidam, Laurentius Collo, cuidam calculos tres e veſica extraxit, ſingulos ovi gallinacei craſſitie, omnes colore albos & ſimul duodecim uncias pendentes, vid. Ambroſ. Paræi *Oper. Lib. 23. fol. 568.*

§. 32.

℥xiij In cadavere Domini de Montigne extraxit chirurgus e veſicæ ſtomacho ſeu ventre, lapidem inſignis magnitudinis & ponderoſitatis, ut vix credibile ſit, talem lapidem potuiſſe ibi contineri, pendebat enim uncias tredecim, uti ex Ferrando refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 23. fol. 1178.* In Mercatore Pariſienſi, Johanne le Blond, viro octuagenario veſica in tantum erat explicata, quantum absque rupturæ periculo poterat, totaque cal-
℥xiv. culo rotundo & oblongo, lævi & terete repleta, quatuordecim uncias pendente, per cujus anteriorem partem architectrix natura canalem effecerat, omnem artificium induſtriam ſuperante; annotante Carolo Patino. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 19. p. 42. ſeq.* Et in Scholio ejusdem Obſervationis *pag. 44.* Lucas Schrœckius ex Friderico Loſſio aliud addit exemplum ejusdem ponderis calculi, qui etiam in medio ſecundum longitudinem fuit pervius. Ejusdem ponderis calculum inſtar coni & pariter perforatum in viro plusquam ſexagenario obſervatum refert Stephanus Blancardus *Anat. pract. Cent. I. Obſ. 94. pag. 242.*

In

In Johannis Antonii Magini, Mathematici celeberrimi, Anno 1618. a morte ſecti, veſica ſat magnum calculum uncias ſcilicet quindecim pendentem obſervavit Johannes ℥xv.
Prevotius. vid. Georg. Hieron. Velſch. *Obſ. medic. Epiſagm. 64. pag. 39.* Alia exempla calculorum uncias quindecim & ultra ponderantium allegat Chr. Frid. Garmannus *l. a. p. 1106.* In viro docto, viginti annos calculo veſicæ laborante lapis rotundus atque duriſſimus uncias octo- ℥xviij.
decim pendens inventus eſt, teſte Zacuto Luſit. *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 70. f. 58.* Matthæum Queſnotum, peritiſſimum chirurgum, calculum ponderis octodecim unciarum, a nobili viro octuagenario extractum vidiſſe, refert Petrus Borellus *Cent. II. Obſ. 22. p. m. 128.* Calculi novendecim unciarum cum tribus drachmis ex Grœnvelt ℥xix.
Diſſert. litholog. meminit Johannes Guilielmus Pauli *Annotat. in Joh. von Horne Microtechn. §. 21. p. 453.* Calculum monſtroſæ magnitudinis, cineritii coloris, inæqualem, ac ſi ex multis lapidibus compactus fuiſſet, & ad uncias viginti duas pendentem, ex veſica juvenis cujusdam vigin- ℥xxij.
ti annorum ætatis extractum communicat Gvilhelmus Fabricius, Hild. *de Lithotom. veſic. Cap. VIII. pag. 73.* Calculum viginti trium unciarum cum ſeptem drachmis ℥xxiij ʒvij.
pondere, in veſica equæ repertum in manibus Domini Lemery vidit Academia Pariſienſis. Diameter hujus calculi ex una parte 4 digitorum & ½ ab alia parte 4 digitorum & ½ erat. v. *Hiſtor. Academ. Reg. Scient. Pariſ. An. 1700. p. m. 280.* Viginti quinque unciarum cum di- ℥xxv.
midia calculum, canali artificioſo inſtructum in ſene quodam octuagenario obſervatum ex Grœnfelt. Diſſert. litholog. adducit Joh. Guiliel. Pauli *l. a.* De hoc calculo uncias viginti quinque pendente, vid. etiam *Act. Erudit. Lipſ. An. 1685. Menſ. Mart. p. 126.* & Chriſt. Frider. Garmann *de Miracul. Mort. l. a. p. 1106.* quibus locis videmus ab hujus

calculi præſentia præter dolorem quendam gravativum in regione ingvinali, vix quicquam mali ſenſiſſe octuagenarium ſenem, quoniam urina ad veſicam translata, per canalem artificioſe a natura in calculo efformatum, ex ureteribus ſtatim ad cervicem veſicæ fluebat. Figuram hujus calculi in *Act. Erud. l. a.* appoſitam reperies. Nullus dubito, quin hic calculus idem ſit, cujus prolixius meminit Jean Baptiſte Verduc *au Traite des Operations de Chirurgie Cap. XI. p. m. 40. ſeq.* his verbis: Voicy une tres-groſſe Pierre, que l' on tira à Monſieur le Chevalier Alderman de Londres, qui mourat agé de quattre-vingt-deux ans. On luy trouva dans la veſſie une pierre, qui peſoit vingt-cing once & demie; mais ce qu' on a trouvé de ſingulier à cette groſſe pierre, c' eſt que l' urine avoit creuſé un canal à ſa partié inferieure du coté du rectum, par où elle prenoit ſon cours, pour paſſer d' ans uretere. Ce canal s' etoit fait à l' endroit, ou les ureteres percent la veſſie, il y en avoit encore un autre, qui deſcendoit au bas de la pierre, par où l' urine s' ecouloit dans l' uretere. Le premier canal etoit demy-circulaire en forme de gouttiere, où l' on pouvoit mettre le petit doigt. Il y a bien d' apparence, que ces canaux s' étoient formez dans le temps, que la pierre etoit petite & tendre. Cette groſſe pierre devoit ſans doute ſon origine à la maniere de vivre du malade; c' étoit un homme accourtumé depuis longs-temps boire du vin d' eſpagne, & qui prenoit tous les matins un gobelet plein de bierre, où il mettoit quantité de ſuccre, ce qui devoit l' échauffer beaucoup. Sans le canal, que l' urine s' étoit creuſe dans la pierre, ſes douleurs auroient été inſupportables, & jamais ce Gentilhomme n' auroit pu vivre juſqu'a quatre-vingt-deux ans, comme nous l' avons marqué. Calculum e
§xxxij diſſecto corpore extractum unciarum triginta duarum

pondere conſtantem, duriſſimum compactum, ſilicis colore, triangularem, ex quo cum ferro, ut ex ſilice, eliciebatur ignis, ſibi Antonium van der Linden oſtendiſſe refert Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admirand. Lib. II. Obſ. 70. Oper. Tom. III. fol. m. 58.* Quod ex Frid. Loſſio etiam refert Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. 23. fol. 1178.* quo loco etiam, Londini, Angliæ ocello, calculum triginta quatuor unciarum pondere, in veſica Theologi cujusdam notiſſimi a morte inventum conſpiciendum eſſe, ſcribit. Qui calculus libras duas civiles ſuperat.

§. 33.

Cum vero a quibusdam Autoribus calculorum magnitudo ſecundum libras deſcribatur, libet etiam ejusmodi exempla adducere. Calculos enim dimidiæ fere libræ ℔ß. ab hominibus viventibus excluſos ſe aliquoties vidiſſe refert Carolus Lancilottus, *nella Guid. alla Chimic. Part. III. cap. 16. p. m. 31.* inquiens: ancorche generanſi le pietre in varii luoghi, nulla dimeno per il più ſuole arrivare nelle reni & nella veſica, & il più hanno una figura ſimile a quella del Bezoar, & io ne hò viſto alcune da perſone ancor viventi, che paſſavano quaſi mezza libra; &c. Holmiæ e Georgio Majero calculus ponderis libræ unius civilis ℔j. extractus eſt, cujus magnitudinem vid. in Joh. Jacob. Leibniz. *Memorab. Bibliothec. Norimberg. p. m. 16.* Prædicator hæreticus, prope Barclayam in Anglia, Anno 1629. ſanus atque ſoſpes, contendens a prandio librum e ſublimi ad ſe trahere, in imo ventre magno perculſus pondere atque dolore, certis inde a quatriduo ſignis ſcivit ſe calculo gravatum; inde poſt octiduum Londini ſub novacula lithotomi extinctus. Pendebat autem dictus calculus libram Anglicanam & binas inſuper drachmas. vid. Joh. Bapt. Helmont. *de Lithiaſ. Cap. III. §. 40. f. 23.* Inter duplicaturam peritonæi ſacculum plenum calculis, quorum major pendebat

libram unam & uncias quatuor, invenit Johannes Baptiſta Lambzwerdt. vid. *M. N. C. Dec.II.An. 4. Obſ. 128. p. 252.* A ruſtici cujusdam Hirſchfeldenſis uxore quadraginta octo annorum vi magna rejectus fuit calculus ochrei coloris, figuræ ſphæricæ & ponderis libræ unius medicæ vel duodecim unciarum, drachmæ unius &c. uti refert Chriſtianus Erneſtus Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 198. pag. 395. ſeq.* In Vitriario Bremenſi Anno 1571. repertum
℔ij. eſſe calculum ponderis librarum duarum & trium libræ partium ſive ℔2¾ ait Daniel Hartnaccius *Admirand. phyſic. Lib. IX. cap. 3 p. 653.* vel juxta Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 57. p. 126.* trium fere librarum. De calculo
℔iij. trium librarum, cum tribus unciis ita ſcribit Jean Baptiſte Verduc au Traité *des Operat. de Chirurg. cap. XI. p. m. 40.* Ou a taillé depuis peu à la Charité un Prêtre, aù la pierre ſe trouva ſi groſſe, qu'on fut oblige de la laiſſer dans la veſſie. Quelques jours aprés il mourut; en faiſant l'ouverture de ſon cadavre, on trouva une pierre d'une ſi prodigieuſe groſſeur, qu'il ne ſ'en eſt jamais vû une pareille. On la montre dans cet hôſpital a ceux, qui deſirent la voir, elle peſe trois libres trois onces. Martini Bierwolffii Senato-
℔jv. ris Regiomontani uxor lapidem quatuor librarum, multis eminentiis lapideis coloris fuſci, in utero habuit juxta Thom. Bartholini *l. a. Cent. IV. Hiſt. 64. p. 364.* in qua fœmina etiam epar ſcirrhoſum libras tres & viginti pendens, & a ſuſpenſorio hepatis dependentes duo tumores ſaxei, quorum alter libras ſedecim, alter vero duodecim librabant, fuerunt reperti. Plura ejusmodi calculorum magnorum exempla in *Capite ſecundo* adduximus.

§. 34.

In Brutis. Non autem tantummodo in homine, ſed aliis etiam animalibus ſeu brutis calculi majores reperti leguntur; lapidem enim catelli, magnitudine ultra quam nucis juglandis

glandis, formæ nec rotundæ nec oblongæ, ſed utriusque depingit Johannes Jacobus Leibnitzius *in Memorabil. Biblioth. Norimb. p. m. 16.* Sic Auguſtinus Henricus Faſchius in cane quodam calculum veſicæ, libræ unius & dimidiæ pondere, figura caſei vulgaris ruſticani Thuringiaci, *Quarckkäſe* vocant, reperiſſe, refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 136. p. 263.* Et *Dec. III. An. 5. & 6. Append. p. 99.* Plura de calculis brutorum infra videbimus.

CAPUT IV.

De Calculorum Copia ſeu Multitudine.

§. I.

Porro differunt calculi ratione numeri vel multitudinis, dum quandoque unicus tantum, ſive ſit magnus, ſive parvus, vel ſaltem pauci, quandoque etiam multi vel plurimi rejiciuntur, vel in partibus internis adhuc reperiuntur, uti ex hactenus adductis ſufficienter patet. Interdum etiam pauci equidem, ſed eo frequentius prodeunt, ita ut vel plures in uno die, vel ſingulis diebus unus vel alter excernantur; qualia exempla Carolus Piſo *Obſervat. de Morb. Seroſ. Sect. IV. Cap. 2. p. 396.* ſequentibus verbis recenſet: Cum in Sereniſſimo Principe forte a lapillo majore alter ex ureteribus eſſet obſtructus, ac quinque ſupra viginti dies in eo enitendo Vir magnanimus fruſtra laboraſſet, totidem lapilli eo enixus tempore fuerunt concreti, & excluſo illo prius genito & cæterorum obice, ſimul & ſemel conſequenter intra diem reliqui excluſi, ſed ita ut ultimi excluſi prioribus ſubinde magnitudine cederent; quæ differentia ſatis indicavit, ſingulis diebus unum con-

Calculorum numerus.

 creviſſe

creviſſe lapidem, ſed auxiſſe quoque omnes per additamentum quotidie factum. Pariter meminit etiam ibidem Piſo, in Johanne Molineo eundem prope eventum; ſcilicet cum tabidus ab abſceſſu coxæ iſchiadis per ſex menſes continuos lecto accubuiſſet, tantam intemperiem renum a diuturno illo decubitu is contraxerat, ut duos ante obitum menſes ſingulis diebus lapillum unum redderet, eumque non mediocris magnitudinis.

§. 2.

Calculi Duo. Ratione autem numeri calculorum a minori ad majorem, ſive a paucis ad plures aſcendemus, a numero binario incipientes; duos enim calculos rotundæ fere figuræ in glandula pineali obſervavit Jobus a Meeckren *Obſ. Chir. cap. 58. p. m. 269.* item in labio cancroſo poſt reſectionem duos calculos duritie & aſperitate notabiles in Noſocomio Lugduno Batavo reperit chirurgus teſtante Gerardo Blaſio *Obſ. med. Part. IV. Obſ. 15. p. 82.* Sub lingua in baſi maxillæ inferioris duos lapides, quorum unus nucem juglandem æquavit, alter vero eam ſuperavit, extractos vidit Petrus Borellus *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 17. p. 122.* Duos calculos in mulieris cujusdam corde repertos ex Hollerio allegat Ambroſius Paræus *Lib. 24. Cap. 19. fol. 569.* item in corde Comitis Becclarenſis. vid. *Act. Philoſ. Anglic. pag. 65.* Duos lapillos duriſſimos ponderis ſingulorum unciæ unius a matrona per alvum ejectos obſervavit Dominicus Panarolus *Pentec. V. Obſ. 12. p. 148.* Duos quoque calculos, quorum uterque propria membrana incluſus uncias duas cum dimidia ponderavit, in mercatoris veſica repertos vid. apud Jac. Holler. *de Morb. intern. cap. 46. Schol. p. 141.* De duobus calculis in Innocentii XI. veſicula bilis, juglandis magnitudine, repertis vid. Phil. Jacob. Sachſ. *Gammarolog. p. 901.* item in Papæ Clementis VIII. cyſtide fellea. v. Joh. Horning. *Ciſt. medic. Epiſt. 68. p. 187.* Duos calculos ſibi ſimillimos,

limos, quorum ſinguli ultra duas uncias pendebant ex Erneſti Guntheri veſica poſt mortem extractos, in *Capite antecedente §.* 2. adduximus. Anno 1715. die 29. Decembr. civis quidam Palæo Dreſdenſis ſexaginta aliquot annorum maximeque gibboſus, nomine Daniel Matthiæ, ob nimios calculi cruciatus ſclopeti globo ſeipſum dolore & vita privarat, in cujus dextro rene, mihi ratione phyſicatus ipſum ſecanti, ne minimum quidem ſabuli vel calculi, in ſiniſtro vero tantummodo lapillum, piſi magnitudine, econtra in veſica duos calculos albos atque ſiliceos, quorum alter ſex drachmas cum dimidia, alter autem ſeptem drachmas ponderabat, reperire contingebat, licet dictus Matthiæ nunquam de dolore in regione veſicæ, ſed tantummodo circa renes conqueſtus fuerat. Binos calculos ex abſceſſu umbilicali fœminæ cujusdam paupérculæ extraxit Chirurgus quidam Gœrlicenſis, vid. Ehrenfr. Hagendorn *Hiſt. med. phyſ. Cent. II. Hiſt. 9. p. 167. ſq.*

§. 3.

Tres calculos in glandula pineali reperit Franciſcus Sylvius in Noſocomio aliquot cadavera ſecans, præſente Thoma Bartholino, cujus vide *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt. 85. p. 361. ſeq.* In Imperatoris Maximiliani II. corde ſecto inventos fuiſſe tres lapillos quantitate piſorum, refert Johannes Wierus *Oper. Lib. IV. cap. 16. p. 315.* In pericardio fœminæ triginta trium ætatis annorum tres lapillos invenit Joſephus Lanzonus. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 75. p. 119.* In latronis cujusdam corde, poſtquam corpus in quatuor partes diſſectum erat, adhuc pulſante, tres lapillos ciceris magnitudine, unius drachmæ pondere, ſe obſervaſſe refert Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 141. Oper. Tom. III. fol. 37.* In veſicula fellis Friderici Ducis Saxoniæ & Electoris tres lapides repertos fuiſſe ſcribit Johannes Langius *Epiſt. medic. Lib. II. Epiſt. 57.* *Tres.*

p. 756.

p.756. Anno 1695. in Comitiſſæ Viennenſis veſicula bilis tres ſolidi lapilli, quorum quilibet magnitudine nucem moſchatam referebat, reperti ſunt, juxta Eberhard. *Obſervatio.* Gockel. *Gallicin. Obſ.99. p.611.ſq.* Et Anno 1712. in viduæ cujusdam ruſtici folliculo fellis tres calculos inſtar teſſerarum reperire mihi contigit. Tres lapides magnitudine avellanarum ex nobiliſſimi pueri ſeptem annorum meatu urinario extraxit lithotomus quidam, teſte Martino Bernhardo a Berniz *M. N. C.Dec.I.An. 2. Obſ.141. p.225.* In Inſula Maris Balthici Borringholmo Vir calculoſus, tres calculos per urethram excrevit, quorum maximus fabam grandiorem ſuperabat. vid. Thom. Bartholin. *Cent. V. Hiſtor. 3. p. 6.* Ex abſceſſu in ſcroto chirurgus quidam, nomine Pelerinus, tres lapides, quorum quisque craſſitiem & longitudinem pollicis continebat, extraxit. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. IV. Menſ. Februar. Obſ. 4. p. 30.* Tres lapides, primum ovi anſerini, alterum gallinacei, magnitudine, tertium, quanta eſt nux, puerpera enixa eſt, v. Sim. Majol. *Dier. canicular. Colloqu. III. fol. m. 42.*

§. 4.

Quatuor Poſt intenſiſſimos capitis dolores virgo quædam calculos quatuor, ab errhino per nares rejecit, referente Johanne Friderico Khern *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 46. p. 100.* Quatuor calculos, cubis haud abſimiles, in Andreæ Petermanni folliculo felleo fuerunt obſervati, vid. Benjam. Bened. Petermann *Obſ. medic. Dec. II. Obſ. 10. p. 42.* De quatuor calculis a lithotomo ex pueri peni extractis, vid. Vit. Riedlin. *Millenar. Curar. med. Obſ. 468. p. 281.* Quatuor lapillos marmoris ad inſtar, ex fuſco & albo variegatos in Celſiſſimi Principis ab Auersperg cyſti fellea, omni bile deſtituta, fuiſſe repertos, teſtatur Marcus Gerbezius *Ephemerid. Acad. N.C. Cent. I. & II. Obſ. 57. p. 128. ſq.*

§. 5.

§. 5.

Juvenis excarnis, calidiſſimi temperamenti, ſicca & exuſta excrementa deponens, in imo ventris dolorem experiebatur immanem; uno die alvinas fæces aqua diluens invenit quinque lapillos duriſſimos, quorum duo lentis, tres ciceris magnitudinem ſuperabant. vid. Zacut. Luſitan. *Prax. med. admir. Lib. III. Obſ. 133. f. 137. ſeq.* De quinque calculis ex pueri pene a lithotomo extractis, vid. Viti Riedlin. *Millenar. Curar. med. Obſ. 468. p. 281.* Cum menſtruis non modo arenulas, ſed etiam quinque lapillos, parvula piſa referentes, per muliebria excretos obſervavit Carolus Joſephus Myllerus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 207. p. 431. ſeq.* Fœmina quædam ultra undecim ſeptimanas plenaria urinæ obſtructione laborans, tandem poſt certum medicamentum cum viginti urinæ libris per veſicam ſimul quinque lapides excernebat, vid. *Tr. von Erzeugung der Menſchen S. I. M. D.* (fortaſſe Sam. Janſon. Med. Doct.) *Cap. 19. p. 149.* *quinque*

§. 6.

In Nicolai Meiſneri uxore veſicula fellis plane exſiccata reperiebatur & in ſex flavos lapides, friabiles tamen concreta, qui loco fellis in cavitate continebantur, annotante Johanne Tackio *Chryſſogon. animal. & mineral. p. 30.* *ſex*

§. 7.

In Johannis Heurnii veſica urinaria ſeptem calculi magnitudine juglandis majoris reperti ſunt. vid. Gualt. Charleton *de Lithiaſ. Cap. 1. p. 109. ſeq.* Petr. Pawii *Obſ. 30. p. 44.* In veſica Viri cujusdam diu calculo vexati veſica ſeptem calculos nucis moſchatæ magnitudinem æquantes fereque libram mercatoriam ponderantes, repertos fuiſſe ſcribit Stephanus Blancardus *Anat. pract. Cent. II. Obſ. 96. p. 381.* *ſeptem*

§. 8.

octo In muliere triginta annorum cyſtim felleam, tactu duriuſculam & octo diverſæ, ſed notabilis magnitudinis calculis refertam reperit atque delineat Mauritius van Reverhorſt *de Motu bilis p. 45. ſeq.*

§. 9.

novem Lapidem orbicularem ex novem aliis figuræ triangularis ſibi invicem incumbentibus facilique manu ſeparabilibus in hydropici cujusdam veſica fellea obſervavit Andreas Cnœffelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 206. p. 381. ſeq.* Calculos novem anguloſos, flavos nec oppide duros a fœmina per alvum excretos annotavit Olaus Borrichius, vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. V. Obſ. 65. p. 185.* In Franciſci Segeri, Chirurgi Gœrlicenſis ſenioris cyſti fellea novem calculi, magnitudine nucis moſchatæ, viridiuſculi ponderisque leviſſimi videndos in ſectione ſe obtulerunt, teſte Ehrenfrido Hagendornio *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Hiſt. 40. p. 210.*

§. 10.

decem Reverend. & Illuſtr. Principis Henrici Julii Halberſtadienſium Epiſcopi veſica fellea decem levibus lapidibus, extra luteis, intus nigricantibus repleta fuit; referente Caſpare Theophilo Bierling. *Adverſar. Curioſ. Cap. I. p. m. 5.* In Viri cujusdam apoplexia mortui cyſtide fellea decem calculos nitentes, coloris flavi & ſubobſcuri & aliquomodo triangularis figuræ, fabæ magnitudinis repertos refert Petrus Borellus *Hiſtor. med. phyſ. Cent. III. Obſ. 22. p. 217.* Uxoris cujusdam centurionis poſt obitum apertæ veſicula fellis lapillis decem majoribus & aliquot minoribus fruſta Gummi Guttæ referentibus, diſtendebatur, teſte Johanne Theodoro Mœren *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 123. p. 203.* Decem emiſſos calculos in pyxide oſtendebat Italus quidam,

dam, quos in pene antea geſtarat, teſte Henrico ab Heer *Spadacrene Cap. 9. p. m. 78.*

§. 11.

Duodecim calculos, quorum major nucis myriſticæ nucleum æquabat, in Jurisperiti cujusdam veſica vidit Rembertus Dodonæus *Obſ. med. cap. 44. p. 111.* Maxime, vehementem colicam ſpasmodicam cum pertinaci alvi obſtructione Vir quidam Generoſus poſt Thermarum Carolinarum uſum incurrebat, a qua demum poſt duodecim calculorum, magnitudine nucis moſchatæ & ultra, colore vero & conſiſtentia inſtar lapidis dictarum Thermarum cum excrementis per alvum factam dejectionem liberabatur. Horum calculorum cauſam dictus ægrotans ab intermiſſo purgantium poſt Thermas uſu, erga me, derivabat. Totidem calculos quoque ſuper ſpina dorſi circa vertebras lumbares mihi obſervare licuit, de quo caſu jam ſupra *Capite II. §. 62.* egimus. *duodecim Obſervatio.*

§. 12.

Quatuordecim, avellanam mediocrem adæquantes, muco viſcoſo oblinitos, calculos, e ſene quodam, pluribus annis poſt modica corporis exercitia atroci inteſtinorum dolore cruciato, eliminatos obſervavit Nicolaus Guilielmus Beckers, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 70. p. 118.* De ſedecim calculis hanc Obſervationem refert Henricus ab Heer *Spadacren. cap. 9. pag. 78.* Italus quidam ſtipendia merens, ſedecim ſe in penis cole calculos geſtare dicebat, piſis recentibus majores. Juſſi hominem mingere, cum viderem, ipſum mictionem tardius & cum difficultate pubisque compreſſione cœptam, ſicut alias facile continuare proculque urinam jaculari, rogavi, num cerebro conſtaret? me enim non capere, quomodo tot calculi tantæ molis, in ipſo urinario meatu poſiti, tantam urinæ libertatem permitterent. Ille ſubito manu mea peni ſuo *quatuordecim ſedecim*

admota numerare me calculos jubet, numero ſedecim, & quidem tam facile, quam vel globulos precario fune irretitos, vel nodo thoracem vincientes. Teſtor fidem, me quarta poſt ſeptimana tantum ſex inveniſſe, decem emi-
ſeptendecim ctos ſancte affirmabat, eosque in pyxide oſtendebat. Septendecim lapides majores & minores in fœminæ cujusdam, ſeptuaginta unius anni, veſica fellea repertos vide-
octodecim mus in Paul. Schindler. *Obſervat. medic. 54. Schol. p. 101.* Calculos octodecim numero nucis ponticæ magnitudine in Conſtantiæ Acciaroliæ & Elizabethæ Capponiæ veſiculis fellis fuiſſe repertos ex Obſervationibus Nereti Neretii recenſet Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 18. fol. 998.* Poſt applicationem lapidis nephritici Nobilis quidam intra viginti quatuor horas octodecim calculos, avellanæ magnitudinis cum urina rejeciſſe legitur in Bernardi Chriſtini *Practica med. Cent. VII. Obſ. 44. p. m. 415.* Ipſius autem relatio ſic ſonat: In Ortana il Segnor Michiele Cadenzari Gentil'huomo narrava in publico, che in Napoli un ſuo amico haveva dolori di fianchi acerbiſſimi, & che un Spagnuolo le diſſe, che l'haverebbe guarito ſubito, & feceli depoſitare un pegno di valuta di trè milla ſcudi, che la pietra, che l'haverebbe preſtato, non ſi perdeſſe, chè per pagamento non valeva niente, quello depoſitò, & l'applicò al fianco quello pietra datali da quel Spagnuolo, & ſubito il dolore ſpari, che poi tenutola per vinti quattr' hore quello orinò dieci otto calculi groſſi, quanto un avellana, ſenza incommodo, & fù ſano, de poi quella pietra fù compuata da uno per trecento doppie.

§. 13.

viginti Iuvencula quædam vidua poſt atrociſſimos infimi ventris dolores per inteſtina excrevit lapidem ovi columbini majoris magnitudine, verum angulari forma, unum, & dein partitis vicibus ultra viginti minores, triangulares, qua-

quadrangulares, rhomboides & pentagonos cunctos cineritii coloris, qui poſt excretionem parum friabiles erant, tempore autem duritiem acquirebant, teſte Simone Schulzio *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 125. p. 136.* Puer in Batavia inops duodecim annis major dolore veſicæ ponderoſo diu laborabat; tandem circa perinæum auctis doloribus tumor ſeſe prodere cœpit, qui tandem ſponte ad ulcus ſpectabat. Cum vero certo die piſis, in cœnam appoſitis largius indulſiſſet, poſt ſex inde horas pruriginem in perinæo ſenſit intolerabilem; quam ut domaret digitos ungvesque admovit, qui rebellem hactenus tumorem opportune ſolvunt. Mox ſequntur globuli quidam numero viginti, quos ut puer manu excepit, credidit ob figuræ ſimilitudinem piſa eſſe, quæ ante comederat. Accedenti autem chirurgo & rem bene ponderanti apparuit, calculos eſſe piſa exacte repræſentantes. Erant enim lapides piſiformes crena hiloque diſtincti, uti teſtatur Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. phyſico-medic. Lib. I. Obſ. 7. p. 14.* item *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 33. p. 91. ſeq.* Plus quam viginti calculos ex pueri ſex fere annorum ſcroto extraxiſſe chirurgum, ſupra *Cap. II. §. 44.* ex Gerardi Blaſii Obſerv. anat. adduximus. De calculis viginti & ultra, fabæ magnitudinis ab uſu Acidularum Wildulgenſium rejectis, vid. Matth. Ramelov. *Specul. Acidular. Wildung. Lib. II. cap. 21. p. 178.* Supra viginti calculos magnitudine nucem avellanam, quosdam etiam nucem moſchatam majorem, excedentes, ex viri ſeptuaginta annorum veſica extraxiſſe lithotomum quendam refert Vitus Riedlinus *Linear. Med. An. 1698. Menſ. Octobr. Obſ. 15. p. 848. ſeq.* Viginti circiter calculos virgo ſubito terrore perculſa excrevit, teſte Johanne Beverovicio *Quæſt. Epiſtol. p. m. 108.* In Caſpari Ziegleri JCti illuſtris veſica tres & viginti, candidi omnes, & magnitudine

 prope

prope nucem juglandem æquantes fuere deprehenſi, referente Johanne Gothofredo Bergero *Phyſiolog. med. cap. 12. p. m. 200. ſeq.* Quod etiam confirmat Georgius Francus de Frankenau. *Orat. de Studior. Nox. §. 17. Satyr. med. pag. m. 582.* inquiens: Notabile exemplum ipſe olim una cum Collega conjunctiſſimo Dn. D. Joh. Gothofr. Bergero, Vitembergæ, in literatiſſimo JCto Caſpare Zieglero die viridium 1690. denato obſervavi, in cujus veſica urinaria viginti tres magnos lapides, inſtar caſtanearum, in fellea vero duos & viginti diverſæ magnitudinis invenimus. Anno 1645. puero ſexenni viginti quinque calculos, piſi magnitudine ex urethra fuiſſe extractos refert Heinricus a Roonhuyſen *Operat. Chirurg. Lib. I. Obſ. 27. p. 117. ſeq.* Puellam Venetiis viginti quatuor calculos diverſæ formæ & magnitudinis excreviſſe, ex Henr. a Mœnich. *Obſ. 10.* recenſet Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor Lib. III. Tit. 3. §. 70. p. 1107.* In mea autem dicti Mœnichii Editione *p. 41.* legitur puella viginti quinque annorum calculos diverſæ formæ & magnitudinis cum lotio excreviſſe. Filia Rectoris Campenſis ſuccreverant, ab ineunte ætate in medio urethræ ductu plurimi calculi, qui illum paulatim diſtenderunt ad inſtar pugni puerilis, quem tumorem ſexto ætatis anno ablaturus chirurgus, colem prope lineam intermediam ſcalpello aperuit, indeque quinque & viginti calculos, inſtar magnorum piſorum eduxit. vid. Nicol. Tulp. *Obſerv. medic. Lib. IV. Cap. 34. p. 348. ſeq.* Calculos duos & viginti, quaſi ſubluteos, magnitudine diſpari, quorum minimi piſis minutis, maximi modicis fabis reſpondebant, in Badehornio repertos depinxit Johannes Kentmannus *de Calcul. p. 7.* In viri cujusdam ſenatorii veſica fellea, referente Johanne Helwigio *Obſerv. phyſ. med. 81. pag. m. 251.* ſeptem & viginti calculi, quorum quatuor magnitudinem

nucis

nucis moſchatæ æquabant reliquorum magnitudo paulatim imminuebatur, ad piſi majoris, ſed inæqualem rotunditatem, fuere reperti. Lapilli numero viginti ſeptem, octogori, coloris ex flavo fuſci, nigris maculis inſigniti, quorum quilibet ſex grana ponderabat, per alvum ejecti reperiuntur *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſerv. 89. p. 163.* Johannes de With, Senator Amſtelodamenſis, enecatus a calculo, & ſectus deinde a chirurgo, habuit in veſica ſua viginti novem calculos, figura ac magnitudine inter ſe, ut diſpares, ſic forma, glabritie, ac lævitate adeo invicem ſimiles: & tam prope convenientes cum lapide bezoardico, quem fert India orientalis, ut facile vel oculatiſſimo impoſuiſſent Aromatario, juxta Nicol. Tulp. *l. a. Lib. III. cap. 4. p. 195.*

§. 14.

In Mulieris cujusdam, quæ per ſex ſeptemve annos laboraverat, folliculo fellis ultra triginta calculi variæ figuræ diverſique coloris, fuere reperti, quos inter unus nucem moſchatam magnitudine antecellebat, teſte Frederico Bekkers *Exercitat. pract. cap. V. p. m. 229.* Cum Anno 1632. Johannes Helwigius Studii Medici gratia Monſpelii in Gallia verſabatur, Georgius Scharpius, Scotus, tunc temporis in Academia Profeſſor Medicus, in Diſputatione quadam publice narravit, ſe aliquando Monſpelii diſſecto corpore lictoris cujusdam, in cyſtide fellea triginta lapillos carbunculi inſtar pellucidos inveniſſe. vid. Joh. Helwig. *Obſ. 81. p. 251.* Princeps Naſſovienſ. defunctus in folliculo fellis plusquam triginta calculos exhibuit, vid. Joh. Dolæi *Encyclop. Med. Lib. III. Cap. III. p. 592.* Triginta & plures calculos una exploſione, quæ audiri potuit, cum urinis ejeciſſe nobilem quendam ſenem, prolixe recenſet Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. med. phyſ.* *triginta*

phyſ. Lib. I. Obſ. 8. pag. 15. ſeq. In fœminæ, pleuritide extinctæ, utero triginta duos lapides, quorum maximi amygdalæ magnitudinem æquabant, minimi fabis ſimiles erant, reperit Michaël Angelus Morus, Medicus Senenſis. vid. *Act. Erudit. Lipſienſ. An. 1712. Menſ. Aug. p. 348.* Triginta tres lapides, quorum major nucis ponticæ magnitudinem non æquabat, omnesque erant læviſſimi & leviſſimi, in Procuratoris cujusdem Regii veſica inventi ſunt, referente Nicolao Chesneau. *Obſ. Lib. III. Cap. 10. Obſ. 3. p. 355.* Inquit etiam Bernardino Chriſtini *Pratic. Medicin. Cent. VII. Obſervat. 26. p. m. 411.* Fui chiamato per aprire il Signor Governatore di Salazaro, che era morto da ſuppreſſione d' orina, & trovai nella veſſica trenta ſette pietre grandi, ciaſcheduna, quanto una avellana. &c. Et *Obſ. 28. p. 412.* ſcribit idem Autor: Hò parlato con un giovine di Chiozza, che fù il porta lettere, & mi viene riferito da un chirurgo, che per un tempo ſi ſentiva come dolori di morroidi, mà una votta ſe li ſece tumore mez zo da un ſeſſo all'altro, & che ruppe da ſe, per quella parte dicono foſſero cavate da trenta é piu pietre più groſſe di fave egittiache, & ſi ſanò. Anno 1623. Franciſcus Plazzonus in veſica cujusdam ex aula Præfecti Patavini nucis juglandis magnitudine, in modum cretæ albicantes calculos novem ac triginta numeravit; vid. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 24. p. 122.* Triginta quinque calculos, magnitudine piſi ferme majoris, angulati, friabiles, aquæ innatantes, inflammabiles, & intus nucleum nigrum habentes in veſicula fellea infanticidæ cujusdam in ſectione publica ſe obſervaſſe refert Adamus Brendelius *Obſ. anatom. Dec. I. Obſ. 6. p. 20.* In viri cujusdam nobilis, cui paulo ante ex veſica urinaria calculus duarum unciarum pondere exſectus erat, cyſtide fellea triginta lapides, e quibus unus caſtaneam, alter avellanam

lanam magnitudine æquabant, poſt mortem deprehendebantur, vid. Stephan. Blancard. *Anatom. pract. Cent. II. Obſ. 34. p. 328. ſeq.*

§. 15.

Quadraginta duos calculos diverſæ magnitudinis Anno 1681. ex octogenariæ utero, a viginti annis propendente, partim inſtrumentis, partim ſolis digitis extraxit Fredericus Ruyſchius, cujus vid. *Obſerv. Anatom. Chirurg. Obſ. I. pag. 1. ſeq.* quo loco etiam magnitudinem atque figuram horum calculorum delineat, videatur etiam ejusdem *Theſaur. anat. 1. p. 2.* Plus quam quadraginta calculos ex Antonio Muſa Braſſavola & quadraginta duos e Jacobi Whitackeri, annum ſexageſimum ſeptimum agentis veſica extractos ex Johannis Grœneveld Diſſertatione lithologica allegat Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. p. 1107.* Plus quam quadraginta variæ magnitudinis calculos, friabiles tamen omnes in Celſiſſimo quodam Principe ſe reperiſſe ſcribit Johannes Schmidius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 55. Schol. p. 144.* Anno 1672. Menſe Januario Aurifabri cujusdam uxor peripneumonia extincta eſt, in cujus veſica fellea reperti ſunt quadraginta quatuor lapilli, quorum maximus fabam æquabat, reliqui piſi & lentis erant magnitudine, ſecundum Obſervationem Theophili Boneti *Sepulchret. Lib. III. Sect. 18. f. 998.* *quadraginta*

§. 16.

Concionator quidam totius Quadrageſimæ tempore quinquaginta excluſit calculos, inter quos unus erat curioſæ figuræ; ſceptrum enim turcicum repræſentabat, in cujus ſummitate ſemiluna conſpiciebatur, referente Joſepho Lanzono *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 90. pag. 162.* Recenſet etiam Chriſtianus Frider. Garmannus *de Mirac. Mort. l. a. p. 1107. ſeq.* in vicinia ſua (ſc. prope Chemnicium) *quinquaginta*

Virum quendam Reverendum intra horæ ſpatium quinquaginta cum urina calculos excreviſſe, hosque ſibi transmiſiſſe. Calculos quinquaginta ſeptem piſorum majorum magnitudine in veſica fellis repertos ſcribit Joh. Adam. Lospichlerus *Ephem. Cent. I. & II. Obſervat. 152. pag. 317.*

§. 17.

ſexaginta Virgo quædam, nomine Gertrudis Fornhotz, annorum trium & quinquaginta, conquerebatur, ſe ante duos annos fere Lippiæ graviter cecidiſſe & abdomen ad angulum ſcalæ offendiſſe. Nihil autem incommodi inde ſenſit, niſi quod ſæpe poſt prandium ac cœnam male affecta fuerit: Inter poſt exiguos in abdomine perceptos dolores, ſenſim in hypogaſtrio dextrorſum, quatuor circiter digitos infra umbilicum levis ſine ulla inflammatione apparebat tumor dimidiæ nucis baſilicæ magnitudinem repræſentans, ac inſolitos aliquot punctoriosque ad ultimum cruciatus afferens. Hoc lanceola pertuſo primo ichor, die autem quinto, ſexto, ſeptimo atque octavo lapides prodibant ſexaginta quatuor, juxta Obſervationem Hermanni Werneri Engelberti de Weſthoven. vid. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 20. p. 23. ſeq.* Calculi autem a dicto Autore ad Præſidem Academiæ ſimul cum Obſervatione transmiſſi, ſunt teſſellatæ figuræ, ad magnitudinem teſſerarum Helvet. Badenſium fere accedentes, flaveſcentis coloris, nullius ſaporis; &c. Sexaginta ſeptem lapilli forma paulatim triangulari, quinquangulari, quorum novem avellanæ magnitudinem reliqui piſa adæquabant Anno 1661. in Cardinalis Guilelmi veſicula bilis inventi ſunt, vid. Joh. Helwig. *Obſ. 81. p. 251.* Sexagenarium quendam primo calculum nucleo dactyli magni ſimilem, purpureum, & durum, poſtea decem dierum ſpatio ſexaginta quinque calculos, ciceris forma & magnitudine per

veſicam

veſicam excreviſſe, ex Avenzoar adducit Thomas Burnet. *Theſaur. medic. pract. Lib. III. p. 133. ſeq.*

§. 18.

De Mercatore, in ætate octoginta annorum conſtituto, qui poſt vini Hungarici uſum mane urinam emiſſurus, ſeptuaginta calculos, piſorum magnitudine, duorum triumve granorum pondere, glabros, rotundiuſculos &c. altero die, continuato vini Hungarici potu, ſexaginta ſex pluresque alios excrevit, vid. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. III. Obſ. 92. p. 228. ſeq.* Plures quam ſeptuaginta duos calculos felleos, a viro icterico per alvum rejectos annotavit Andreas Petermannus *Diſput. de Icter. ex Calcul. Veſicul. fell.* Intra octo dierum ſpatium Monialis quædam annorum novendecim ſeptuaginta novem calculos ſatis magnos depoſuit, annotante Joſepho Lanzano *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 90. p. 161.* Rumoldus van der Borcht Leopoldi Romanorum Imperatoris Prothomedicus ætatis anno ſexageſimo quarto, poſtquam annis quamplurimis atrociſſimo iſchiadico dolore cruciatus, aſthmate ac orthopnœa, ut non niſi erecta cervice ſpirare poſſet, defatigatus, auriginoſo corripitur morbo, quorum morborum vehementia natura devicta fatis ceſſit. Cadavere exenterato ſeptuaginta duo lapilli coloris flavo-ſubnigri, fabarum minorum ac piſorum magnitudinem adæquantes in veſica fellea ac poris cholidochis reperti fuerunt, ſecundum Nicolai Guilielmi Beckers Obſervationem, *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 44. p. 134. ſeq.* Ultra ſeptuaginta calculos ex ſcroto intra paucos dies extractos in Gerard. Blaſii *Obſervat. anat. p. 131. ſeq.* legimus. In octogenariæ mulieris veſica fellea Guidonem Patinum Lutetiæ ſeptuaginta quinque lapillos quadratos inveniſſe, ſcribit Johannes Daniel Horſtius *Manuduct. ad Medicin. Part. I. Sect. 3. p. m. 104.*

§. 19.

octoginta. In Cadavere Marnixii Aldegundii Leydæ Anno 1594. Johannes Heurnius in altero rene calculos parvos ſeptuaginta, in altero octoginta obſervavit, licet dictus Adélgundius nunquam de ullo nephritidis ſymptomate conqueſtus fuerit. vid. Joh. Fernel. *Patholog. Lib. VI. cap. 12. Oper. Tom. II. pag. m. 176.* In veſica fellea cujusdam cadaveris humani octoginta lapillos lucidiſſimos, nigri coloris repertos fuiſſe, inquit Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 90. p. 162.* Et in veſica Dn. Peletier plus quam octuaginta calculos inventos ex Kenelmo Digby adducit Chriſt. Frid. Garmannus *l. a. p. 1108.*

§. 20.

nonaginta. Nonaginta calculi magnitudine fabarum, anguloſi, ſed figurarum irregularium, tactu molliuſculi in veſicula fellea mulierculæ a Franciſco Sylvio in Noſocomio diſſectæ inventi ſunt, teſte tunc temporis præſente Olao Borrichio vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt. 85. p. 362.* Affirmavit etiam chirurgus Edmundiburgenſis, nomine Goodrick, ſe ipſum adoleſcentulo calculos exſcidiſſe, & ex veſica una vice exemiſſe nonaginta ſex calculos exiguos ſingulos diſſimiles figura, magnitudine, angulis, lateribus, eorumque nonnullos ita fuiſſe detritos, ut ſuper aliis quaſi fluerent, nacti lævitatem incredibilem. vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſ. Anglican. 1667. Menſ. Jun. p. 388.* Anno 1661. Profeſſor Grœninganus Eyſſonius in folliculo fellis invenit calculos numero duos & nonaginta, quorum alii pentaëdri, alii tetraëdri, alii aliarum figurarum. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. App. p. 22.* Fuit in Pruſſia Ducali non procul Melſacro quidam inſignis conditionis nobilis, nomine Sak in villa Eichholz, ex cujus cyſtide fellea nonaginta novem lapides, piſorum magni-

tudinem

tudinem æquantes inventi ſunt, uti refert Andreas Cnœffelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 206. p. 383.*

§. 21.

In Principis cujusdam Celſiſſimi, ſtaturæ brevis, melancholici, ſedentariam agentis vitam, & gibboſi corpore balſamationi poſt mortem deſtinato, ren ſiniſter ad minimum centum parvos lapillos continuit, teſte Antonio de Pozzis *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 29. p. 30. ſeq.* Mulier quædam poſt continuum aquæ chamomillæ uſum primo lapillum unum alterumque, poſtmodum in ſingulos fere dies cum urina lapillos reddebat tantæ multitudinis, ut ſanitati reddita ultra centum, unius magnitudinis, piſum maiuſculum adæquantes, numeraret, vid. Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Hiſt. 38. p. m. 206.* vid. etiam *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 163. p. 388.* Ultra centum grandines flavos inſtar nucis avellanæ per ſeceſſum excrevit Celſiſſima quædam Princeps ictерica, quinquaginta trium annorum, cujus curam recenſet Johannes Ferdinandus Hertod. *M. N. C. l. a. Obſ. 99. p. 102. ſeq.* Poſt uſum aquæ parietariæ una hebdomade plus quam centum calculi, cicerum magnitudinem, colorem & figuram referentes Vir quidam excrevit, vid. Iſaac. Cattier. *Obſ. 1. p. 10.* Centum & ſeptem calculi in veſica urinaria Johannis Schuderi, Conſiliarii Saxonici, præter octo in folliculo fellis, reperti fuerunt. vid. Johann. Weickmann. *Relat. de Mort. Schuder. p. m. 24.* Ex folliculo fellis extraxit Anno 1618. Lugduni Batavorum Henricus Florentius centum & viginti quatuor calculos quadratos ejusdem fere magnitudinis & craſſitiei, vid. Joh. Dolæi *Encyclopæd. Med. Lib. III. cap. 13. p. 592.* Anno 1568. ex veſica fellea Illuſtr. Henrici Ducis Brunſuicenſis extracti ſunt ad centum lapilli compacti, ut grana in pomo granato inveniri ſolent, aut ſemina in ſpica grani Turcici, uti refert Reinerus Solenander *Conſil. Medicin. Sect. V.*

centum.

Conſ. 16. fol. 493. Mulier quædam ſeptuaginta & aliquot annorum ex abſceſſu lateris dextri calculos ex ruffo flaveſcentes ultra centum & plures, piſi aut circiter quantitate ſucceſſive cum pure excrevit, quæ denique hydropica deſpiravit, referente Roſino Lentilio *M. N. C. Dec. III. An. 3. & 6. App. p. 128.* Centum & quadraginta calculos diverſæ magnitudinis & figuræ ex viri cujusdam honeſti veſica bilaria ſe extraxiſſe dicit Mauritius van Reverhorſt *Diſſert. de Mot. Bilis circular §. 56. p. m. 46.* Molitoris cujusdam Ingolſtadienſis uxorem ad centum & quinquaginta, & ultra, lapides per alvum excreviſſe ſcribit Johannes Faber ad Gregorium Horſtium, cujus vid. *Oper. Tom. II. Lib. IV. Obſ. 47. fol. 236.* Supra centum & quinquaginta calculi, quorum maximus nuclei caſtaneæ majoris, medii autem piſi phaſeolique minimi tandem lentis magnitudinem æquabant, in Ungari cujusdam folliculo fellis reperti fuerunt, referente Chriſtiano Mentzelio, *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 181. p. 421.* In Principis cujusdam veſica urinaria prope collum calculos nigros & nondum ſatis induratos, piperis magnitudine, plus quam centum inventos fuiſſe communicat Georgius Hieronymus Velſchius *Epiſagm. Obſ. 62. p. 38.* In mulieris quadraginta octo annos natæ, ſæpiusque ictero laborantis cadavere aperto veſica bilaria magna centum & ſexaginta calculis triangularibus, & quadrangularibus, ſed diverſæ magnitudinis referta erat, juxta Freder. Dekkers *Exercitat. pract. Cap. VIII. p. m. 689.*

centum & quinquaginta

§. 22.

ducenti

De vidua ſexaginta annorum ducentos calculos excernente, hanc Obſervationem communicat Daniel Crugerus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 14. p. 42.* Matrona ſexaginta annorum incidit in ſuppreſſionem urinæ totalem concomitantibus doloribus nephriticis. Continuatis

autem

autem vulgaribus quibusdam remediis, ibidem deſcriptis, ſingulis diebus ad minimum quindecim excrevit calculos, æquales, quaſi in una forma fuiſſent compacti, magnitudine piſorum; Excretionemque hanc tamdiu continuavit, usque dum numerum ducenteſimum compleret, & ni remedia prædicta in uſum adhiberet, urina mox cum calculis ſubſiſtebat. Poſt ſemeſtre ſpatium eodem parturiendi calculos conatu afficiebatur matrona prædicta, iterumque eodem modo ducentos edidit lapillos. Frederico Dekkers obſtetrix quædam placentam uterinam oſtendit, de qua ipſe ultra ducentos calculos variæ magnitudinis & figuræ, pleroſque tamen vel triangulares, quadrangulares, quinquangulares, ſexangulares vel ſeptangulares, ſed friabiles, non durioris ſubſtantiæ decerpſit & nonnullis oſtendit, inter cæteros unus nucem moſchatam vulgarem magnitudine ſuperabat. v. Dekkers *Exercit. pract. Cap. VIII. p. 666.* quo loco eosdem delineatos reperies. Gli Signori Accademici da Breſcia riferiſcono ne' ſuoi Atti, che haveſſero oſſervato 224. pietre di figure diverſe, cioè ovate, tetragone, orbiculari, acute, o piramidate, ed alcune nodoſe, tramandate nello ſpazio di due anni da una monaca, e che aſſertivamente queſto numero non era la quinta parte dell' altre trasmeſſe nell' accennato tempo; erano queſte di colore tra ſe diverſo, cioè bianco, candido, opaco translucido, ferrugineo, piombato, ed aureo ſomigliante all'oriental Belzoaro ed altre di miſchio colore &c. vid. *Giornal. de' Letterat. dell' Anno 1686. p. 33.* In fœminæ cujusdam, aſſidua virium proſtratione vitam agentis & tandem hinc defunctæ, veſicula fellea plusquam ducentos lapillos, magnitudinem partim piſi, partim lentis, referentes inventos fuiſſe, recordatur Chriſtian. Langius *Patholog. animat. cap. 43. §. 8. p. 415.* Intra anni unius ſpatium ducentos & viginti calculos, diverſæ magnitudinis, imo ad drachmam

drachmam unam & ultra, diverſis vicibus, mulierem quandam poſt certum medicamentum per vias urinarias excreviſſe, refert S. I. *von Erzeugung der Menſchen, Cap. 19. p. 149.* Calculos ducentos & triginta tres, unum nucis juglandis, reliquos fabæ & piſi magnitudine, virum quendam nobilem quadraginta annorum per alvum rejeciſſe, ſcribit Johannes Faber in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 236.* Et *fol. 238.* Bernhardus Stiberus in Valentini de Hëes, lenta tabe extincti fellea veſicula lapillos plus quam ducentos fere, partim quadrangulos, partim alios repertos fuiſſe, addit. Ducentos calculos & plures Scotus quidam quatuor ſeptimanarum ſpatio per alvum excrevit, teſte Paulo Barbette *Anatom. pract. Cap. 2. p. m. 123.*

§. 23.

trecenti De adoleſcente anno ætatis decimo tertio usque decimum quintum circiter trecentos lapides, quorum nonnulli aut nucis, aut caſtaneæ magnitudinem adæquarunt, per membrum virile excernente, vid. Guilh. Fabric. Hildan. *Obſervat. Chirurg. Cent. I. Obſ. 69. fol. m. 52.* Item Johannem Wolfium Civem Bernenſem intra paucos dies prope trecentos lapillos e renibus per virgam excreviſſe refert idem Autor *de Lithotom. Cap. II. pag. m. 27.* Juxta Nicol. Tulpii *Obſ. med. Libr. II. cap. 47. p. 182.* Anus ſeptuagenaria unico impetu, quaſi relaxatis renum repagulis, trecentos amplius calculos eminxit. Ibidem etiam dictus Autor eundem numerum in uxore cujusdam Præfecti Societatis Indiæ orientalis vidiſſe addit. De Mercatore quodam, qui in ætate octoginta annorum conſtitutus, continuato vini Hungarici potu, ſpatio quinque dierum ultra trecentos calculos, præter complures arenulas ejecit, vid. Lucas Schœckius *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 92. p. 228. ſeq.* De calculis quadringentis per urinam rejectis ſcribit Dominicus Panarolus *Pentecoſt. II. Obſ. 34. p. m. 51.* ſe

mulierem curaſſe, quæ duorum menſium ſpatio plus, quam quadringentos calculos excrevit per urinarios meatus differentis tamen magnitudinis propinato ſpiritu vitrioli cum aqua graminis, ad aciditatem. Veronæ Joannis Baptiſtæ Cauponis uxori poſt diuturnam febrem erraticam & inſignem ventris duritiem, intra quindecim dies cum pure prodiiſſe cicerum magnitudine calculos ferme quadringentos ſubcrocei coloris; non admodum duros, refert Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 99. p. 105.* Commiſſarium quendam, Pincknæum, Anglum, in viginti annorum ſpatio nephriticis torminibus anxie conflictatum, calculos plus minus quingentos e renum finibus effuſos eminxiſſe, recenſet Gualtherus Charleton *Diatrib. de Lithiaſ. Sect. II. cap. 1. p. 108 ſq.* quos calculos omnes, in pyxide eburnea aſſervatos amicis ſuis conſpiciendos, exhibere ſolitus eſt. In Ungari cujusdam cyſtide fellea non ſolum ſupra centum & quinquaginta calculos fuiſſe repertos majores, ſed poſtmodum etiam ex reliqua ſaburra adhuc ultra quingentos minores, & ſic in univerſum plures, quam ſeptingenti, fuiſſe collectos, teſtatur Chriſtianus Mentzelius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 81. p. 421.* De Johanne Wolfio, quem intra paucos dies prope trecentos lapillos excreviſſe e renibus per meatus urinarios ex Guil. Fabric. Hild. *Lithotom. p. m. 27.* allegavimus, idem Autor bona fide confirmat, quod intra biennium plus, quam mille calculos excreverit. De Virgine, quæ febre laborans absque ullo medicamento ſola aqua per quatuordecim dies contenta, denique per guttur inferius ultra mille lapillos nucleis meſpilorum vel mali aurei non abſimiles egeſſit, v. Georg. Abrah. Mercklini Obſervationem *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 96. p. 221.* Theologi Muhlhuſani calculos bis mille & plures, paucorum annorum ſpatio, mingendo reddentis, meminit Iſaacus Cattierius *Obſ. 1. Litholog. p. m.*

quingenti *ſeptingenti* *mille* *bis mille*

p. m. 11. & quidem ex Felice Platero cujus videantur *Obſ. Lib. III. p. m. 893.* vid. etiam Gualt. Charlet. *de Lithiaſ. l. a.*

§. 24.

Plurimi. Plurimi inſuper nonnunquam absque certi numeri ſpecificatione apud Autores calculi reperiuntur; in mulieris enim quadraginta annorum, de continuo ventriculi dolore, tumore, nauſea & inappetentia diu conqueſtæ, poſt mortem aperto abdomine in fundo ventriculi lapilli ſunt inventi, nullo cohærentes vinculo, ſed granorum pomi inſtar ſeſe mutuo amplectentes, tam copioſi, ut binas volas manuum implerent. vid. Wolffg. Hœfer *Hercul. Medic. Lib. III. Cap. 1. p. m. 169.* Sacculum plenum calculis diverſæ magnitudinis, atque arenulis inter duplicaturam peritonæi in fœmina quadam, miſere per annum decumbente, reperiſſe Johannem Baptiſtam Lamzbwerdt, ex ipſius communicatione recenſet Johannes Theodorus Mœren *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 129. p. 251. ſeq.* Henricus ab Heer *Spadacren. Cap. IX. p. m. 78.* Religioſi cujusdam meminit, qui non tantum plures calculis duriſſimis plenas capſulas, ſed etiam duas veſicas ſex latos digitos longas, minimo digito craſſiores, arenis undique confertiſſimas cum internecino dolore emiſtas videndas præbuit. De mictione lapidea pueri decennis, qui per trimeſtre ſpatium duodecim uncias cum dimidia per anum & urinam ab incantatione excrevit, vid. Thom. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. III. Ep. 59. p. 234. ſeqq.* Exemplum mictus calculorum fractorum refert etiam Nicolaus Tulpius *Obſerv. med. Lib. IV. cap. 36. p. 351. ſeqq.* ſcilicet Thomas Fontanus, ſenex ſumme humanus, exantlatis aliquandiu acerbiſſimis urgentis urinæ cruciatibus eminxit tandem plurimos calculos, colore varios, & forma moleque diſpares, quorum alii in conſpectum prodiere glabri, ac politi, alii viciſſim angulares vel ſphærici: Imo nonnulli quaſi ſerrula a ſe invicem

cem præciſi. Quod inuſitatum ſpectaculum eo majorem movit admirationem, quo deinceps excreverit plures, effractorum calculorum, cortices, qui æquantes unguem humanum, ſeni ſeptenive ſingulis interdum prodiere diebus. Juxta Henr. a Moinichen *Obſ. 10. p.m. 41.* Venetiis puella viginti quinque annorum calculos formæ diverſæ & magnitudinis cum lotio excrevit, quibus ſimiles etiam vomitu ejecit. Et Joſephus Lanzonus *Schol. in eandem Obſervat. p. 42.* inquit, ſe Anno 1682. Ferrariæ cum Præceptore ſuo, Johanne Baptiſta Juſtino, Virginem obſervaſſe, quæ per vomitum multos lapillos coloris cœrulei excreverit; & ſic a ſtomachi continua paſſione liberata fuerit. Vir quidam annos natus quadraginta octo iſchuria ſeu urinæ ſuppreſſione per ſeptem dies ac noctes continuas laborabat; poſtquam autem Thermis Mainersdorfenſibus, quæ a Vienna quatuor milliaribus abſunt, per biduum inſediſſet, per intervalla in octavi diei aurora ſubito, cum impetu quodam, ſeroſam, turbidam, craſſam urinam mingere, atque ſimul cum urina valde copioſa ad libras ſex aliquot calculi fragmenta acutiſſimos angulos habentia excernere cœpit, quorum aliqua cicerum, aliqua piſorum inſtar erant &c. v. Diomed. Cornar. *Obſ. med. Cap. 17. p. 32. ſeq.* Cum vir quidam ſenex calculi renalis impetum ter expertus poſt ultimum morbum corpus refecturus amicum certum ruri inviſeret, jamque mediocriter vino potus domum curru repeteret, evenit media propemodum via, ut urina vehementer urgeret; quam cum intempeſtivo pudore adactus in illa aliorum præſentia mittere non auderet, accidit, ut præ nimia urinæ inſtantis violentia aurigam rogare cogeretur, currum tantiſper retineret. Itaque curru deſcendens cum nihil præter urinam exſpectaret, illa ſubſiſtere paulum; mox oborta capitis vertigine & majore mejendi conatu, una exploſione, quæ &

audiri poterat, juxta cum urinis imber prorupit calculorum, non tam doloris, quam moleſtiæ cujusdam, ſenſu notabilis. Colligit ergo fundo ſparſos in orbem calculos, inſtar glandium ſclopeto emiſſarum, non unius omnes figuræ, nec magnitudinis; unum tamen, ſupra quam crederet, in centro magnum, quem cæteri indefinitæ quantitatis & numeri ambibant: Collectos in conum papyraceum domum refert, quorum numerus deprehendebatur eſſe ſupra triginta, præterquam quos terræ ſinus graminaque abſconderent &c. juxta Obſervationem Joh. Nicol. Pechlini *Obſerv. phyſ. med. Lib. I. Obſ. 8. p. 15. ſeq.* Sic plurimos lapillos ex epatis abſceſſu & ſubſequente fiſtula vidit Godofredus Thileſius, diverſæ magnitudinis atque figuræ, quorum numerus novem annorum ſpatio excretorum, quingentarium aut ſexcentarium numerum adæquavit, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 105. p. 242.* Et Gottofredus Samuel Poliſius *ibid. An. 9. & 10. Obſ. 104. p. 263.* ſacculum ſeu involucrum membranaceum, hepati annexum invenit, cujus ſacculi pars inferior ultra dimidium referta fuit innumeris calculis concinne impactis, & quidem ad formam ſeminum tritici turcici. Viri cujusdam Illuſtris veſiculam fellis bile exinanitam, lapillis autem ſiliceis diverſæ magnitudinis refertam vidit Johannes Georgius Volckamerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 71. p. 97.* De Margareta Lauwera numeroſos & variæ magnitudinis, coloris & conſiſtentiæ lapides per vomitum ejiciente, vide ſupra *Cap. II. §. 32.* Ex Arthritici cujusdam corpore plus lapidum extractum fuiſſe, quam ipſe penderet, non modo ex Iſaaco Caſaubono allegat Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 30. p. 39.* ſed ſeipſum quoque in Arthritico quinquagenario multos lapillos, poſt diros ſtomachi cruciatus mediante vomitu exeuntes vidiſſe, ſimilemque calculorum quantitatem ſuum parentem per

vomitum

vomitum ejeciſſe refert. Senex quidam ſummo inteſtinorum dolore laborans pondusque in inteſtinis ſentiens magnam vim lapidum poſt enemata excrevit, ſecundum Jul. Cæſ. Scaliger. *de Subtilitat. Exercit. 108. §. 3. p. m. 395. ſq.* Calculos & arenulas copioſas in ſecundina a puerpera nephritica matre oriunda, edita reperit Theodorus Zwingerus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 137. p. 238. ſeq.* Pertinet huc etiam Obſervatio Antonii Vallisnerii de Monacho Caſſinenſi, Clemente Parileno viginti unius annorum, qui tota hyeme tali ventris ſtypticitate laboravit, ut quandoque ad duodecim, quindecim & viginti dies fæces non exoneraret, cui tamen alvus poſt varia remedia obediens reddita eſt. Poſtea urinæ difficultas apparuit, qua, prodeunte calculo, liber evaſit, ſed qualibet hebdomada dolor incurſabat gravior, majoris molis indies exeunte calculo. Eo tandem devenit, ut quarta qualibet die duorum menſium ſpatio, acerbioris ſemper attritus doloribus, calculum indies mole majorem ejiceret, quorum ultimus grana octoginta ponderabat. Sed quando jam ſanus credebatur, qualibet die per tres hebdomadas tantam fragmentorum lapidum copiam excrevit, ut ſingulis diebus unciæ unius ac ſemis pondus æquaret, ita ut una cum calculis jam excretis tota petrificata materia ſex libras & ultra ponderaret &c. vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 74. p. 167.*

CAPUT V.

De Calculorum Colore.

§. 1.

Ratione coloris differunt etiam calculi, uti ex hactenus dictis ſufficienter patet. Reperiuntur videlicet interdum calculi albi & inſtar cretæ, quales Anno 1623. Franciſcus *Calculorum color.* *Calculi albi.*

ciſcus Plazzonus in veſica cujusdam ex aula Præfecti Patavini nucis juglandis magnitudine in modum cretæ albicantes novem ac triginta numeravit; vid. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. III. Obſerv. 24. p. 122.* In viri ingenioſi & docti, viginti annos calculo veſicæ laborantis tandemque ſuppreſſa omnino urina immani cruciatu vitam finientis, veſicæ capacitate lapis rotundus duriſſimus, albicantis coloris, octodecim uncias pendens inuentus eſt, referente Zacuto Luſitano *de Prax. medic. admir. Lib. II. Obſerv. 70. Oper. Tom. III. fol. 58.* quo loco etiam alius e corpore diſſecto extracti calculi, triginta duarum unciarum pondere conſtantis, ſilicis colore, mentionem facit. Calculi cryſtallini, ſeu cryſtallina duritie & ſplendore tantaque magnitudine, ut pro ſigillo potuiſſet uſurpari, meminit Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 29. p. 53. ſeq.* In Epiſcopo Senogalienſi lapidem album inſignis magnitudinis, principium vaſis urinarii occupantem, reliquum vero cavitatis renum innumeris fere lapillis, ejusdem coloris repletum vidit Bartholomæus Euſtachius *Tract. de Renum Structur. Cap. 45. p. m. 122. ſeq.* Unde etiam concludit dictus Autor ſolo colore calculos renum a calculis veſicæ diſtingvi non poſſe, quamvis multi medici lapides rubeos & croceos in renibus, albos vero & cineritios, in veſica reperiri ſcribant. Calculi Meiſneriani, quorum ſupra mentionem feci, alabaſtri candidiſſimi colorem præ ſe ferebant, calculum candicantem & grana tredecim pendentem in fatui cerebro reperit Theodorus Kerckringius *Obſerv. 35. p. m. 77.* Chriſtianus Mentzelius *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſerv. 33. pag. 76.* Calculi in cerebro damæ reperti mentionem facit, qui totus candicabat & tenui cuticula erat veſtitus; intus etiam ſubſtantia penitus erat alba inſtar cretæ aut gypſi, cujus naturam habere videbatur. Cauſam hujus albedinis hanc reddit ibidem Mentzelius, quod dama

dama illa herbis in ſcopulis calceis gypſeisve naſcentibus enutrita fuerit, unde levior gypſeæ ſubſtantiæ pars cum ſangvine & humoribus nutrientibus ad cerebrum delata & in aliqua particula meningis collecta, vel in calculum coagulata fuerit. Lapis etiam coloris albicantis, inæqualis, magnitudine amygdali, ſaccharo incruſtati, figuræ quoque non multum diſcrepantis ex abſceſſu ſub lingua eductus eſt. vid. Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gall. An. 1. Jun. Obſ. 7. p. 99.* Generoſum quendam virum quotidie ſepties aut pluries cum ſicca tuſſi tres quatuorve calculos, grana ſinapi æquantes, colore candidos, duros, excreviſſe refert Zacutus Luſitanus *Prax. med. admirab. Lib. I. Obſ. 104. Oper. Tom. III. f. 24.* Et Richardus Morton lapides cretaceos in pulmonibus concretos ſæpius ſe obſervaſſe ſcribit *Tract. de Phthiſi Lib. III. cap. 6. pag. m. 137.* In mulieris cujusdam quinquaginta annorum cordis ſubſtantia muſculoſa calculum durum, album, reperit Gerardus Blaſius, vid. ejusdem *Obſerv. med. Part. VI. Obſ. 13. p. m. 80.* In viri cujusdam robuſtiſſimi & audaciſſimi cerebro, ad falcis dextram partem lapidem parvum ſed ſilicem duritie & candore æmulantem deprehendit Güntherus Chriſtophorus Schelhammerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 131. p. 332.* Aperto Comitiſſæ de Nadaſti, in partu extinctæ, ventre repertus fuit lapis, magnitudinem ovi anſerini referens, ponderis leviſſimi, intus candicans, ac ſi ex contritis adamantibus coagmentatus fuiſſet, referente Paulo de Sorbait *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 106. pag. 179.* Ex veſica pueri quadrimi calculum rotundum ſeu globoſum & inſtar cretæ candidum ſed durum in ſcrotum protruſum atque exinde ſuppuratione facta rejectum fuiſſe, ſcribit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſt. 8 p. 227.* In Mercatoris Warſavienſis filiolæ annorum quinque, ſuppreſſione urinæ defunctæ, veſica lapis albus,

albus, oblongus, aliquomodo ſpongioſus, ſed tamen gravis, fuit inventus, teſte Andrea Cnœffelio *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 65. p. 55.* Calculum nucis moſchatæ inſtar ac pumicis ſubſtantiæ admodum ſimilem ſed colore candidiore ex abſceſſu in ingvine prodeuntem annotavit Cornelius Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Part. prior. Obſ. 92. p. 381. ſeq.* Per eundem locum etiam in mendico viginti quatuor annorum calculum candidiſſimum, glabrum, glandis quernæ magnitudine, exſilire annotavit Roſinus Lentilius *Miſcell. Med. Pract. Part. I. p. 261.* Lapillum minimum inſtar cryſtalli candidum atque duriſſimum, in ſiniſtra pedis mei planta, ad perioſtium penetrantem atque inſtar clavi me vexantem ipſemet mihi effodi. Calculum ex medietate teſticuli virilis exſectum propter adamantinam pelluciditatem annulo inſertum poſſedit Gubernator Promontorii bonæ ſpei, referente Wilhelm ten Rhyne *de Hottentott. cap. 10. p. m. 34.* Lapidem albicantem, fabæ magnitudine, per alvum excrevit Vir, Thermis Badenſibus pro calculi doloribus, quibus affligebatur, mitioribus reddendis, utens, juxta Diomed. Cornar. *Obſerv. med. cap. 2. pag. 4.* De calculo marmoreo ſtriato in pulmone reperto, v. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. M. Sept. p. 347.* In fellea cyſti quoque albos calculos ſe inveniſſe ſcribit Cecilius Folius, vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. I. Epiſt. 62. p. 254.* Lapidem ex materia gypſea concretum & membrana incluſum in poſteriore parte capitis ſub ſutura lambdoidea inter duram & piam matrem invenit Guilhelmus Fabricius Hild. *Obſ. Chir. Cent. I. Obſ. 11. fol. m. 20.* Calculum gypſeum excrevit quidam Canonicus Ratisponenſis, Nobilis de Sparneck, vid. Joh. Kentmannus *de Calcul. p. m. 3.* Ad civis Patavini lienis impenſe duri partem gibbam adipem adnatum inſtar candidi duriſſimique lapidis concretum ſe inveniſſe ſcribit Andreas Veſalius *Anatom. Lib. V. cap. 9.*

fol. m.

fol. m.394. In Quæſtoris Albretici pulmonibus duriſſimos aliquot, æquabili ſuperficie argillaceo colore, calculos deprehendit Julius Cæſar Scaliger vid. *de Subtilitat. Exercit. 108. p.396.* De colore plane lacteo lapilli in aperto vaccæ abdomine reperti, vid. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. V. Obſ. 39. p. 50. ſeq.*

§. 2.

Cineritii coloris calculum monſtroſæ magnitudinis, inæqualem, ac ſi ex multis lapidibus compactus fuiſſet, & ad uncias viginti duas pendentem, ex juvenis cujusdam, viginti annorum ætatis veſica extractum depingit Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſerv. chirurg. Cent. IV. Obſ. 51. fol. m. 324.* Et *Cent. V. Obſ. 1. fol. 379.* Calculi ex cinereo flaveſcentis mentionem facit. Mulier quædam, nomine Angelica Rubini, quinquageſimum quartum annum ætatis ſuæ agens calculum oblongum poroſum coloris cineritii, ſubfuſcum, uncias duas cum ſemiſſe pendentem non ſine magna plurimorum admiratione excrevit, referente Daniele Angelo *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 195. p. 286.* ubi hujus calculi figuram videbis. Calculum magnitudine pugnum fere æquantem, oblongum, durum & ponderoſum, facie externa læviſſimum, coloris cineritii cum albicantibus ſtriis, venatoris uxor per anum excrevit, obſervante Chriſtiano Erneſto Claudero *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 197. p. 394.* In Procuratoris cujusdam, annum octuageſimum agentis, rene dextro lapis cineritius obſcurus, ponderis ſeptem unciarum a Johanne Riverio, chirurgo fuit inventus. vid. Petr. Borell. *Obſerv. Cent. II. Obſ. 62. p. 162.* Calculum magnitudine & forma mori colore quaſi pullo aut cinereo in cerebro reperit Johannes Pfeil, juxta Joh. Kentmann *de Calcul. in human. corp. p. 2.* A Bernhardo Stiebero in Viri Nobiliſſimi Valentini de Hees veſica fellea lapilli plus quam ducenti fere, partim quadranguli, par- *Cineritii*

tim cineritii, partim ſubflavi, & auro quaſi micantes reperti ſunt, vid. Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. 238.* Ibidem etiam calculi totam cordis cavitatem implentis mentionem facit. vid. etiam Phil. Jac. Sachſ. *Ocean. macro-micro-coſmic. p. 35.* De lapide cineritii coloris ſub oculo nato & per os rejecto, vid. Dominic. Panarol. *Pentec. I. Obſ. 38. pag. 24.* Centum & viginti quatuor calculos quadratos, cinerei coloris ex folliculo fellis extraxit Johannes Dolæus, vid. *Encyclop. med. Lib. III. cap. 13. pag. 592.* Ejusdem coloris lapidem e pulmonibus tuſſi rejectum obſervavit Johannes Henricus Brechtfeld. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 99. p. 202.* In latronis audaciſſimi, rotæ affixi, corde, & quidem dextro ejusdem ventriculo tres lapillos, ciceris magnitudine, coloris cineritii, reperit Zacutus Luſitanus, uti refert *Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 141. Oper. Tom. III. f. m. 37.* Poſt atrociſſimos infimi ventris dolores juvencula quædam vidua per inteſtina excrevit lapidem, ovi columbini majoris magnitudine, & partitis vicibus ultra viginti minores, variæ figuræ, cunctos cineritii coloris, juxta Sim. Schulzium *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 125. p. 136.* Idem Autor etiam ibidem *Dec. I. An. 3. Obſ. 1. p. 1.* calculi coloris cineritii ſub lingua exciſi meminit. Tria calculi fragmenta coloris cineritii poſt magna ventris tormina excrevit uxor civis Durlacenſis gravida juxta Joh. Matthæi Heſſ. *Quæſt. med. Obſ. 2. p. 129.* Calculum aſperum, lupini inſtar compreſſum, cinerei coloris, ſtriis ſplendentibus varie interſtinctum, grana octo pendentem in fiſtula ani civis cujusdam Vratislavienſis reperit Gottofredus Schultzius vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 185. p. 430.*

§. 3.

Gryſei Duos calculos unciæ unius circiter pondere, coloris gryſei, magnitudine duorum fere juglandium in Matro-

næ

næ nobilis epate obſervavit Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 20. p. 70.* Calculum figuræ ovalis, coloris gryſei, hinc inde nonnihil albeſcentis & flaveſcentis, Anno 1694. Parochi cujusdam conjux poſt ſummos cruciatus per alvum excrevit, & quidem ponderis unciæ ſemis cum drachma ſemiſſe, & granis quatuor, uti refert Erneſtus Sigismundus Graſſius *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 21. pag. 22. ſeq.* Ad penis radicem pueri triennis, a prima infantia motibus convulſivis artuum ſæpius infeſtati cum ſuppreſſione urinæ, calculum, ſeu lapillum glabrum, oblongum, dactyliformem, gryſei coloris, grana ſex ponderantem, exire obſervavit Johannes Burgius *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 174. p. 340. ſeq.*

§. 4.

Flavi ſeu lutei calculi ſæpius occurrunt, imprimis in renibus. Sic flavo colore ſaturatos calculos in Urſulæ Kauffmannianæ, e familia Draxdorfiana, renum cavitate fuiſſe inventos, refert Guernerus Rolfincius *Epitom. method. cognoſcend. & curand. Affect. partic. Lib. III. cap. 19. pag. m. 303.* In Promi-condi Electoralis uxore Berolini urinæ ſuppreſſione defuncta renes per longitudinem diſſectos calculis & arenulis plenos, tanquam uniones in conchis latentes & emicantes, omnes glabros & coloris lutei albicantis offendit Chriſtianus Menzelius vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 63. p. 138. ſeq.* Lapidem colore lucide flavo ac auripigmenti æmulo tinctum in ductu ſalivali hærere vidit Gulielmus Cowper. vid. *Act. Erudit. Lipſ. 1699. Menſ. Febr. p. 58.* In Studioſi cujusdam veſica, lapis, magnitudine dimidiatum fere columbæ ovum adæquans totus angulosus, colore livido, &c. repertus eſt, vid. Johann. Kentmann. *de Calcul. p. 5. 6. ſeq.* De calculis intrinſecus luteis inſtar Rhabarbari, ex epate provenientibus, vid. Godofredus Thileſius *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 105. p. 242.*

Flavi

Calculos ſubflavos in veſica fellea Valentini de Hees a Bernhardo Stiebero repertos fuiſſe §. 2. ex *Greg. Horſt. Oper. Tom. II. Lib. 4. fol. 238.* adduximus. Calculos flaveſcentes, bilis calculoſæ fœtus a Matrona per alvum excretos obſervavit Joh. Mauricius Hoffmannus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 244. p. 460.* De lapide lucide flavo in ductu ſalivali v. ſupra *Cap. II. §. 17.* De calculis avellanam pene adæquantibus, figuræ triangularis, coloris ad flavum accedentis ex feminæ cujusdam quadraginta quinque circiter annos natæ ingvine dextro per abſceſſum prodeuntibus, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An. 1. Menſ. Jul. Obſ. 3. p. 118. ſeq.* Calculum durum, aſperum, ſatis magnum, ex cinereo flaveſcentem ſponte ſua per palatum in os provenientem obſervavit Guilielmus Fabricius, Hild. *Obſ. Chir. Cent. V. Obſ. 1. fol. m. 379.* Ochrei coloris calculum figuræ ſphæricæ, magnitudine ovum gallinaceum, pondere vero libram unam medicam æquantem a ruſtici cujusdam Hirſchfeldenſis uxore, quadraginta octo annorum magna vi fuiſſe rejectum, annotavit Chriſtianus Erneſtus Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 198. p. 395. ſq.*

§. 5.

Fuſci. Fuſco colore utplurimum externe gaudent calculi in fellis veſica reperti, quamvis in iisdem etiam varii colores videantur, uti ſupra *Cap. II. §. 45.* monſtravimus. Ejusdem coloris lapillos plurimos ex abſceſſu circa epar prodeuntes extrinſecus coloris ſubpunicei, inſtar caſtanearum nondum omnino maturarum obſervavit Godofredus Thileſius *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 105. p. 242.* Calculum veſicæ ſubfuſcum uncias duas cum ſemiſſe pendentem, mulier quædam Angelica Rubini, quinquageſimum quartum annum ætatis ſuæ agens, non ſine magna admiratione excrevit, referente Daniele Angelo. *l. a. An. 6. & 7. Obſ. 195. p. 285. ſeq.* Calculum, cujus magnitudo ſuperabat nucleum olivæ,

olivæ, ſubſtantia dura ſatis, color vero fuſcus erat, prævio tumore, e lingva prodeuntem ſervavit Georgius Dethardingius, v. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. & II. Append. p. 197.* Et *pag. 201.* fit mentio calculi ſtupendæ magnitudinis, ſilicei, colore fuſco, uncias octo pendentis. In Comite Thoma Arundelio veſicula fellis fuit ſabulo plena, tartareæ cujusdam ſubſtantiæ ſplendidæ atque ex flavo nigreſcentis, juxta Georg. Hieron. Velſch. *Epiſagm. Obſ. 65. pag. 40.* Tres calculos fuſcos, ſeu ex colore viridi nigreſcentes, quorum duo integros talos magnos, tertius autem tantum dimidium, cum angulis obtuſis referebant, in viduæ cujusdam, ſeptuaginta annorum folliculo fellis Anno 1712. reperire mihi contigit, vid. etiam ſupra *Cap. II. §. 26.* Calculos binos, ſatis grandes, colore fuſco præditos, figura catulos parvos mentitos Roſino Lentilio oſtendit Medicinæ Profeſſor Heidelbergenſis, nomine Iſrael. v. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 136. p. 263.* In exenteratæ Martini Bierwolffii, ſenatoris Regiomontani, uxoris utero lapidem quatuor librarum, multis eminentiis lapideis, coloris fuſci, deprehendit Chriſtophorus Tinctorius, referente Thoma Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. IV. Hiſt. 64. p. m. 364. ſeq.* Diverſos etiam diverſo tempore, calculos, nimirum rubicundos, fuſcos, albidos & nigricantes excrevit primarii cujusdam ſenatoris Dordrechtenſis filia quadragenaria, jam quinque & viginti annos doloribus nephriticis miſerrime vexata, uti ad Lazarum Mereſonerium perſcribit Johannes Beverovicius *in Epiſtolic. Quæſt. pag. 107. ſeq.* Ex tuberculo ſub lingva poſt maturationem cum pure durus quidam lapillus exilit, ut bina piſa magnus teresque cum arefacta atque excorticata lauri bacca ſimilitudinem habens colore ſpadiceus ſive caſtaneæ cortici ſimilis. vid. Joh. Kentmann. *l. a.* In Georgio, Bohemiæ Rege tota veſicula fellea lapide Hæmatitem

æmulante repleta fuiſſe dicitur vid. Godofr. Mœbii. *Phyſ. Cap. XV. p. 371.* In Viri cujusdam conſularis dignitatis epate ſacculus conſpicuus fuit, cujus inferior pars & ultra quidem dimidium referta fuit innumeris calculis, concinne impactis & ad formam ſeminum tritici turcici, in ſuperiore vero parte liquor quidam coloris ſpadicei & nonnihil ſpiſſus, lapillis ſuperfuſus, quem Godofredus Samuel Poliſius materiam generandorum calculorum ſuppeditare putat, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 101. p. 364. ſeq.*

§. 6.

Cœrulei Cœrulei coloris lapillos multos per vomitum excreviſſe virginem quandam, antea ſtomachi continua paſſione laborantem, obſervavit Joſephus Lanzonus *in Schol. ad Henr. a Moinich. Obſervat. 10. pag. m. 42.* Secuit etiam Volcherus Coiter Julii Cæſaris Bovii famulam ſenio & morbis confectam, in cujus veſica fellea duos inſignes invenit lapides cæruleos, quorum alter quaſi ovi columbini magnitudinem adæquabat, laborabat diu regio morbo ac ultimo febri correpta occubuit. vid. ejusd. *Obſervat. anat. fol. m. 122.* Mulieris duorum & quadraginta annorum, ad iram pronæ, veſicula fellea craſſitiem corii cervini habebat, in qua nec una gutta bilis erat, ſed lapis tam arcte incluſus, ut vi debuerit extrahi. Hic lapis ab initio cœruleus fuit, cum punctulis rubris, ut trutta, poſt exſiccationem vero albus, uti refert Johannes Adamus Gœritzius *Ephem. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſ. 20. p. 283.* Inquit etiam Nicolaus Venette *au Traite des Pierres Cap. IV. Art. 7. pag. m. 65.* Louis Duret a vû une pierre bleuë de de la groſſeure d'une brune ſeche tirée du corps de la Mere d'un Preſident du Parlement de Paris. In fœminæ cujusdam, icteritia defunctæ veſica fellis inventi ſunt lapides cœrulei, ſplendidi, plurimi, anguloſi, quorum ſuperficies

ficies ita inter ſe cohærebant & conglobabantur, ut unicus primum lapis viſceribus judicatus fuerit. vid. Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 18. fol. 997. ſeq.*

§. 7.

Viridibus lapillis totam glandulam pinealem in cerebro repletam in cadavere virili Anno 1686. Erfurti publice diſſecto obſervavit Juſtus Veſti, uti refert *Obſerv. medic. Decad. I. Obſ. 1. Collegio Chym. Caſparis Cramer. annex. p. 126.* In pericardio honeſtæ cujusdam fœminæ, annorum ætatis triginta trium, tres lapillos ſubviridis coloris, quorum duo exigui, tertius autem magnus, & duarum prorſus unciarum ponderis, obſervavit Joſephus Lanzonus. v. *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 75. p. 119.* Lapidem ſolidum, politum, triangularem, Jaſpidem referentem ſcrupuli unius pondere, ex Abrahamo Clef, Montbelgardenſi, æſtate Anni 1657. in viridario obambulanti, poſt ſubitaneum & magnum urinæ ardorem & difficultatem, totamque ſuppreſſionem, cum fragore tandem erupiſſe, recenſet Johannes Nicolaus Binningerus *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 34. p. 159.* In Cardinalis Franciſci Guilhelmi veſicula bilis lapilli ſexaginta ſeptem, coloris praſini inventi ſunt. vid. Joh. Helwig. *Obſerv. 81. p. 251.* De calculis ex albo viridiuſculis, v. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 136. p. 262.* In Viri cujusdam Illuſtris & Generoſi veſica fellea parum bilis & minuti continebantur calculi, quorum tres magis conſpicui erant, & ex his maximus referebat magnitudine fabam, pendens circiter ſcrupulum, figura tamen anguloſa & colore ſubviridi. vid. *Act. Medic. Berolinenſ. Vol. II. p. 78.* Et juxta Petri Venette *Trait. de Pierre, l. a.* On trouve ſouvent de pierres vertes dans le ſecond eſtomach de vieux coqs & des vieux chapons, que l'on nomme Alectoriennes. De lapidibus ærugineis, vid. *Ephem. Acad. N. C. Cent. I. Obſ. 77. p. 148.*

Virides

§. 8.

§. 8.

Rubri. Quandoque etiam calculi rubri ab Autoribus annotantur. Puer enim undecim ſuæ ætatis annorum per Hieronymum Stromair ſecabatur calculo veſicæ laborans, qui lapis extractus erat colore rubicundus, ponderis lotonum ſex; & puer convaluit, teſte Diomede Cornario *Obſerv. medicinal. Cap. 19. pag. 34. ſeq.* Chirurgus quidam Gœrlicenſis primarius per annos oppido plures calculo veſicæ conflictatus, tandem atrociſſimis enervatus doloribus obiit. Secto cadavere invenit Ehrenfridus Hagendorn calculos novem in cyſti fellea, totam occupantes capſulam coloris & odoris fellei, leviſſimi tamen ponderis. In uretere ſiniſtro mox ſub pelvi calculus aderat alius, magnitudine amygdalæ dulcis. Et veſica urinaria exhibebat calculum ſat grandem, ruffum, ſiliceum, pondere uncias novem cum drachma una. v. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 243. pag. 344.* In Chirurgi cujusdam Thorunenſis uxoris rene ſiniſtro, per longitudinem diviſo, calculus ingens apparuit, qui, ſecundum Georgii Segeri Obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 227. p. 414.* Ob figuram partim, partim ob colorem, corallium rubrum microcoſmicum haud incommode vocari poterat. Sexagenarius quidam calculo renum demumque per octodecim dierum ſpatium retenta urina laborans ex præſcripto Medicorum oleum amygdalarum dulcium recenter paratum cum guttulis balſami permixtum lambere cœpit; cujus auxilii ope per ſedem viſcidum humorem & per urinam arenulas minutiſſimas excrevit, & in eodem auxilio perſiſtens, cum urina cruenta calculum purpureum oblongum, aſperum, duriſſimum nucleo dactyli magni ſimilem excrevit, vid. Thom. Burnet. *Theſaur. Medicin. pract. Lib. III. p. 133.* Anno 1669. Koyskavolæ Poloniorum vidit Daniel Meno Matthiæ fœminam poſt partum in ſecundina ejicientem calcu-

calculum rubini inſtar pellucidiſſimum, cujus magnitudo nucem baſilicam refert, ſeptem unciarum, vid. Dan. Meno Matthiæ *Obſ. med. chir. 13. p. 95. ſeq.* Subrufi coloris lapillus parvus, rotundus, læviſſimus & duriſſimus in Comitis Thomæ Arundelii veſica eſt repertus, referente Georgio Hieronymo Velſchio *Epiſagmat. Obſ. 65. p. 40.* Lapillos albicantes, rufos, griſeos, tophaceos excreviſſe Margaretam Lauweram, refert Johannes Viridetus *de Prim. Coction. Part. II. cap. 1. p. 230. ſeq.* Rubicundos, fuſcos, albos, nigricantes a filia Senatoris Dordrechtenſis fuiſſe excretos, ex Joh. Beverovic. *Quæſt. Epiſt. p. 107. ſq.* vidimus. In Imperatoris Maximiliani II. corde ſecto inveniebantur tres lapilli, quantitate piſorum, quorum unus erat major, colore rubineo, referente Johanne Wiero *Oper. Lib. IV. cap. 16. p. m. 315.* Secundum Johannis Dolæi *Epiſtol. IV. ad Joh. Jac. Waldſchmid. p. m. 253.* in veſica fellea quinque calculi fuerunt reperti, qui in aquam injecti fundum petiere, contra naturam aliorum ejusmodi lapidum. Hos ulteriori examini ſubjicientes invenerunt, eos omnino ex ferro conflatos eſſe, nam rubiginem repræſentarunt & magnetis attractionem, vulgo ita dictam, obſecuti ſunt. Gli Signori Academici da Breſcia ne' ſuoi Atti riferiſcono, che haveſſero oſſervato trè pietre roſſe di tanta groſſezza, quanto una groſſa e longa noce avellana. vid. Giornal. de' Letterat. *l' Anno 1686. p. m. 32. 33.* Ex angulo oculi ægilope affecti duos calculos, granum ſeminis cannabis adæquantes, coloris rubei, eductos vidit D. Cervin. in Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. 1. menſ. Sept. Obſ. 2. p. 140.* Lapidis magni, rotundi, duriſſimi, coloris rubri, aculeis undique in orbem conſtantis, pondere granorum quadraginta quinque in chirurgi, ex diuturna urinæ ſuppreſſione mortui urethra reperti, jam ſupra *Cap. II. §. 43.* ex Zacuto Luſitano mentionem fecimus. Ex oculi angulo calculos duos, magni-

tudine ſeminis cannabis, coloris rubri, qualis eſt corticis aurantii mali, eductos vid. Nic. Blegny *Zodiac. An. 1. menſ. Sept. Obſ. 2. 140.* v. etiam Chr. Fr. Paullin. *Obſ. Cent. 1. Obſ. 14. p. 19. ſeq.*

§. 9.

Aurei De ſabulo aurei ſplendoris in urina calculoſi ſequentem Obſervationem communicat Wilhelmus Huldericus Waldſchmidius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 39. p. 55. ſeq.* Figulus quinquaginta circiter annorum ex renum calculo laborabat, cum urinæ ſuppreſſione, vomitu, intenſiſſimis abdominis & lumborum doloribus, &c. poſt præſcriptam eſſentiam ex ſpiritu tartari, eſſentiis terebinthinæ, caſtorei & anodyna Zwelfferi, ter de die guttatim hauſtam ſtatim inſigne levamen percepit, excreta cum urina materia ſabuloſa, quæ fundo matulæ adhærens & exſiccata ſplendorem aureum exhibebat, inſtar arenæ iſtius ſcriptoriæ, quam a fulgore aureo, *Flincker-Sand* Germani ſolent appellare, prorſus diverſam a ſedimento ſabuloſo, quod in urinis alias cernere licet; evidenti teſtimonio, quod ſicut diverſi generis calculi, poroſi nempe & leves, lateritii, ſiliceei & marmorei, albicantes, fuſci, &c. in corpore humano generantur, ita diverſam requiri materiam, quæ in duritiem coactam gemmas iſtas microcoſmicas producit. Boum ſaginatorum calculos renales & veſicales aureo ſæpe colore micare, cuilibet ob oculos ſe poſiturum eſſe ſcribit Michael Bernhard Valentini, *Polychreſt. exoticor. Diſput. III. p. 44.* Sic Bernhardus Stieberus refert, in Valentini de Hees, Ordinis S. Johannis Equitis veſica fellea lapillos cineritios, ſubflavos & auro quaſi micantes fuiſſe repertos. Notatu quoque digna eſt Obſervatio Roſini Lentilii de lapidibus aureolis e veſicis boum *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 77. p. 122.* inter alia inquientis: Terni propemodum anni ſunt elapſi, cum Allerhemium, inſignem Rhætiæ Noricæ

ricæ vicum tranſiremus, & ecce, noſter olim ex anevriſmate periculoſe decumbens æger, lanio loci, tranſeuntibus monſtrabat globulos aureos diverſæ magnitudinis, minimum granum milii, maximum ſemen cannabis aut coriandri æquantes, præfulgidos & aſpectu jucundiſſimos; horum integrum manipulum in bovis mactati veſica repertum, nec unquam a ſe, vel alio lanione alioqui viſos, bovem cætera ſanum & valde pinguem eſſe &c. De multis calculis cum laminis aureis in veſica bovina repertis, vid. etiam Muſæum Wolffianum *p. 64.*

§. 10.

Nigerrimi etiam coloris calculi non raro in Praxi & apud Autores occurrunt. Excrutiata enim per ſeptem dies fuerat fœmina quædam ilium dolore ſævo, a quo tamen, præſidiorum ope expulſo calculo evaſit. Forma autem calculo erat rotunda, inſtar avellanæ nucis, duriſſima, colore nigerrimus, lapidis gagatis inſtar. Pendebat grana quadraginta novem. vid. Zacut. Luſit. *de Prax. Med. admirab. Lib. II. Obſ. 68. fol. m. 58.* De calculis ſiliceis & nigricantibus a lithotomo quodam ex pueri urethra extractis, vid. Viti Riedlin. *Millenar. Curar. medic. Cent. V. Obſ. 468. p. 281.* In Johannis Arminii, Pharmacopolæ miniſtri rene dextro latitabant multi calculi, partim rubri, partim nigri, quos inter unus, cæteris major, obturabat integre ureteris principium, referente Nicolao Tulpio *Obſerv. medic. Lib. II. cap. 25. p. 141. 143.* De lapide tophaceo, nigro duriſſimoque ex ulcere antiquo a chirurgo extracto, vid. Petr. Borell. *Obſ. medic. Cent. I. Obſ. 4. p. 9.* Lapillum nigrum ex ureteribus, quibus impactus, propter inæqualitatem ſubſtantiæ elabi non poterat, atque ita hominem miſere interemit, exſcidit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 67. p. 136. ſeq.* Pendebat autem hic calculus ſcrupulum cum dimidio, ejusque color erat nigerrimus & ſub-

Nigri

ſtantia ad tophi ſimilitudinem accedens. Monialis quædam nobilis diu doloribus nephriticis vexata expulſit tandem per urinarios meatus lapides, qui abſolute figura, ſubſtantia, colore carbones repræſentabant. vid. Domin. Panarol. *Pentec. V. Obſ. 6. p. 144.* In Noſocomio Lugdunenſi Chirurgus Anno 1647. extirpabat labii inferioris partem ſat notabilem cancroſam bono cum ſucceſſu. In ablata parte curioſitatis gratia, quo interior conſtitutio magis innoteſceret, diſſecta reperiebantur calculi duo, duritie atque aſperitate notabiles, coloris ſubnigricantis, vid. Gerard. Blaſii *Obſ. med. Part. VI. Obſ. 15. p. 82.* Et juxta *Part. IV. Obſ. 19. p. 84.* ibidem obſervare licuit in hepate humano calculum nigricantem, duriſſimum ſilicis inſtar, cochleæ figuram habentem. In corde cujusdam, qui frequenter palpitatione cordis corripiebatur, lapillus niger eſt repertus, v. Thom. Eraſtus in Laurent. Scholz. *Conſil. CIII. fol. m. 276.* Atri coloris & magnitudine caſtaneæ aridæ calculum in mulieris nobilis folliculo fellis ſe reperiſſe, ſcribit Antonius Benivenius *Obſ. med. cap. 94. p. 263.* Juxta Jul. Cæſar. Scaliger. *de Subtilit. Exercit. 108. n. 3. p. 395.* in iecore Senatoris inventi ſunt lapides atri, qui in aquam injecti intumuerunt. De Muliere calculos diverſæ magnitudinis, & formæ, omnes tamen colore nigricante adſperſos excernente. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. I. Obſ. 72. p. 108.* Venetiis in Auguſtini, Ducis ex Barbadica gente, epate inventus eſt lapis, magnitudine grandioris olivæ coloris ſerpentini in nigredinem tendentis. vid. Lud. Cœlii Rhodig. *Lection. antiqu. Lib. I. cap. 17. fol. m. 140.* Sabulum nigricans in fœda ſcabie, lepram æmulante, affectorum urina, bis animadvertit Chriſtianus Fridericus Garmannus, uti *de Miracul. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 74. p. 1110.* refert. Calculum nigrum, Zingiberis forma, e pelvi poſt fata exciſum depingit Fridericus Ruyſchius

Theſ.

Theſ. anat. I. p. m. 2. duorum lapidum nigellorum, aliquantulum tamen ex flavo obſcure virideſcentium, jam ſupra *Cap. II. §.* 25. mentionem fecimus. Comitis Thomæ Arundelii Veſiculam felleam ſabulo tartareæ cujusdam ſubſtantiæ ſplendidæ atque ex flavo nigreſcentis fuiſſe plenam, refert Georgius Hieron. Velſchius *Epiſagmat. Obſ.* 65. *p.* 40. Et in Epiſcopi Auguſtani veſica calculi nigri & nondum ſatis indurati, vid. *ibid. Obſ.* 62. *p.* 38. In Illuſtriſſimi Guilielmi Ducis Clevienſium veſica fellea Reinerus Solenander lapidem invenit nigrum, durum, aſperum, inæqualem, anguloſum, caſtaneæ mediocris magnitudine &c. vid. ejusd. *Conſil. medicin. Sect. V. Conſ.* 16. *fol.* 493. Aliquoties etiam nigerrimi coloris calculos ad piſi majoris & fabæ magnitudinem in cive & chirothecario noſtro aulico, videre licuit, quippe qui circa principium lithiaſeos & ante viginti aliquot annos, non niſi nigerrimos calculos, maxime duros & politos, ſummis cruciatibus ex renibus per ureteres & meatum urinarium excernebat; poſt aliquot tamen annos ipſius calculi modo cinerei, modo flavi, & molliores, ad vitæ usque finem, qui ipſi ætatis octuageſimo tertio anno quo hæc ſcribo, ſcilicet Anno 1726. contigit, apparebant. In Comitiſſæ cujusdam Viennenſis 1695. in veſicula bilis materia mucoſa & viſcida cum tribus ſolidis & ad duritiem coagulatis atris & ſplendentibus lapillis, quorum quilibet ſua magnitudine nucem moſchatam referebat, reperiebatur, juxta Eberhard. Gockel. *Gallicin. Obſ.* 99. *p. m.* 611. *ſeq.* *Obſervatio.*

§. 11.

Dantur inſuper etiam calculi diverſicolores, quorum alii in parte externa ratione coloris a parte interna differunt, alii vero externe inſtar marmoris variegati vel variis maculis picti ſunt. e. g. Roſino Lentilio d. 9. Septembr. 1696. oblatus fuit calculus amygdaloides, cujus ſchema *Varii coloris.*

 appinxit

appinxit *Miſcell. med. pract. Part. I. pag. 261. ſeq.* ſiquidem parte externa cruſta quaſi alabaſtrina inveſtitus, ceu ovi teſta, glabra & pulchra; Eo vero loci ubi cruſta abſceſſerat, in lateralibus nempe partibus, quas ſchema oſtendit, interior calculi facies erat quovis carbone nigrior, & aſpera ſuperficie. Diſſecuit etiam Johannes Veslingius fœminam, in cujus veſieula fellis quinque lapides magnitudine nucis avellanæ, figura mathematicorum corpora pentagona repræſentante, quorum ſuperficies exterior glabra, color ſubcineritius, interior vero ſubſtantia ligno putri flaveſcenti perſimilis erat. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſt. 54. p. 234.* Lapillos teſſerarum figuram repræſentantes & inſtar marmoris variegatos, quamplurimos ex Chiliarchæ cujusdam uxoris epate poſt obitum exemptos ſe vidiſſe refert Godofredus Mœbius *Fundam. Medicin. Phyſiol. Cap. XIV. pag. 349.* In Baroniſſa quadam vigeſimum quartum fœtum geſtante, veſica fellea tota calculis fuit repleta, ut eximerentur calculi numero triginta ſeptem, colore non conſveto fuſco præditi, ſed potius albo variegato ſplendente, *Weiſs marbrirt.* vid. *Act. Berolin. med. Vol. V. pag. 90.* In Mulieris quadraginta duorum annorum veſicula fellea lapis tam arcte erat incluſus, ut vi extraheretur; hic ab initio fuit cœruleus cum punctulis rubris, uti trutta, poſt exſiccationem vero albus erat. vid. Joh. Adam. Gœritzio *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. VIII. Obſervat. 20. pag. 283.* Et in Celſiſſimi Principis ab Auerſperg cadavere reperta fuit cyſtis fellea, omni bile deſtituta, cujus loco quatuor lapilli marmoris ad inſtar ex fuſco & albo variegati conſiſtentia non admodum duri, mole ſua caſtaneas mediocres adæquantes apparebant, referente Marco Gerbezio *l. a. Cent. I. & II. Obſ. 57. p. 128. ſeq.* Anno 1694. Parochi cujusdam uxor poſt ſummos cruciatus, per alvum reddidit calculum,

& quidem

& quidem ſolitarium ſine excrementis pelvi cum clangore illabentem, qui figuræ erat ovalis, coloris gryſei, hinc inde nonnihil albeſcentis & flaveſcentis, ſecundum Obſervationem Erneſti Sigismundi Graſſii *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 21. pag. 22. ſeq.* Et juxta Antonii Benivenii *Obſ. medicin. cap. 3. p. 140. ſeq.* Mulier quædam nobilis dolore exorto circa iecinoris partes invaleſcente morbo e vita emigrabat, inque ejusdem iecinoris membranulæ parte decliviore inveniebantur congeſti lapilli figura & colore diverſi; alii enim rotundi, alii angulares, quadrati alii, maculis etiam rubeis, cœruleis albisque diſtincti, &c. Meminit etiam Gottofredus Schultzius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 185. p. 430.* Civis Vratislavienſis nimis craſſi, in quo varios calculos invenit, quorum primus erat aſper ſuperficiei inæqualis, lupini inſtar compreſſus cinerei coloris, ſtriis ſplendentibus varie interſtinctus, grana octo pendens, ſecundus, avellanam mediocrem mole æquabat formaque fere referebat, lævis erat, pallidus, venulis rubentibus hinc inde pictus. &c. Lapis, quem Georgius Greiſelius in abſceſſu hepatis invenit, coloris erat ſubgryſei interius, exterior cortex durior ſubfuſcus cum aliquot punctis albis. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 66. p. 165. ſeq.* In epatis abſceſſu Godofredus Thileſius plurimos lapillos diverſæ magnitudinis atque figuræ reperit, & quidem extrinſecus coloris ſubpunicei, inſtar caſtanearum, non omnino maturarum, inducti tenui quodam cortice, intrinſecus vero lutei inſtar Rhabarbari. vid. *ibid. Obſ. 105. p. 242.* De calculo cujus exterior facies flava, interior vero cryſtallina erat, ex fœminæ ano extracto, vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. & X. Obſervat. 21. p. 25.* Calculum marmoreum ſtriatum in gibba dextra pulmonum adoleſcentis, a fixo pectoris dolore pertinaci conſumpti, & quidem ovi columbini

ſpeciem

ſpeciem præ ſe ferentem obſervavit Johannes Baptiſta Contulus, Medicus Bononienſis. vid. *Act. Erudit. An. 1699. Menſ. Septembr. pag. 397.* Lapidem in exteriore ſuperficie ſubcinereum & interius inſtar cryſtalli albicantem & rutilantem matrona quædam Hildeſiæ vivens cum excrementis exturbavit. vid. Thom. Bartholin. *Acta Hafn. Vol. I. Obſ. 100. p. 193.* Matrona quædam Norwegica quinquaginta ſeptem annorum jam ab integris annis novendecim diu fere noctuque moleſtiſſima tuſſi conſtanter excruciata & emaciata fuerat. Tandem cœpit minutos lapillos una cum tenaci pituita rejicere, quos demum alio die majuſculi ſequebantur; denique notabilis aliquis, friabilis, cinericeus, ac rubris punctulis eleganter diſtinctus, quem vidiſſe atque contrectaſſe ait Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 6. App. p. 10.* Germana calculum ovi columbini magnitudine e veſica excrevit, qui cortice candidus & friabilis, intus ceu nucleum exhibebat lapillum quendam, colore nucem moſchatam referentem, uti ex Joh. Petro Lotichio refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 74. p. 1109.* Mulier quædam, juxta Thomæ Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 72. p. 108.* calculum excrevit pyri forma aſperiorem, in quo aſperæ partes erant candidiores, obſcuriores glabræ. Gemini lapides Auguſtæ juveni calculoſo e veſica fuerunt exempti, interius nonnnihil nigricantes, foris autem cinerei coloris, vid. Georg. Hieronym. Velſch. *Hecatoſt. II. Obſ. med. 58. p. 32. ſeq.* Calculos viginti ſeptem octogonos coloris ex flavo fuſci, nigris maculis inſignitos, quorum quilibet grana ſex ponderabat, & quales nonnunquam in veſica fellea reperiri ſolent, mulier quædam quadraginta annos nata per alvum excrevit, annotante Laurentio Wolffſtrigel *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 89. p. 163.*

§. 12.

§. 12.

Referre huc etiam liceat calculos cryſtallinos ſplendentes & pellucidos, qualem cryſtallinum humanum annotavit Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 29. p. 53. ſeq.* ſequentibus verbis: Homo microcoſmus a plurimis oſtenſus eſt. Cœlum luce ſpirituum & ſplendore oculorum imitatur, meteora morbis monſtrat. Terræ vim animalem inſecta, animalcula varia & vermes produnt; vegetabilem prunus aliaque in corpore fruticantia: mineralem aurum ipſum innatum & lapides, quibus pene obrutus eſt, ſi accumulentur ex variis partibus opaci, cum pretioſi ut in majori, ita & in minori mundo rariores ſunt. Cryſtalli tamen transparentiam in ſepto lucido, in puſtulis poſt ſudorem febris malignæ a me aliquoties obſervatis, ſplendorem in humoribus oculi & formam ipſam artificialem in cryſtallino invenimus, ut textura & durities iſtius rariſſima eſt in homine. Excreviſſe tamen calculum cryſtallina duritie & ſplendore tantaque magnitudine, ut pro ſigillo potuiſſet uſurpari, retulit mihi Nobiliſſima Virgo de Dünheim, nephritidi valde obnoxia, paulo ante obitum ſuum Anno 1674. ſeſeque dediſſe pro memoria ſuo tum tempore Medico, Johanni Wilhelmo Mogio. In Comitiſſa quadam Anno 1695. Viennæ loco fellis in cyſti bilaria materia mucoſa & viſcida reperta fuit cum tribus ſolidis ac ad duritiem coctis & coagulatis atris & ſplendentibus lapillis, quorum quilibet ſua magnitudine nucem moſchatam referebat, referente Eberhardo Gockelio *Gallicin. Obſ. 99. pag. 611. ſeq.* In abſceſſu hepatis fœminæ cujusdam triginta trium annorum lapis paulo minor ovo gallinæ, qui per medium ſecuri confractus reſplendebat, ac ſi nitro plenus fuiſſet, qui tamen interius coloris ſubgryſei fuit, annotante Johanne Georgio Greiſelio *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 66. p. 164. ſeq.* ubi in ſcholio annectit Philippus Jacobus a Lewenheimb, quod ſi hic calculus micro-

Splendentes

ſcopio fuerit ſubjectus interiores ſplendentes particulæ quaſi mercurium vivum exhibuerint hinc inde aſperſum. In veſica fellea cujusdam cadaveris humani octoginta calculos lucidiſſimos, nigri coloris, repertos fuiſſe, refert Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 90. p. 162.* Calculum ex medietate virilis teſticuli exſectum, propter adamantinam pelluciditatem annulo inſertum poſſedit Gubernator quidam in Promontorio bonæ ſpei, qui poſtea ſuperſtitioſo, & ingentem de eo amuleti vim ventilanti, Nigritarum Regi, eundem donavit. vid. Wilhelm. ten Rhyne *de Promont. bon. ſpei cap. 10. p. m. 34.* Calculum humanum pellucidum Monſpelii apud Dominum Roquetium ſe vidiſſe refert Olaus Borrichius in Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 84. p. 204.* Anno 1653 Aprilis Menſis die decima octava caſtris Nobilis quidam apoplexia mortuus eſt, apertum fuit corpus, & in cyſtide fellea decem calculi nitentes, coloris flavi ſubobſcuri, & aliquomodo triangularis figuræ, fabæ magnitudinis reperti ſunt, referente Petro Borello, *Cent. III. Obſ. 22. p. 217.* Sequentem Obſervationem recenſet Marcellus Donatus *Hiſtor. medic. mirab. Lib. IV. cap. 30. p. 525.* Per ſedem excidebat fœminæ vetulæ prægrandis lapis, omnino rotundus, ſaltem ovali ſpecie, foris partim fuſcus, partim ater, veluti ambuſtus; quem cum perforare paululum attentaſſem, diſſiliens in duas partes intus ſubſtantiam, inſtar vitri purioris aut cryſtalli pellucidam multis ſtriis atque radiis in unum centrum confluentibus oſtendebat. Hildeſiæ perilluſtris matrona ab uſu pilularum e gummatibus Sylvii cum excrementis lapidem ovi columbini formam referentem, in exteriore ſuperficie ſubcinereum, & dum clavo ferreo in duas partes æquales diffringeretur, interius inſtar cryſtalli albicantem & rutilantem, exturbavit. vid. *Act. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 100. p. 203.* In uxoris cujusdam, ictevitia

ritia defunctæ veſica fellis plurimos lapides cœruleos, ſplendidos repertos fuiſſe, refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 18. fol. 997. ſeq.* In icterici cujusdam veſica fellis duos fuiſſe repertos calculos, quorum alter magnitudine ovi columbini, alter vero paulo minor fuere, ambo tamen duri, nigri, & ſcintillas velut emittentes, quaſi eſſent congeries nigri ſalis cryſtalliſati, refert Georg. Baglivus *de Fibra motric. p. 214.* Gummi inſtar concreti lucidum & ovi columbini magnitudine lapidem in cyſtide fellea obſervatum videmus in Nicol. Blegn. *Zodiac. Medic. Gallic. An. I. Menſ. April. Obſ. 7. pag. 78.* De lapidibus lucentibus ſequentes Obſervationes adducit Nicolaus Venette *Tr. des Pierres Cap. IV. Art. I. p. 56. ſeq.* Julius Ceſar Scaliger nous dit, qu' un de ſes Bouviers rendit par la verge une matiere molle, comme un blanc d' oeuf, qui devient enſuite dure & luiſante, comme du Verre. Item Cyrianus Lucius trouva dans le teſticule gauche d' un homme une pierre de figure de lentille blanche polie, lui ſante, comme une pierre precieuſe. Il la nomme lapis Orchites. Triginta lapillos carbunculi inſtar pellucidos in cyſtide fellea lictoris cujusdam invenit Johannes Helwigius *Obſ. 81. p. 251.* Ex communicatione Pauli Mariæ Tevzagi ſequentem Obſervationem refert Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſervat. 90. p. 161. ſeq.* Anno 1691 Monialis quædam annorum novendecim intra octo dierum ſpatium ſeptuaginta novem calculos depoſuit, quorum duo erant longitudinis & latitudinis ungulæ mediani digiti, in quibus lucidæ apparebant atomi. Sic Abrahamus Clef æſtate anni 1657. in viridario obambulans magnum illico urinæ ardorem & difficultatem ſenſit, quæ conatu indefeſſo mox ſupprimebatur tota, mox guttatim ardore intolerabili ſtillabat. Caſus ſubiti ignaro erumpit cum fragore tandem lapis

ſolidus, politus, triangularis, ſcrupuli unius, pondere jaspidem referens, juxta Johann. Nicol. Binninger. *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 34. pag. 159.* Calculum rubini inſtar pellucidiſſimum poſt partum cum ſecundina rejectum reperimus in Dan. Menon. Matthiæ *Obſerv. 13. pag. m. 96.* Calculus etiam ex renis pelvi extractus ſcintillante nigredine obſitus a Frederico Ruyſch. *Theſaur. anatom. I. p. 2.* communicatur. Calculum rotundum, pellucidum, glabrum, flavedine paululum tinctum, ſolidum & humorem oculi cryſtallinum repræſentantem, ex rupicapræ omento exciſum inter curioſa ſua ſervat Lucas Schrœckius vid. *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſerv. 33. Schol. p. 77.* Anno 1624 die 24 Januar. in cadavere, fœminæ cujusdam Venetæ, quam cancer uteri exulceratus e medio ſuſtulit, reperit Johannes Scultetus veſiculam felleam calculo inſtar cryſtalli pellucido repletam & diſtentam, ut nihil quicquam bilis recipere apta fuerit, vid. Scultet. *Armament. Chirurg. Part. II. Obſ. 48. p. m. 61.* Extraxit etiam Johannes Theodorus Schenckius ſub Anatome publica e cyſtide fellis cujusdam fœminæ lapidem cruſtatum & anguloſum, figura ſphærica, quantitate nucis avellanæ minoris: hic effractus inſtar cryſtallorum tartari ſplendebat, uti ipſe refert *Epiſtol. 2. ad Philipp. Jac. Sachſium, hujus Gammarologiæ adnexa. pag. 940.* Lucæ Schrœckio calculus fuit, in rene vaccæ inventus triangularis, aliquot tamen eminentiis præditus, qui primo adſpectu metallicum quid, licet tale non fuerit, retulit, colorem ſplendidum & quaſi aurum oſtendens, inprimis ubi exteriorum lamellarum aliquot ablatæ fuerint; ex tenuiſſimis ſiquidem flaveſcentibus tunicis conſtat, quæ ſeparatæ plane diaphanæ adparebant. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 168. p. 224.* quo loco Schrœckius ita pergit: Non minus etiam Patavii in veſica bubula minutos rotundos calculos,

culos, quorum majores ſemen erucæ, minores minima nicotianæ ſemina magnitudine æquabant, inveni, qui ſimili fulvo ſplendenteque colore ac pellucidis lamellis pollent. In veſica bovina invenit Anno 1664 David Spilenbergius arenam quaſi metallicam & lapillos perfecte rotundos, globoſos, ſplendentes, colore auri mineram æmulantes, vid. Phil. Jac. Sachſii *Gammarol. cap. 14. §. 8. p. 297.* Poſſedit etiam Georgius Wolffgangus Wedelius particulam calculi vaccini inſtar auri foliorum fulgidi. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 246. p. 439.* Et Andreas Libavius vidit lapides renales ex bobus, colore argenteo & fuſco ſplendente uti ad Sigismundum Schnitzerum ſcribit in Joann. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 65. p. 182.* Sic Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 146. pag. 297.* hanc recenſet hiſtoriam: in veſica recens mactati bovis ingens numerus ſplendentium ac metallum æmulantium globoſorum calculorum, majorum, mediocrium & etiam minimorum inventus fuit: majores magnitudine piſa communia æquabant, nonnulli etiam ſuperabant, minores, & minimi, quorum infinitus erat numerus, ſemina minutiſſima papaveris & majoranæ referebant. Color non omnibus unus idemque erat, nonnulli enim aureo & fulvo ſplendore coruſcabant, alii fuſco & obſcuriori colore præditi erant, non pauci gemmæ Turcoidis colorem aliquo modo æmulari videbantur. Omnes quos confregi, fracto ſuperiori cortice, alium, hocque & idem fracto iterum alium aurei coloris corticem, priori & ſuperiori longe ſplendidiorem oculis objiciebant. &c.

CAPUT VI.

De Calculorum Figura.

§. 1.

Calculorum figura varia

Quoad figuram calculorum, admodum inter ſe diffe- runt, imprimis autem ratione loci, vaſis aut cavitatis, quibus inhærent, figuram referunt & aſſumunt, eo fere modo, quo artifices ſeu gypſiarii varias effigies & ſimulacra ex gypſo formant; interdum etiam calculi alias figuras obtinent, prout ſcilicet fortuito particularum collapſu concretiones illæ fiunt. *Ovalis* Reperiuntur v. g. ovales, de quibus hactenus plurima exempla & quidem *Cap. III. §. 12. ſqq.* de calculis ovi columbini, anatini, gallinacei, anſerini &c. magnitudinem æquantibus adduximus.

§. 2.

Calculi Rotundi

Interdum apparent rotundi ſeu inſtar globulorum, tam minorum, quam majorum, quales globulos aureos, diverſæ magnitudinis, minimum granum milii, maximum ſemen cannabis aut coriandri æquantes, præfulgidos Roſino Lentilio lanionem quendam demonſtraſſe, in capite antecedenti, *ex M. N. C. Dec. III. An. 7 & 8. Obſ. 77. p. 122* vidimus. Lapis formæ rotundæ, optime ſphæricæ, coloris ochrei externe læviſſimus ſubſtantia compactus ac duriſſimus, magnitudine ovum gallinaceum æquans & libram unam medicam ponderans a ruſtici uxore quadraginta octo annorum propulſus fuit, teſte Chriſtiano Erneſto Claudero *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 189. p. 396.* In ſacerdote ſexagenario juxta finem mandibulæ dextræ inferioris Dioniſius Pomaret corpus quoddam extraneum gutturi infixum, globulum ſclopeti referens, conſpexit, quod nihil aliud fuit, quam lapis durus & compactus, vid. Lazar. River.

Obſ.

Obſ. communic. p. m.353. In Comitis, Thomæ Arundelii, poſt mortem conditur æ gratia diſſecti, veſica urinaria calculus globoſus, lævis & durus fuit repertus, quem delineat Georgius Hieronymus Velſchius *Obſ. med. Epiſag. 66. p.40.* Duos calculos rotundæ figuræ in glandula pineali obſervavit Jobus a Meekren *Obſ. med. chir. cap. 58. p.269.* Rotundum & globoſum calculum, candidum inſtar cretæ, ſed durum ſolidumque per ſcroti fiſtulam rejectum obſervavit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſtor. 8. p. 227.* In Viri ingenioſi, viginti annos calculo laborantis, veſica inventus eſt lapis rotundus, duriſſimus, albicantis coloris, pendens octodecim uncias, vid. Zacut. Luſitan. *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 70. fol. m. 58.*

§. 3.

Calculum triangularem, duriſſimum, compactum, ſilicis colore, ex quo cum ferro, ut ex ſilice, ignis eliciebatur; triginta duarum unciarum pondere conſtantem, e diſſecto corpore extractum Antonius van der Linden oſtendit Zacuto Luſitano, uti in *l. a.* refert. De calculo grandi, lato, plano, triangulari, ac in uno latere paululum ſerrato, improviſo ſine omni fere dolore cum urina parum ſabuloſa prodire annotavit Johannes Helwigius *Obſ. phyſico-med. 109. p.307.* Et *Obſ. 121. p. 331.* refert idem Autor ex propria obſervatione, in Johannis Sauberti, Theologi Norici, veſica urinaria calculum triangularem, incredibilis magnitudinis, angulis quidem obtuſis, ponderis civilis inſuper decem unciarum fuiſſe inventum. Item *Obſ. 81. p. 251.* in veſicula fellea repertorum lapidum triangularium, quadrangularium, quinquangularium meminit. Calculum triangularem, nonnihil ad latera inæqualem & minorem in muliere quadam excretam annotavit Thom. Bartholin. *Hiſt. anat. Cent. I. Hiſt. 72. p. 108.* Lapides

Angulares trigoni vel triangulares.

des

des triangulares & quadrangulares alii ſexangulares, ex epatis abſceſſu provenientes obſervavit Godofr. Thileſ. *M.N.C. Dec.I. An.I. Obſ.165.p.242.* Item Simon Schultzius *ib.An.4.&5. Obſ.125. p. 136.* meminit conſulis cujusdam relictæ viduæ, quæ poſt atrociſſimos infimi ventris dolores per inteſtina excrevit lapidem, ovi columbini majoris magnitudine, verum angulari forma, unum, & dein partitis vicibus ultra viginti minores, triangulares, quadrangulares, rhomboides & pentagonos &c. Ex corde Urbani VIII. Pontificis Maximi calculum triangularem extractum fuiſſe ex Thoma Bartholino allegat Jobus a Meekren *Obſ. med. chirurg. Cap.35.p.m.148.* Ultra ducentos calculos, variæ magnitudinis & figuræ, plerosque tamen vel triangulares, quadrangulares, quinquangulares, ſexangulares & ſeptangulares ex ſecundina ſeu placenta uterina decerpſit Fridericus Dekkers, cujus vid. *Exercitat. Pract. Cap. VIII. p. 666.* Quadrangularem lapidem in viduæ cujusdam hydropicæ rene dextro & quidem circa infundibulum invenit Andreas Cnœffelius, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4. &5. Obſ.57. p. 48.* Lapides quinque magnitudinis avellanæ, figura Mathematicorum corpora pentagona repræſentante in fœminæ cujusdam veſicula fellis invenit Johannes Veslingius. vid. Th. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. II. Hiſt. 54. p. 234.* Juvenis calculoſus Anno 1661. in xenodochio Auguſtæ Vindelicorum ſectus eſt. Lapides e veſica gemini feliciter exempti ſunt, interius nonnihil nigricantes, foris autem cinerei coloris, in quibus cruſtæ, velut in Bezahardicis, ſibi invicem ſuperinductæ conſpici poterant & figura inprimis admirationem merebatur. Uterque enim murices, ſeu tribulos ferreos, inter militaria ſive poliorcetica inſtrumenta, ſatis exacte referebat hoc ſolo diſcrimine, quod unus illorum pentagonus, alter hebdagonus, ſive totidem aculeis aut cuſpidi-

bus

bus quaſi armatus appareret, quam Obſervationem recenſet Georgius Hier. Velſchius *Hecatoſt. II. Obſ. 58. p. 32.* Calculos autem hos, tam pentacronium, quam heptacronium, depictos videbis *in Hecat. I. p. 92.* Calculi variorum angulorum etiam hinc inde annotati ab Autoribus leguntur. Cum enim Anno 1551. conſulis tunc temporis Lipſienſis, nomine Badehorni, frater deceſſiſſet, corpus defuncti, permiſſu fratris, ob ſuſpicionem philtri in Italia hauſti, ſectum, membris intus omnibus ſalvis atque integris: corde ſaltem modice tabido fuit. Ubi vero fellis veſica aperta, intus viginti duo calculi, quaſi ſublutei, magnitudine diſpari reperti fuere, quorum minimi piſis minutis, maximi modicis fabis reſponderunt; Omnes quinque, ſeptem, octo aut plurium etiam angulorum, vid. Joh. Kentmann. *de Calcul. pag. 8. ſeq.* Idem etiam *p. 5. b.* lapidis dimidiatum fere columbæ ovum adæquantis, anguloſi, exemplum recenſet. Exemplum calculorum octogonorum communicat etiam Laurentius Wolfſtrigel *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 89. p. 163.* de Muliere quadraginta annos nata, quæ ſæpius doloribus, colico-nephriticos æmulantibus, infeſtabatur. Poſt varia remedia ſuaſu cujusdam chirurgi enema ex emollientibus injicitur, quod paulo poſt ſummis doloribus & ſtrepitu (ex illiſu lapillorum ad fundum canthari) rejectum eſt. Examinatur alvina ac putida illuvies, ibique reperiuntur lapilli numero viginti ſeptem octogoni, coloris ex flavo fuſci, nigris maculis inſigniti, quorum quilibet grana ſex ponderabat, & quales alias in veſicula fellis reperiri ſolent.

§. 4.

In puerili cujusdam tabido nephritici, qui aliquot ante obitum menſibus convulſiones octiduatim fere recurrentes, cum difficultate mingendi maxima, non ſine dolore *Tricuſpides.*

perpeſſus eſt, ſiniſtro rene calculum tricuſpidem, ſilicis duritiei, præ oſtio ureteris jacentem deprehendit Johannes Jacobus Harderus *Exercitat. anat. medic. I. pag. 2.* vid. etiam ejusdem Harder. *Apiar. Obſ. 78. pag. 301. ſeq.* Idem Harderus etiam loco priori allegato *Exercit. 20. pag. 114.* refert, ſe ex priapo pueri tredecennis calculum tricuſpidem ex veſica eo prolapſum glandique pertinaciter infixum, citra hæmorrhagiam qualemcunque extraxiſſe. De ſpina tricipiti lapidea inter duram & piam matrem reperta vid. Panarol. *Pentec. V. Obſ. 14. p. 150.*

§. 5.

Quadrati

Inſtar crucis ſeu quadruplici ramo per univerſum renem ſe diſpergentem calculum annotavit Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. II. cap. 44. p. 176.* adeo ut non potuiſſet inde eximi, niſi decerpſiſſes totum ipſius parenchyma. In folliculo felleo Andreæ Petermanni Profeſſoris Lipſienſis quatuor calculi cubis haud abſimiles reperti fuerunt, juxta ipſius filii, Benjamini Benedicti Petermanni *Obſ. med. Decad. II. Obſ. 10. p. 42.* Gvidonem Patinum Lutetiæ in octogenaria ſeptuaginta quinque lapillos quadratos in veſicula bilis inveniſſe, ſcribit Johannes Daniel Horſtius *Manuduct. ad Medicin. Part. I. cap. 1. ſect. 3. p. 104.* Ex folliculo fellis Henricum Florentium centum & viginti quatuor calculos quadratos, ejusdem fere magnitudinis & craſſitiei, cinerei coloris extraxiſſe, refert Johannes Dolæus *Encyclopæd. Medic. Lib. III. cap. 13. p. m. 592.* Calculos duos majuſculos mole nucis moſchatæ, & tres dimidio minores, omnes figuræ cubicæ in matrona annotatas communicat Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 59. Schol. p. 282.* Duos calculos figuræ cubi minoris in virginis glandula pineali ſe obſervaſſe ſcribit Benjaminus Benedictus Petermannus *Obſ. med. Dec. I. Obſ. 10. p. 16.* In Horatii Albani Clementis XI. Pontificis, fratris germani, cyſti fellea

ſeptem

ſeptem lapides inæquales magnitudinis, & quaſi cubicæ figuræ continebantur, teſte Johanne Maria Lanciſio, vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Dec. III. & IV. App. p. 9.* Ex muſculo abdominis oblique deſcendente poſt caſum indurato, demumque lanceola pertuſo, primum flavus emanabat ichor, deinde diebus quinto, ſexto, ſeptimo atque octavo lapides prodierunt ſexaginta quatuor, teſſellatæ figuræ, ad magnitudinem teſſerarum Helvetico-Badenſium fere accedentes, juxta Obſervationem Hermanni Werneri Engelberti de Weſthoven *Ephem. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 20.* Et Luc. Schrœck. *Schol. p. 23. & 24.* Lapillos teſſerarum figuram repræſentantes & inſtar marmoris variegatos, quamplurimos e Chiliarchæ cujusdam uxoris epate poſt obitum exemptos, ſe vidiſſe refert Godofredus Mœbius *Fundament. Medic. Phyſiol. Cap. XIV. p. 349.* De tribus calculis fuſcis, ſeu ex viridi nigreſcentibus, ejusdem magnitudinis atque figuræ, ſcilicet inſtar magnarum teſſerarum ſeu talorum, quibus alveo aleatori ludi ſolet, a me in viduæ cujusdam veſica fellea repertis, vid. ſupra *Cap. II. §. 26.* Silicem quadrato-longum, pollicis longitudine e virginis veſica extrahi vidit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 80. p. m. 308.*

§. 6.

In juvenis cujusdam Lipſienſis octodecim annorum uretere ſiniſtro adeo expanſo ut magnitudine ſua inteſtinum gracile exæquaret, calculum prægrandem, maxime anguloſum, circa medium glabrum, ab extra lamina alba obductum, & quoad figuram conum minorem repræſentantem, intus vero quoad ſubſtantiam, variis arenulis guttulisque petrificatis compactum, obſervavit Benedictus Benjaminus Petermannus, *Obſerv. med. Dec. I. Obſ. VII. p. 9. ſeq.* Cum virum quendam præcipuæ dignitatis in Suecia omnes Medici ex nephritide & colica laborare conjice- *Inſtar Coni*

 rent,

rent, inque eum finem curatio inſtitueretur, poſt fruſtrata aliquot experimenta, tandem ab alvo lapilli ſeceſſere plurimi, rotundi, pyramidales, obtuſis angulis, coloris murini, intus cavi; quos transmiſſos Holmia Hamburgi ſe vidiſſe ſcribit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. phyſ. medic. Lib. 1. Obſ. 7. p. 15.*

§. 7.

Incurvati

Reperiuntur etiam quandoque calculi incurvati, quale exemplum annotavit Georgius Baglivus *de Fibr. motric. & morboſ. pag. m. 192.* de Muliere Romana in cujus ſecto cadavere calculus magnitudine digiti pollicis incurvatus, & partim in pelvi, partim in principio ureteris exiſtens in dextero rene inventus eſt. Item in Baronis cujusdam uxoris rene ſiniſtro magnus calculus bicornis fuit inventus; cujus alterum cornuum divulſum in ureterem deſcenderat, juxta Henr. ab Heer *Obſ. med. 1. pag. m. 15.* Anno 1669. uxor quædam gravida ultimis imprægnationis menſibus ſæpius alvi conſtipatione, dyſuria ac doloribus nephriticis acerbiſſimis affligebatur; poſt clyſma autem emolliens & carminativum, pulverisque antinephritici uſum intra triduum calculus ſatis grandis ſub figura canonis angularis incurvati, quali fabri murarii vel lignarii uti ſolent, magnitudine dimidii digiti auricularis, proſiliit, cum urina primum craſſa, paucisque poſt diebus, ſine omni fere incommodo feliciſſime parturiit, referente Johanne Helwigio *Obſerv. 114. p. 317.*

§. 8.

Piſiformes

Variarum quoque rerum, ex regno vegetabili & animali, figuras repræſentant calculi in corpore humano reperti; Lapides enim piſiformes juxta ſequentem Obſervationem annotavit Johannes Pechlinus *Obſerv. Phyſ. med. Lib. I. Obſ. 7. pag. 14.* Puer, inquiens, in Batavia inops duodecim annis major dolore veſicæ ponderoſo, at ſine calculi

culi ſuſpicione, diu laborabat; tandem circa perinæum tumor ſeſe prodere cœpit, ſua tandem ſponte ad ulcus ſpectans. Cum vero certo die piſis in cœnam appoſitis largius indulſiſſet, poſt ſex inde horas pruriginem in perinæo ſentit intolerabilem, quam ut domaret, digitos unguesque admovit, iisque tumorem laceravit; ex quo cum pure globuli quidam, numero circiter viginti, prodierunt, quos manu excipiens puer, ob figuræ ſimilitudinem piſa eſſe credidit, quæ antea comederat; Chirurgo autem accedenti remque bene ponderanti apparuit, calculos eſſe piſa exacte repræſentantes. vid. etiam *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 33. p. 91. ſeq.* Ultra centum lapillos, unius molis, ſcilicet piſi majoris magnitudinem æquantes, unius etiam figuræ, in Matrona quadam in finibus Bohemiæ degente annotavit Ehrenfridus Hagendorn. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 162. p. 388.* In famoſi cujusdam furis Anglicani, ob ſurreptos Jacobinos aureos lapidesque pretioſos Francofurti ad Mœnum capite truncati atque a Phyſico loci ordinario D. Sparrio ſecti alterutra veſicularum ſeminalium calculus reperiebatur, piſum tam colore, quam forma atque magnitudine referens, annotante Mich. Bernhardo Valentini *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 68. p. 158.*

§. 9.

Fabis ſimiles calculos triginta duos in utero fœminæ pleuritide extinctæ reperit Michael Morus, Medicus Senenſis vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. & II. Obſ. 77. p. 148.* & *Act. Erudit. Lipſ. An. 1712. menſ. Aug. p. 348.* Phaſeolum cum germinante hilo, ſeu particula priapeia referentem calculum ſibi monſtratum eſſe, refert Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. phyſ. med. Lib. I. Obſ. 7. p. 13.* Calculum phaſeolo per omnia ſimilem ex ruſtici cujusdam urethra certo inſtrumento ſe extraxiſſe, ſcribit Melchior Fribe *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 21. p. 107. ſeq.* De calculo, ſeptem circiter *Faba*

grana pendente fabisque, quas equinas vocant, ſimili, poſt factam inciſionem ſub lingua extracto, vid. *ibidem Obſ. 1. Schol. p. 3.* Anno 1703. Hamburgi in Margarethæ Brœckſiecks hortulani uxoris, a proprio marito interfectæ, veſicula fellis duo reperti ſunt lapilli, nigelli, aliquantulum ex flavo obſcure videſcentes, læves, niſi quod in utroque lineola quædam decuſſatim quaſi inciſa appareat. Major exacte quaſi fabam refert, & grana quadraginta pendet &c. vid. *Nov. Literar. German. An. 1703. menſ. April p. 156.* quo loco amborum figura exhibetur. Calculum fabam majorem craſſitie, magnitudine & figura referentem atque in damæ cerebro repertum a Johanne Heinrico Tonnenbindero ſibi exhibitum fuiſſe, refert Chriſtianus Mentzelius *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 33. p. 76.*

§. 10.

Glandes faginæ

De Aurifabri Dresdenſis uxore, quæ per longum temporis ſpatium verſus hypochondrium dextrum circa cyſtidem fellis ejusque ductum cholodochum acutiſſimum ſenſerat dolorem, demum autem poſt ſenſationem rupturæ alicujus circa illum epatis, antea tumidi, locum per aliquot ſeptimanas quamplurimi & ultra centum calculi ſubflavi vel potius ſubfuſci, interne videſcentes, omnes triangulares & ejusdem magnitudinis atque coloris, & glandibus faginis ſimillimos, per alvum excrevit, ſupra *Cap. II. §. 37.* plura vidimus.

§. 11.

Baccæ Lauri

Baccæ lauri quoad colorem & formam haud abſimilem calculum per alvum excrevit Vir quidam quinquaginta quatuor annorum ictero flavo cum acerrimis, circa regionem hepatis, doloribus laborans, hocque excreto non modo dicti dolores ſubito ceſſarunt, ſed ipſa etiam

cutis priſtinum nitorem ſimul recuperavit. vid. Andr. Petermann. *Diſput. ſeu Scrutin. Iſter. ex Calcul. Veſicul. fell. Hiſtor. Morb.*

§. 12.

Glandis mole & forma calculum fuſcum, qui vel ſagacioribus imponere potuiſſet, in mulieris cujusdam quinque & viginti annos doloribus nephriticis miſerrime vexatæ rene dextro poſt mortem ſe reperiſſe ad Lazarum Merſſonnerium perſcribit Johannes Beverovicius *Quæſt. epiſtol. pag. m. 9.* *Glandes*

§. 13.

Avellanæ nucis inſtar calculum duriſſimum, colore nigerrimum excrevit fœmina, poſtquam antea ſeptem dies ſævo ilium dolore fuerat excruciata. vid. Zacut. Luſit. *de Prax. med. admirand. Lib. II. Obſ. 68. fol. m. 58.* Filia etiam primarii apud Dordrechtenſes Senatoris quadragenaria, jam quinque & viginti annos doloribus nephriticis miſerrime vexata, plurimos ſubinde calculos excrevit, diverſi diverſo tempore coloris. Poſtmodum, cum ob proximi incendii rumorem ſubito terrore percelleretur, in ſymptomata parturienti plane ſimilia incidit, ac obſtetricante dolore ex reſerato, tanquam uteri, veſicæ orificio multum calculorum in terram cum ſonitu defluxit. Partus hujus poſtero & ſequenti die pari fere vehementia dolores denuo oborti, parem fere, (viginti, circiter fuerant) calculorum numerum expulere, quorum majores nucem avellanam cum putamine, plures nucleum æquabant, juxta verba Joh. Beverovicii *l. a. p. 8.* *Avellana*

§. 14.

Amygdalæ magnitudinem, figuram & colorem, repræſentantes calculos duos, poſt diuturnos ventriculi dolores, anxietates, inappetentias, tandem vomitivi uſu ſutoris cujusdam uxorem ejeciſſe, ex eoque tempore ab *Amygdala*

omnibus moleſtiis liberatam fuiſſe, refert Johannes Jacobus Wenceslaus Dobrzensky *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 181. p. 278.* In Nicolai van Dyck, in fortalitio Crevecœriano quondam Præfecti altero rene duo calculi extabant, quorum prior magnitudine & figura pomi perſici lapidem, alter nucem amygdali, quam dentibus frangere ſolemus, adeo naturaliter referebant, ut ovum ovo vix ſimilius dixiſſes. v. Joh. Beverovic. *Spicileg. de Calcul. p. m. 174.* Calculos duos amygdaliformes potatione Thermarum Aquisgranenſium expulſos obſervavit Franciſcus Blondel *Deſcript. Thermar. Aquisgran. p. m. 200.* Miſenæ uxor pannicularii cujusdam, ſex totos dies ſummos cruciatus enitendo perpeſſa fuit adeoque ſævos, ut ei crus dextrum ſtupore penitus rigeſceret & denigraretur, donec lapidem peperiſſet, magnitudine, forma atque colore amygdalæ ita ſimilem, ut amygdalis permixtus ab iisdem internoſci repentino aſpectu vix potuerit, juxta Joh. Kentmann. *de Calcul. in Corp. human. pag. 10.* De calculo amygdaloide à virgine Nobili excreto, qui foris cruſta quaſi alabaſtrina, ceu ovi teſta, pulchra erat inveſtitus. Eo vero loci, ubi cruſta abſceſſerat, in lateralibus nempe partibus, interior calculi facies erat quovis carbone nigrior. vid. Roſin. Lentil. *Miſcellan. med. pract. Part. I. p. 261. ſeq.* Amygdalini nuclei forma & magnitudine poſt mortem e mercatore extractum calculum cum parente ſuo ſe vidiſſe ait Lucas Schrœckius. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 75. Schol. p. 165.* De calculo in Comitis de Belcares ventriculo invento, qui amygdalæ craſſitiem repræſentabat, vid. Frid. Nitzſch. *Ephemerid. Erudit. An. 1666. p. 555.*

§. 15.

Inſtar Ricini Ricini forma & magnitudine calculum lævem atque duriſſimum poſt maximos dolores excreviſſe Lucam Tolentinum, annorum ſexaginta quinque, affectu mixto ex

urinæ

urinæ difficultate cum ardore & ſtranguria a quindecim diebus prehenſum, recenſet Georgius Hieronymus Velſchius *Conſil. medicinal. Cent. III. n. 67. p. m. 330. ſeq.*

§. 16.

Calculos etiam pineis magnitudine & ſimilitudine pares ſe aliquoties exegiſſe, refert idem Velſchius *l. a.* Et *Curat. propr. Decad. VII. Cur. 4. p. m. 418. ſeq.* de nephritide a calculo pineiformi agit, illumque ægrotantem poſt curationem ibidem deſcriptam ſine graviori ſymptomate calculum coloris ex luteo rufeſcentis, durum & nucleum pineum craſſiuſculum figura & magnitudine referentem, inferiori parte lævem, ſuperiori autem inæqualem & aſperum excreviſſe ſcribit. *Pineiformes.*

§. 17.

Dactyliformes ſeu lapillorum dactyli figuram referentes calculos hactenus quamplurimos allegavimus, & plerumque tales per ureteres ex renibus ad veſicam tendentes obſervantur, vel etiam per urethram rejiciuntur. Meminit enim Godofredus Samuel Poliſius Viri, conſulari dignitate conſpicui, qui prægreſſa totali lotii ſuppreſſione per novem dies perdurante, ſuccumbere coactus fuit, poſt beatam autem ἀνάλυσιν in uretere dextro non procul a veſica calculum, dactyliformen repræſentantem, conſpiciendum præbuit. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 104. p. 264.* Nucleis dactylorum conformes calculos ſæpius oculis obvenire paſſimque eſſe obvios, ait Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 66. p. 1103.* Virgo Nobilis Danica, referente Thoma Bartholino *Hiſtor. anat. Cent. I. Hiſt. 33. p. 47.* Calculos forma & magnitudine dactylorum e naribus emunxit. Calculum durum, oblongum, aſperum, oſſis dactyli inſtar, & ita gravem ut granorum viginti cum dimidio pondus æquaret, tuſſi eructavit vir quidam quadragenarius, teſte *Dactyliformes.*

Zacuto Luſit. *Prax. med. admirand. Lib. I. Obſ. 103. Oper. Tom. I. fol. m. 24.* Ex meatu urinario civis Ratisbonenſis calculum oblongum, rotundum, aſperum, nuclei dactylorum figura & magnitudine ſine omni læſione extraxiſſe chirurgum, refert Lucas Schrœckius *in Schol. ad Joh. Helwig Obſ. 134. p. 366.* Calculum duriſſimum ac ſiliceum, forma ac magnitudine oſſibus dactylorum reſpondentem, qui ſub lingua in abſceſſu latuit, ſe vidiſſe refert Matthias Unzerus *de Nephritid. Lib. I. cap. 5. p. 25.* vid. etiam ſupra *Cap. III. §. 6.*

§. 18.

Caſtaneæ. De calculo caſtaneæ forma & magnitudine inteſtino colo tenaciter adhærente, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. III. Hiſt. 75. p. 151.* vid. etiam Petr. Borell. *Hiſtor. med. phyſic. Cent. II. Obſ. 62. p. 162.*

§. 19.

Granum tritici. Vidua quædam ſexagenaria habuit apoſtema in maxilla dextra. Cumque tonſor illud aperiret in parte interiore ſuppurata effluxit copioſa ſanies poſt duos aut tres dies: Cum aliquando fortius comprimeret chirurgus apoſtema profiliit lapis magnitudine & forma grani tritici & curata eſt. vid. Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. I. fol. 196.* In certo quodam ſacculo, hepatis ſubſtantiæ annexo, innumeri calculi ad formam ſeminum tritici turcici, concinne impacti, fuere reperti juxta Obſervationem Gottfr. Samuel. Poliſii *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 104 p. m. 263. ſeq.* Dudlejus Carleton Legatus Britannicus ad Venetos 1612. impetigine moleſta laborabat utraque axilla. Hanc in conſilium vocati Medici minime pruriginoſam ſine rubore & caloris ſenſu pronunciabant: ſtillationi cuidam ichoroſæ, paucæ & quidem ſanioſæ e naribus conjunctam: arenulis in urina limoſa & albicante apparentibus, interdum

&

& ſcrupulis quaſi hordeaceis, ex arenulis concreſcentibus & ſucco lapidifico compactis &c. vid. Georg. Hieron. Velſch. *Conſil. medicin. Cent. III. Conſ. 62. p. 323.*

§. 20.

Interdum etiam calculi alias figuras repræſentant, ſiquidem teſte Thoma Bartholino *Cent. V. Hiſtor. 57. p. m. 126.* ſingularem e veſica calculum præviis cruciatibus excrevit Petrus Sparmannus, Hiſtoriarum Profeſſor Publ. meliore fortuna dignus, fragariæ fructui haud abſimilem figura & magnitudine, cum pedunculo, quo parti alicui videtur adhæſiſſe. *Fragum*

§. 21.

De calculo mori fructum referente hanc Obſervationem communicat Johannes Kentmannus *de Calcul. in Corp. homin. pag. 1. ſeq.* ſcilicet Johannes Pfeil, Profeſſor Lipſienſis affirmarat, ſe in Noſocomio Florentino curam egiſſe ægri cujusdam, qui diuturno atque intolerabili capitis dolore adeo fuiſſet excruciatus, ut dies noctesque nullam prorſus quietis caperet partem. Interrogatus aut ipſe, aut qui tum miniſtrabant, quid ſibi præcipue doleret? Capitis continuo cruciatu ſe confici, ajebat, quem ſibi mori eſu contraxiſſet. Nulli operæ tum parcens Medicus, omnes adhibuit machinas, nihil intentatum reliquit. Sed in tam dubio atque deſperato caſu, omnem operam ludos fecit, nulla, quæ ſanaret medicina, reperta fuit, æger perpetuis doloribus iisque acerbiſſimis ſuperatus vitam morte commutavit. Ut hujus autem defuncti caput ipſi Pfeilio, in cognoſcendæ tanti cruciatus cauſæ deſiderio ardebat, diſſecare liceret, ab ipſius cognatis precario impetravit, atque in aperti capitis cerebro lapidem reperit magnitudine & forma mori, colore autem quaſi pullo aut cinereo, quem deinceps pro ſingulari miraculo multis oſtendit. Quem etiam in Kentmanno depictum reperies. *Morum*

Calculum etiam fructum mori figura imitantem, a litho-tomo quodam extractum, delineavit Fridericus Ruyſchius *Theſaur. Anatom. I. p. 2. & Tab. I.* & adhuc alium ſiſtit *Theſaur. III. pag. 6. Tab. I.*

§. 22.

Caryophylli. Caryophylli aromatici figura & magnitudine calculum ureteris dextri parietibus firmiter adhærentem in puella novem circiter annorum annotavit Carolus Raygerus, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 285. p. 502. ſeq.* quo loco annectit, hunc lapidem caryophyllatum intus habuiſſe materiam nigricantem quaſi pro baſi, cui extrinſecus adnatus cortex albiſſimus inſtar ſacchari candi aut tartari cryſtalliſati pellucidus.

§. 23.

Fungiformis. De calculo fungiformi ex utero adoleſcentulæ a chirurgo extracto, qui multum aſſimilabatur fungis illis, qui in pratis vernali tempore naſcuntur & ſecundum Bernhard. Ramazzinum Sforacchielle dicti, cum toti quaſi foraminoſi appareant, a populo autem Patavino, Sponzole nominantur, cum aliquam ſpongiæ ſimilitudinem habeant; Turnefortius hos fungos Boletos, Gallice Morelle vocat. Calculus tamen ille non erat excavatus & perforatus, nec cum canaliculis aut cavernulis profundis ſulcatus, ſed ſcaber & tuberoſus, atque aliquam rudem convenientiam cum prædicto fungo, ob pediculum & ovalem ac inæqualem figuram obtinebat, uti refert Hector ex Valle *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I & II. Obſ. 95. pag. 187.* Item fungis, quos Galli Morilles vocant, omnino ſimiles calculos eosque maximos; & alios byretrum quadratum referentes, quosdam betæ rubræ radicem, aliquos ſecum ſe aſſervare, ſcribit chirurgus juratus in Portu gratiæ, nomine Pelerinus, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. IV. menſ. Februar. Obſ. 4. p. m. 30.* *Strobili.* Calculum inſtar ſtrobili

ſub

ſub lingua cujusdam heroinæ natum & inde evulſum ſe conſpicatum eſſe refert Hieronymus Montuus. *Anaſcev. Morbor. Tom. IV. cap. I. p. m. 410.*

§. 24.

Ingentis radicis Zingiberis magnitudinem & formam apprime referentem calculum in mulieris cujusdam, quadraginta circiter annorum, Anno 1684. in Noſocomio, aſthmate mortuæ rene ſiniſtro obſervavit Fredericus Ruyſchius, *in Obſerv. Anat. Chirurg. Obſerv. 56. p. m. 73.* quo loco ejusdem calculi figuram delineatam reperies. Idem Autor etiam *Theſaur. anatom. I. p. 2.* Calculi nigri e pelvi poſt fata exorſi, zingiberis forma, meminit. Talemque radicis zingiberis figuram etiam ille calculus monſtrabat, quem ex Secretarii Budiſſini, Domini Kreſſii, rene ſiniſtro, ponderis unciæ unius ſemis exſecare contingebat, de quo vid. *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 172. p. 291.* Et Michael Doringius in civis cujusdam Vratiſlavienſis, poſt intenſiſſimos renis ſiniſtri cruciatus defuncti, ejusdem renis ſubſtantia hinc inde calculos majuſculos cum non parva ſabuli copia, & tandem in ipſo infundibulo, (quo loco ſerum e rene in ureterem tranſire ſolet) lapidem inſigniorem, radici zingiberis mediocri, & magnitudine & forma facieque per omnia reſpondentem reperit. vid. Greg. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſervat. 46. fol. m. 228.* *Zingiberis*

§. 25.

De lapide pyriformi tuſſi rejecto hanc obſervationem communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 6. Append. p. 10.* Matrona quædam Norwegica, quinquaginta ſeptem annorum, a novendecim annis moleſtiſſima tuſſi conſtanter cruciata & emaciata, tandem cœpit minutos lapillos, una cum tenaci pituita rejicere, quos alio die majuſculi ſequebantur. Denique notabilis aliquis, friabilis, cinericeus ac rubris punctulis eleganter *Pyriformis*

 diſtinctus

diſtinctus, cujus forma erat pyriformis, uti ex ibidem adjecto ſchemate videmus, vid. etiam Ch. Fr. Paullin. *Obſ. medic. phyſ. Cent. II. Obſ. 91. p. 276.* Calculum pyriformem alia mulier ex veſica excrevit, & quidem aſperum, in quo aſperæ partes candidiores, obſcuriores glabræ erant, referente Thoma Bartholino *Hiſtor. anatom. Cent. I. Hiſt. 72. p. 108.* Lapidem durum & compactum ad pyri ſylveſtris formam compoſitum, juxta finem mandibulæ dextræ inferioris vidit & extraxit Dionyſius Pomaret, v. Lazar. River. *Obſerv. ab ipſo communicat. Obſerv. 7. p. 553.* In juvenis cujusdam illuſtris a Streithorſt aperto poſt mortem cadavere veſica deprehendebatur duplicata, vel potius in duas cavitates diſtincta, quarum dextra, in quam nimirum dexter ureter implantatus, tota mucoſa ejusmodi materia, qualis in ſpongioſo corpore deprehendebatur & ab ægro ante obitum excernebatur, ſiniſtra vero calculo pyriformi uncias tres ponderante repleta erat, uti refert Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 110. p. 230.* In phthiſico Anno 1697. extincto totum ſuccum felleum ſaxeum reperit Joſephus Lanzonus; ſecta enim cyſtide calculus pyriformis viridis coloris extractus eſt, quem conſervavit Lanzonus usque in menſem Novembrem, qui, euro ſpirante, in viridem liquorem eſt diſſolutus. vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 62. p. 144.* De calculo pyriformi ſeptem cum dimidia unciarum pondus æquante vid. ibid. *Cent. X. Obſerv. 100. pag. 437.* Calculum pyriformem, drachmas undecim cum dimidia ſive ℥j ʒiiiß pendentem absque laceratione ſphincteris veſicæ, vinitoris cujusdam in pago, *Spaar* dicto, nomine Martini Schumanni uxor, poſtquam per triennium continuos fere maximosque cruciatus cum crebrioribus vomitibus perpeſſa fuerat, die 5. Februar. Anno 1710. excernebat, diu adhuc ſupervivens.

§. 26.

§. 26.

Malo punico ſimilem lapidem in humanis inteſtinis vidiſſe Johannem Riolanum, patrem, ex ipſius Methodo general. allegat Philippus Jacobus Sachſius *Epiſtol. ad Joh. Dan: Major. de Mirand. Lapid. Natur. p. m. 101.* Et in Nicolai van Dyck, in fortalitio Crevecœriano quondam Præfecti altero rene lapis magnitudine & figura pomi perſici, reperiebatur, vid. Joh. Beverovic. *Spicileg. de Calcul. p. m. 174.* *Pomum Punicum* *Perſicum*

§. 27.

Ultra centum calculos unius molis, nempe magnitudinem piſi majoris æquantes, unius etiam figuræ, ſcilicet, flaveſcentes angulisque nonnullis conſpicuos (*wie geſchnittener Börn- oder Agtſteine* quibus colla ſexus fœminei collucere olim conſveverunt) a fœmina cum urina redditos, vidit manibusque palpavit Ehrenfridus Hagendorn, uti refert *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 162. p. 388.* *Succini*

§. 28.

Saccharum cryſtallinum ſeu candiſatum rubrum, vulgo ſaccharum candi dictum, ſic æquantem calculum, ut vix ovum ovo ſimilius exiſtere poſſit, tum colore nempe, tum pelluciditate, tum & duritie, ut etiam hunc calculum non tam pro calculo, quam tali ſaccharo, dictorum ignarus habuiſſet, obſervavit Vitus Riedlinus *Millenar. Curar. med. Centur. II. Obſ. 112. p. 65.* *Saccharum*

§. 29.

Corallii truncum & ſurculos elegantiſſime æmulatus fuit lapis, in corpore cujusdam Generalis Carmelitarum diſſecto inventus, inſignis magnitudinis, atque in rene ab amplo caudice principium ſumens, in octo ramos juxta canaliculorum vaſis urinarii formam atque numerum diviſus, uti ex Bartholino Euſtachio recenſet Guilelmus Charleton *de Lithiaſ. Sect. II. cap. I. p. 111.* Similem *Corallium*

fere

ſere calculum, fruticem quaſi corallii æmulantem, ex viro ſexagenario, cui Dominici Faltera nomen exſecuit Thomas Alghiſi, Italus, vid. *Act. Eruditor. Lipſ. An. 1708. Menſ. Sept. pag. 419.* Lapidem corallo nondum levigato ſoliditate ſimilem e Nobili ſene extraxit Calotus, uti ex Th. Jordano refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 66. p. 1103.* In Urſula Kaufmanniana, e familia Draxdorfiana inventi ſunt in cavitate renum calculi, imitantes figuram ureterum in tubulos, quos carunculæ papillares obturant, expanſorum. Videbantur corallia marina flavo colore ſaturata, vid. Guern. Rolfinc. *Epitom. meth. cogn. Lib. III. cap. 19. pag. 303.*

§. 30.

Digitalis

Ad magnitudinem & figuram digitalis, quo ad ſuendum mulieres utuntur, accedentes calculos duos in Illuſtriſſimæ Matronæ, Ducis Wirtembergicæ cyſtide fellea fuiſſe repertos, refert D. Gendrots in Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. Anno 1. Menſ. Maj. Obſervat. 6. pag. 95. & 99.*

§. 31.

Manubrium

Calculum forma manubrii ſcipionis, quo eundo innitimur, veſica humana poſt mortem exſecuit Fredericus Ruyſchius eumque depinxit *Theſaur. anatom. I. pag. 1. Tabul. I. pag. 1.*

§. 32.

Verruca

Calculum oblongis ubique verrucis ſeu potius ſpinis obtuſioribus horridum, ob quas lithotomus inter operandum nova inciſione vulnus dilatare cogebatur, e viri cujusdam, viginti ſex annos nati veſica extractum, ſe vidiſſe refert Juſtus Schraderus *Obſerv. anatom. medic. Dec. IV. Obſ. 7. p. 230. ſeq.*

§. 33.

§. 33.

Concionator quidam totius quadrageſimæ tempore quinquaginta excluſit calculos, inter quos unus curioſus erat curioſæ figuræ; Sceptrum enim turcicum repræſentabat, in cujus ſummitate ſemiluna conſpiciebatur, commemorante Joſepho Lanzono *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 90. p. 162.* *Sceptrum turcicum.*

§. 34.

Magnum calculum bicornem in Illuſtris cujusdam Baronis uxore, (quæ quinquaginta quatuor annos nata, paralyſin olim paſſa, tunc nephritica, Medicorum in acidorum uſu inexpertorum conſilio Acidulas Spadanas dies quatuordecim biberat, quo etiam mortua erat) & quidem in ejusdem rene ſiniſtro Anatomicus invenit, alterum cornuum divulſum in ureterem deſcenderat; unde immanis illa parte dolor uti ſcribit Henricus ab Heer *Obſervat. med. 1. p. m. 15.* *Calculus bicornis.*

§. 35.

Murices ſeu tribulos ferreos, inter militaria ſeu poliorcetica inſtrumenta ſatis exacte referentes calculos geminos, ex juvenis calculoſi veſica exemptos obſervavit atque depinxit Georgius Hieronymus Velſchius *Obſerv. med. phyſ. Hecatoſt. II. Obſ. 58. p. 32.* *Tribuli*

§. 36.

Lapides figura, ſubſtantia, colore carbones abſolute repræſentantes Monialis quædam nobilis, diu doloribus nephriticis vexata per urinarios meatus expulſit, teſte Dominico Panarolo *Pentecoſt. V. Obſ. 6. p. m. 144.* Hos tamen calculos non veros calculos, ſed ipſos carbones; errore aliquo fortuito devoratos & a natura in veſicam detruſos fuiſſe, videtur veroſimile Lucæ Schrœckio, Lucæ filio, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 13. p. 37.* qui ſuam ſententiam ex Guilelmi Fabric. Hildan. *Obſerv. Chirurg. Cent. V. Obſ. 51.* *Carbones*

fol. m. 438. defendere conatur, quia hic Autor, cum a Matrona Bernenſi carbones per urinam abſque inſigni dolore atque incommodo, excretos obſervaſſet, eosdem potius cum juſculis & pane ipſo devoratos, quam in parte aliqua corporis genitus fuiſſe, arbitratus fuerat. Cum vero lapides carboniformes ab ipſis carbonibus ratione ſoliditatis atque duritiei admodum differant, hinc etiam, an veri ſint carbones, an vero calculi nigri, quales ſæpius hinc inde occurrunt, tactu facillime dijudicari poterunt.

§. 37.

Caſeus Calculum caſei vulgaris ruſticani, cujus utrinque mucro ſeu cacumen eſt obtuſum, figuram, (*einen Qvarckkäſe* vocant) referentem, libræ unius cum dimidia ponderis in cane fuiſſe repertum, variis in locis recenſet Roſinus Lentilius, *Jatromnemat. Cap. 6. p. 22.* quo loco hunc calculum albicantiſſimum fuiſſe, aliumque in ventre ſuo, eleganti ſſime efformatum, minorem, ſed qui totius & integri calculi figuram exactiſſime referebat, continuiſſe addit. Idem Autor etiam *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 136. p. 263.* hunc calculum Anno 1675. Jenæ inventum eſſe ſcribit; & ibid. *Dec. III. An. 5. & 6. App. p. 99.* D. Faſchium hunc calculum veſicæ ℔iß. pondere, figura caſei vulgaris ruſticani Thuringiaci, in cane quodam reperiſſe ſcribit.

§. 38.

Veſica figura. Lapidem muliebrem, quatuor unciarum ponderis, & ovi anſerini magnitudinis, qui veſicæ figuram retinuerat, ſe vidiſſe ait Petrus Borellus *Obſ. medic. Cent. II. Obſ. 22. p. 128.*

§. 39.

Cacodæmonis facies. De facie cacodæmonis hanc Obſervationem Gregorio Horſtio communicat Johannes Bilgerus: Vir quidam quadraginta aut circiter annorum natus, ingenti ſiti ad aliquod tempus ita preſſus fuit, adeo, ut ſingulis ferme diebus duodecim menſuras aquæ, & quidem ſine omni

noxa,

noxa, evacuaret. Hic cum ante duos menſes die quodam pondus grave in corpore, huc atque illuc, globi inſtar grandis, movere ſeſe ſentiret, ratus excrementa forſan dura eſſe, quibus exitus non pateret, protinus ad latrinam perrexit, in qua cum ſederet & globum ad inteſtinum rectum deſcendere animadverteret, quem cum præ magnitudine excernere non poſſet, ut ſibi ſuppetias quiſpiam ferret, grandi clamore totam replevit domum, dicendo, ſibi globum quendam in ani orificio hærere, cui exitus eſſet denegatus. Accitus igitur ſtatim lithotomus, & explorante digito in anum immiſſo, calculum magnitudine pomi majoris, prægrandem eſſe cognovit, qui haud cunctanter arrepto ſuo inſtrumento, quo in veſicæ calculis eximendis utuntur, calculum prædictæ magnitudinis, cui quaſi cacodæmonis facies erat inſculpta, maximo cum ægri cruciatu, exemit, quem meis oculis, præſente Generoſiſſimo Barone a Königseck, vidi & manibus meis contrectavi. vid. Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 237.*

§. 40.

Solis inſtar calculus, ſeu rotundus magnitudine parvæ pilæ, pyramidibus politis & acutis circumſpectus puncticulis longis, acus forma, inter pyramidem & alteram inſertis, in pueri, quindecim annos non excedentis, veſica ab Acoſta Luſitano obſervatus, delineatur a Zacuto Luſitano *Prax. med. admir. Lib. III. Obſ. 138. fol. m. 139.* *Solis*

§. 41.

Vir quidam Maſſiliæ, per quatuor annos calculo veſicæ laborans, nunquam ſæviſſimis doloribus ſedandis remedium invenit, eo quod in ſolam urinæ acrimoniam doloris cauſa referebatur; neque unquam venit in mentem curantium & conſultantium, toto morbi decurſu, lapidem ſubeſſe in veſica, in tam diro & pertinaci cruciatu, eo quod *Lunæ*

nunquam fieret urinæ ſuppreſſio. Tandem brevioribus intervallis repetentibus cruciatibus, & ægri rebus in pejus ruentibus, concluſum eſt in ultima conſultatione, lapidem ſubeſſe in veſica, ſed tardius, intra enim triduum mortuus eſt. Diſſecto cadavere, inventus eſt calculus in veſica, lunæ cornutæ figura; ſuperiori cornu adhærens veſicæ, paulo ſupra collum ipſius; inferiori vero prope attingens, ideo, ut putatum eſt, nunquam facta fuerat per tot annos iſchuria. vid. Nicol. Cheſneau *Obſerv. Lib. III. Cap. X. de Calcul. pag. m. 353.* In Eminentiſſimi Cardinalis Franzoni, anno ætatis octogeſimo ſexto defuncti veſica præter alios in thorace & abdomine latentes calculos, tres calculi perquam ſcabri, unus alter rotundus, reliqui autem ferme ſemilunares, omnes ſibi invicem combinati ac interiori veſicæ membranæ ſtricte agglutinati comparuerunt, uti ex Joh. Baptiſta Contulo recenſent *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. Menſ. Septembr. p. 397.*

§. 42.

Cochleæ. Inſtar cochleæ lapidefactæ effigiatus calculus, in centro quaſi cryſtallum habens, a perito quodam lithotomo Petro Borello fuit donatus, uti hic *Hiſtor. med. Cent. II. Obſ. 62. p. 161.* teſtatur. In Noſocomio Lugdunenſi calculum nigricantem duriſſimum, ſilicis inſtar cochleæ figuram habentem, in hepate humano obſervatum, communicat Gerardus Blaſius *Obſ. med. Part. IV. Obſ. 19. p. m. 84.* In folliculo biliario alicujus Marchionis calculum aliquam conchylii marini foſſilis ſpeciem repræſentantem reperiſſe Thomam Alghiſi ex ipſius lithotomia recenſent *Acta Eruditor. Lipſ. An. 1708. menſ. Septembr. p. 419.*

§. 43.

Caput cervinum. Caput cervinum cum cornubus & collo appoſite exprimens calculus in Fœminæ Nobilis, quatuordecies abor-

tientis,

tientis, rene dextro repertus eſt. vid. Felic. Plater. *Obſervat. Lib. II. pag. m. 467. ſeq.* & ex hoc Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 22. fol. 1154.* it. Raymund. Vieuſſens *Syſtemat. Vaſor. Corpor. hum. p. m. 191. ſq.*

§. 44.

Felini capitis figuram habuiſſe calculum humanum in eoque ſerpentem fuiſſe repertum, refert Petrus Borellus *Obſerv. Cent. II. Obſ. 22. p. 128.* Felinum.

§. 45.

Cordiformium calculorum exempla, quod attinet, refert Fridericus Ortlobius, in vidui cujusdam Vratislaviæ degentis quadragenario majoris, die 6 Aprilis 1670 obeuntis rene ſiniſtro, vidit calculum, pondere quinque ſcrupulorum, figura & magnitudine cordis avium oblongiore tornata, multæ materiæ ſeroſo-lacteæ, quæ una cum plurimis particulis tartareis, inſtar calcis per totam renis ſubſtantiam diſperſa erat, quaſi innatans. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 143. pag. m. 320.* In Johannis Hentſchelii, muſicorum inſtrumentalium Thorunenſium magiſtri ex urinæ omnimoda ſuppreſſione defuncti rene dextro cavitatem ſabulo rubeſcente conſperſam, in ureteris autem pelvi calculum, figura corculum referens, & magnitudine avellanam, pondere autem grana non excedentem ſe reperiſſe ſcribit Georgius Segerus. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 23. pag. 42.* Calculum pugni craſſitiem habentem novemque uncias pendentem, inſtar magni cordis, piſtori cuidam dulciario e veſica feliciſſime extraxit Johannes Collo, vid. Ambroſ. Paræus *Lib. 24. cap. 19. fol. 567.* In Notarii cujusdam cæſarei, quinquaginta octo annorum, demortui veſica inventus eſt calculus durus, cordiformis, unciam unam cum drachmis ſex pendens, narrante Sebaſtiano Scheffero *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 152. pag. 297.* Calculum cordiformem, in quo quatuor veluti vaſorum Cor.

 trunci

trunci abſciſſi, appendices accreverunt, Hanoviæ in militis cujusdam præſidiarii rene dextro obſervavit Salomon Reiſelius vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 191. p. 362.* Ejusdem figuræ calculum per ductum urinarium excreviſſe virum quendam Reverendum, Johannem Merulam, teſtatur Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſ. chir. Cent. IV. Obſ. 48. fol. m. 322.* Calculum ſatis magnum uncias quinque cum dimidia pendentem atque figuram cordis repræſentantem, ex Jeremiæ Baneri veſica poſt mortem fuiſſe extractum, refert Johannes Scultetus *Armamentar. Chirurg. Part. II. Obſerv. 66. p. m. 93. ſeq.* Et ex hoc fine Autoris mentione Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 4. fol. 1256.* Veſicæ calculum cordis formam penitus repræſentantem, vidiſſe Sebaſtianum Scarabicium, recenſet Lucas Schrœckius, F. Schol. in Joh. Dol. *Obſ. M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 75. pag. 164.* Nobiliſſimus juvenis Carolus Comes de Balcarras undecim annos natus, poſt febrem & alia ſymptomata obſtructa & intercepta ſangvinis & ſpirituum officina ſuffocatus obiit. Diſſecto cadavere magnus calculus duarum prorſus unciarum ponderis, ejusdemque pariter cum corde figuræ intus fuit repertus. v. Thom. Burnet. *Theſaur. medicin. pract. Lib. III. Sect. 56. pag. 254.* De lapide quodam, figuram, colorem & alia requiſita cordis, imitante, ſcilicet auriculis ab utroque latere, vel, ut vulgo ajunt, corona dotato, atque in corde cervi reperto, vid. David. Reich. *Medicin. univerſ. in M. N. C. Dec. II. An. 10. Append. p. 73.*

§. 46.

Membrum virile. Membro virili, cum glande, præputio, ſcroto & in illo interſtincta ſutura, ſimilem calculum, ex viduæ cujusdam, ætate plus quam quadraginta annorum, continuis doloribus cum urinæ ſtillicidio & aliis moleſtiis tentatæ, orificio cervicis veſicæ extraxit famatus lithotomus

Fride-

Fridericus Wred, referente Martino Bernhardo a Berniz, qui hunc calculum tanquam rem extraordinariam ſereniſſimo Regi Poloniarum Johanni Caſimiro oſtendit, qui illum etiam non ſine admiratione manibus tractavit. Quod imaginatio in illa fœmina ad hanc figuram cooperata ſit, ſunt qui hoc omnino credunt. Formam autem & magnitudinem hujus lapidis dictus Autor *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 139. p. 223.* in adjecta tabula exhibet. Ejuſmodi calculum priapoidem, digiti longitudine, glande etiam foramen minante D. Lælius Onolsbaci Johanni Nicolao Pechlino oſtendit, uti *Obſ. phyſic. med. Lib. I. Obſ. 7. pag. 14.* teſtatur. Ibidem etiam dictus Autor, molem calculi Saubertiani, cujus ſimulacrum Noribergæ ſibi fuerit demonſtratum, priapum, plane etiam teſticulatum, exprimere, addit; Quem tamen Sauberti calculum alii aliter depingunt. Calculum peniformem, vel adeo exacte penem humanum referentem, ut vel ex primo ſtatim intuitu quilibet cognoſcere potuerit, virum quendam aliquot ſupra quadraginta annos natum excreviſſe, annotavit calculosque delineavit Vitus Riedlinus *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 128. p. 219. ſeq.* De Priapolithis vid. Petr. Borell. *Obſ. Cent. III. Obſ. 85. p. 282. item Cap. ſeq.*

§. 47.

Calculos ungviformes etiam obſervari, teſtatur Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. IV. Cap. 36. p. 351. ſeq.* inquiens, Thomas Fontanus exantlatis aliquandiu acerbiſſimis urgentis urinæ cruciatibus, eminxit tandem plurimos calculos, colore varios & forma moleque diſpares, quorum alii in conſpectum prodiere glabri ac politi, alii viciſſim angulares vel ſphærici, imo nonnulli quaſi ferrula a ſe invicem præciſi; quod inuſitatum ſpectaculum eo majorem movit admirationem, quo deinceps excreverit plures effractorum calculorum cortices, qui æquantes *Ungviformes*

ungvem

ungvem humanum, ſeni ſeptenive ſingulis interdum prodiere diebus. De calculis ungviformibus ſequentem obſervationem communicat Mauricius Hoffmannus. In Nobili Patavino die 19 Febr. Anno 1649 pro cognoſcenda in regione lumborum doloris pertinaciſſimi, magnorum medicorum conſilia & auxilia fruſtra implorante, cauſa poſt mortem diſſecti, renes vacabant omni culpa & calculo, ab omnibus accuſato, jamque in eo erat diſſector, ut cauſa incognita diſcedere ventremque conſuere vellet, niſi Aortæ truncus ſub renibus in ramos iliacos diſtractus quaſi contortus mihi adſtanti apparuiſſet, & per compreſſionem digitorum prominentias aliquas duras notaſſem & demonſtraſſem. Aperta igitur arteriæ bifurcatione ſex calculi ungviformes ſive laminæ lapideæ viſui ſeſe obtulerunt, ſub qualibet arteriæ pulſatione vicinas fibrillas membranaceo-nerveas lancinando pungendoque doloris pertinaciſſimi autores. vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. & X. pag.* 442. De calculo ungvem digiti pollicis repræſentante, v. Zacut. Luſit. *Prax. medicin. admir. Lib. III. Obſ.* 133. *f.* 137. *ſeq.*

§. 48.

Vertebræ dorſi inſtar

Vertebræ dorſi non diſſimilem lapidem, trium unciarum pondere, inæqualem & anguloſum, quoad internam vero faciem diffractum, ſpongioſum & poroſum ex abſceſſu abdominis fœminæ cujusdam, Pauli Tanneri uxoris, volſellæ ope extractum annotavit Johannes Paulus Wurffbainius vid. *M. N. C. Dec. II. An.* 3. *Obſervat.* 183. *pag.* 360.

§. 49.

Infans

De lapide veſicæ figuram infantis mentiente hanc Obſervationem exhibet Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. II. An.* 6. *Obſ.* 75. *pag.* 164. Hortulani aulici noſtri filius duodecim annorum, diu ſtranguria laborans, quam excipiebat

iſchuria

iſchuria cum doloribus graviſſimis & ſubſequentibus motibus convulſivis, vitam cum morte commutavit. Aperto ejus cadavere in veſica inventus eſt lapis uncias duas ponderans & figuram infantis, quod mirandum, exprimens. Et Chriſtianus Helbichius ibid. *Dec. III. An. 4. Obſ. 33. p. 88.* de calculo, pueri figuram ex parte referente agens mentionem facit calculi, qui in bibliotheca Vormienſi aſſervatur in corpore Illuſtriſſimæ cujusdam Matronæ diſſecto repertus, quem Helbichius, rudi calamo a præfecto ejus bibliothecæ in ſua præſentia delineatum & juſtis dimenſionibus depictum, inque multis formam infantis æmulantem exhibet.

§. 50.

Calculos binos ſatis grandes, colore fuſco præditos, figura catulos parvos, quatuor prominentiis ceu pedibus, & capite mentitos, pluribusque aliis ſociatos, in liene vetulæ cujusdam, quæ per integros quindecim annos de gravativo ſiniſtri lateris dolore conqueſta fuerat, Profeſſor Heidelbergenſis, nomine Iſrael, oſtendit Roſino Lentilio. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 136. p. 263.* A Benedicto Sylvatico calculum renalem canis figuram exprimentem fuiſſe repertum ex ipſo allegat Lucas Schrœckius *Schol. in M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſerv. 75. p. 164.* Inquit etiam Ambroſius Paræus *Oper. Lib. 24. fol. m. 568.* multos ſe mortuorum diſſectis cadaveribus variæ formæ ac figuræ calculos, ut nefrendum catulorum & ſimilium adnotaſſe. *Catuli*

§. 51.

Pullum anſerinum referebat calculus longitudine primum pollicis humani articulum, cui tamen latitudine nonnihil cedebat, adæquans, & a muliere cum urina excretus, ſcilicet a dorſo latiori, quod poſteriora verſus ſenſim anguſtabatur, collum longiuſculum aſſurgebat, *Pullus Anſerinus*

cui caput rotundum, nullis quidem oculorum cavitatibus diſtinctum, ſed longiuſculo roſtro armatum inſiſtebat, ſub ventre duæ latæ prominentiæ cernebantur, pedes anſerum ſub ventrem retractos exprimentes, ex Obſervatione Cæſonis Grammii *M. N. C. Dec. I. An 3. Obſ. 19. p. 24. ſq.* ubi dictus Autor addit, ita accurate hæc omnia apparuiſſe, ut quis e longinquo calculum intuitus, pullum anſerinum ex ſolida quodam materia data opera formatum judicaſſet.

§. 52.

Paſſerculus Ex Principis Radziwibii rene ſiniſtro Anno 1652. Bononiæ Italorum calculum fuiſſe exemptum, qui formam & magnitudinem paſſerculi præſentabat, refert Johannes Georgius Volckamerus vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 63. pag. 139.*

§. 53.

Caput Pipionis Caput implumis pipionis haud male referebat calculus, qui arteriæ aortæ ramo firmiter inſidens obſervabatur, a Nicolao Tulpio, ſecundum ipſius *Obſ. med. Lib. II. cap. 25. pag. 142. & 144.* quo loco totum lapidem ad amusſim implumem aviculam retuliſſe addit.

§. 54.

Muris Muris imaginem referentis calculi ex Scherbii *Diſput. de Calcul. Ren.* mentionem facit Chriſtianus Helbichius *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 33. p. 89.* Et in Illuſtris cujusdam Viri cadavere calculus renalis repertus eſt, miræ figuræ, cum ureterem verſus amplo eſſet corpore in ductus vero pelvis aliquot eminentiis ſeſe inſinuaret, ut referre animal aliquod corpore ſuo & cruribus videretur. vid. Henr. Meibom. *Diſp. de Calcul. Renum Helmſt. 1679. habit. Reſpond. Juſto Nicol. Ottone §. 31.*

§. 55.

Conchylium De calculo conchylii marini foſſilis ſpeciem repræſentante

tante atque in folliculo biliario alicujus Marchionis deprehenſo, vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1708. menſ. Sept. p. 419.*

§. 56.

Lapidem monſtroſum ſeu prodigioſæ formæ, qui digitos projicere & ex parte cutem etiam pulchre videtur exprimere, ex Ducis Mercurii, Galli, Noribergæ defuncti rene exſectum depingit Johannes Jacobus Leibnitzius *in Bibliothec. Noribergenſ. Memorabil. p. m. 16.* *Lapis Monſtroſus*

§. 57.

Calculi inſtar coronæ, in medio perforati ſatisque magni ex Barthol. Euſtachio meminit Heinric. Meibomius *loc. cit.* *Inſtar Coronæ*

§. 58.

Dantur etiam alii calculi perforati, ſiquidem jam ſupra mentionem fecimus lapidis ano egeſti, qui magnitudine pugnum fere æquabat, oblongus, inſuper erat durus & ponderoſus, facie externa læviſſimus, coloris cineritii cum albicantibus ſtriis, in utraque extremitate foramen digiti craſſitiei exhibens, per quod lumbrici numero octo calamum ſcriptorium craſſi, vivi propendebant arctiorique nexu interne in lapide ſeſe invicem complicantes adeo firmiter hærebant, ut nec fortiter etiam tracti extrahi tamen minus potuerint, uti refert Chriſtianus Erneſtus Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 197. p. 393. ſeqq.* Aliud exemplum calculi perforati recenſet Georgius Segerus *in Thom. Bartholin. Epiſtol. medic. Cent. IV. Epiſt. 5. p. 21.* his verbis: Adoleſcens quidam octodecim annorum ab ipſis fere incunabulis tumore circa penis radicem duro, dolorifico creſcentibusque annis ibidem creſcente laboraverat. Continebat quippe calculum, qui progreſſu temporis ab affluente ſemper materia auctus eam tandem nactus eſt magnitudinem, quæ ad omnimodam urethræ obſtructionem ſufficiebat. Secuta eſt inde dolorifica eaque difficilis uri- *Calculi Perforati.*

næ excretio, egrediente ſolum urina per foramen ſinuoſum in ipſa calculi medietate excavatum. Quare mulierculæ uberiorem ſeri excretionem molituræ naſturtii herbas ægrotantis applicuere aqualiculo. Irritata diuretico hoc potenti natura, ruptis ſubtus ad radicem penis, & hujus & urethræ membranis, ipſisque communibus integumentis, ſuppreſſæ urinæ præter priorem aliam adhuc monſtravit viam, eamque cum per calculi foramen, & penem, tum per apertum ulcus deinceps expulit. Hinc in Noſocomium deductus æger, in quo chirurgus facta ſubtus in pene circa radicem oblonga inciſione, ſcrotum quoque ex parte attingente, calculum oblongum, ſinuoſe pervium, ovi columbini magnitudinem pollicisque craſſitiem longe ſuperantem & unciæ mediæ pondus æquantem, calloſaque membrana undique cinctum, feliciter extraxit. In Viro quodam ſæviſſimis doloribus nephriticis diu multumque agitato utriusque renis cavitas tota reperta fuit calculo occupata & diſtenta; pro urinæ tamen emittendæ via provida ſolersque natura in lateribus calculi orbitam quandam cavam, per quam urina ad ureteres & veſicam deferri poſſet, molita fuerat, referente Philippo Salmuth *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 30. p. 124.* Mercatoris cujusdam Pariſienſis, cui octuagenario præcipuum negotium faceſſebat, quod matulam centies in die quæreret, aliquidque urinæ ſingulis vicibus profunderet, niſi ſpongia iis locis collocata matulæ officium ſubiret, veſicam poſt mortem in tantum explicatam reperit Carolus Patinus, quantum absque rupturæ periculo poterat; Tota autem veſica repleta erat calculo rotundo & oblongo, lævi & terete, quatuordecim uncias pendente, per cujus anteriorem partem architectrix natura canalem effecerat, omnem artificum induſtriam ſuperantem. Cuilibet facile fuit animadvertere, urinam guttatim prodire ſolitam, quod in veſica vix

præter

præter guttulas quidquam contineri potuerit, ureteremque, qui inteſtinorum amplitudinem æquabat, ab imperante natura veſicæ munus obiiſſe, qui ſeri ſeu urinæ eſſet receptaculum, ſicque ad amplitudinem quadruplo ſolita majorem proceſſiſſe. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 19. p. 42. ſeq.* Ibidem etiam *Obſ. 162. pag. 387.* inquit Ehrenfridus Hagendornius: Mirabilis adſpectu ante aliquot annos erat calculus veſicæ, quem Budiſſæ videre licuit, a vidua quadam ſpontaneo naturæ motu excretus, ſat grandis, intus tamen ex parte concavus, cum foramine in ſuperficie, quod ipſum cum penitius intuerer, vidi calculum ex foliis vel lamellis lapidoſis quaſi coalitum, indicio, naturam in hujus generatione per appoſitionem ſucci lapideſcentis hanc iviſſe viam. Et Bartholomæus Euſtachius *Tract. de Renib. cap. 45. pag. m. 122.* ſcribit: Superioribus annis juvenis quidam altero rene doluit, cruciatusque adeo auctus eſt, ut miſellus brevi vitam cum morte commutarit. Hunc calculo minime laborare, conſtanter affirmabant medici, quia neque urina ſuppreſſa unquam fuerat, neque tenuis aut turbida ſeu ſabuloſa apparuerat; His omnibus (multi ſane erant) ſolus ego repugnabam, arbitratus, alterum renem officio ſuo probe fungi, alterum prorſus obſtructum, nihil lotii excernere; Contentionem diremit ſectio, quæ aliter ſe habere, quam nos opinaremur, patefecit, lapidem nimirum magnum & oblongum cruciatus & interitus cauſam fuiſſe, qui cum eſſet medius perforatus, quo minus urina exiret, impedire non poterat. Supra etiam, ubi de calculis magnis egimus, inter alia calculi magni perforati ex Johannis Baptiſtæ Verduccii *Tract. de Operat. chirurg. cap. 11. p. 40.* ſequentibus verbis mentionem fecimus: ce qu' a trouvé de ſingulier à cette groſſe pierre, c' eſt que l' urine avoit creuſé un canal à ſa partie inferieure du coté du rectum, par où

elle prenoit ſon cour, pour paſſer dans l' uretere. Ce canal s' étoit fait à l' endroit, où les ureteres percent la veſſie; il y en avoit encore un autre, qui deſcendoit au bas de la pierre, par où l' urine s' écouloit dans l' uretere. Le premier canal étoit demy circulaire en forme de gouttiere, où l'on pouvoit mettre le petit doigt. Et Nicolaus Venette *dans le Traite des Pierres p. m. 63.* Obſervationem Ludovici Dureti allegat, qu'un gentil homme avoit dans le rein une pierre trouée par le milieu, comme un annean, par où paſſoit l'urine. Præter dictas calculorum in corpore humano repertorum figuras plurimæ adhuc reſtarent, quas hic adducere animus non eſt.

§. 59.

Variæ Figuræ. Varias calculorum in celebrium virorum renibus & veſicis repertorum figuras hinc inde depictas reperimus, v. g. in Innocentii XI. Pontificis Romani, poſt longam ac diris concomitatam ſymptomatibus ægritudinem, frequentibus arthriticis inſultibus afflicti tandemque die 12 Auguſti Anni 1689 defuncti renibus repertorum lapidum figuras delineat Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 199. pag. 500. & 496.* Calculus autem renis ſiniſtri in parte ſuperiori albicabat, reliquo corpore nigricabat, pondereque uncias novem æquabat: qui vero in dextro rene fuerat, totus erat albicans & uncias ſeptem ponderabat, licet dictus Pontifex nullum unquam paſſus fuiſſet dolorem nephriticum. vid. etiam Dionis *Cours d' Operations de Chirurg. Demonſtr. III. p. 134.* item *Act. Erud. Lipſ. An. 1718. menſ. Sept. p. 420. Tab. VII.*

§. 60.

His adjungamus Saxonici ſupremi concionatoris aulici D. Gottlobii Friderici Seligmanni Anno 1707. die 24. Decembris beate defuncti calculum, cujus tortoris miræ magnitudinis & formæ, figuram fere inſtar elephanti, vel

ſigni

ſigni Ordinis Dannebrogici, cum elegantiſſimo carmine depingit Ludovicus Chriſtianus Crellius; ubi inter alia ſcribit:

Materiam infelix ſequitur durus Poëta,
Duritiem e ſaxo ſcabritiemque trahit.
At tu dulcis amor: pie Seligmanne quid iſtud
Monſtri eſt? unde Tibi ſaxea fata fluunt?
Mollis eras: nullum formarat pectora ſaxum:
Mollitieque pia mens generoſa fuit.
Mellea verba aderant Tibi: lactea corda gerebas,
Corpori at hæc moles ſaxea o unde venit?
Aſperitatis habet nihil omnis vita. Sed unde
Renibus enata eſt ſaxea progenies?
Saxea progenies unde es? quo nomine Noſtrum
Obruis? O quæ forma aut Tibi nomen ineſt?
Scorpius es? cauda unca venenifera? at minor iſte eſt.
Nigrante Eous corpore es ipſe Elephas.
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui quattuor adſunt
Rite pedes, gibbumque horrida cauda premit.
Scabritie rigida eſt pellis: denteſque minaces
Longior antrorſum & dira proboſcis adeſt &c.

vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1708. menſ. April. p. 191. & menſ. Septembr. pag. 419. ſeq. Tab. 7. Fig. 11. & 12.* Ibidem etiam plures calculorum figuræ ſiſtuntur, ſcilicet e Dominici Faltera veſica in Noſocomio S. Matthæi Florentiæ a Thoma Alghiſi extracti calculi. Et in Magnatis alicujus veſica extra Hetruriam reperti. Item calculi in Illuſtris Dn. Maddalena Carneſecchi uretere altero deprehenſi. In renibus quoque Illuſtriſſimi Johannis Wenceſlai S. R. I. Comitis Wratislaw de Mitrowiz S. C. M. Conſiliarii Intimi Anno 1712. die 21. Decembr. Viennæ defuncti repertum calculum depictum reperimus in *Act. Erudit. Lipſ. A. 1713. menſ.*

menſ. Februar. pag. 95. Lapidis decem unciarum ponderis civilis, ex Johannis Sauberti, Eccleſiæ Antiſtitis, & Bibliothecæ Reipublicæ Noribergenſis Præfecti veſica die tertio Novembr. An. 1646. exciſi, effigiem communicat Georgius Hieronymus Velſchius *Obſ. med. Epiſagm. 61. p. 37.* de diverſis, ratione ponderis hujus calculi, Autorum Opinionibus vid. ſupra *Cap. III. §. 29.*

§. 61.

In vacca

Lapides diverſæ magnitudinis & figuræ rotundæ, pyramidalis, cubicæ & cylindricæ, item qui ubera vaccina referebant, numero circiter triginta, ſub vaccæ hepate ſano poſitos & ſponte proſilientes lanius quidam obſervavit, referente Johanne Georgio Liebknecht *Ephemerid. A. N. C. Cent. I. Obſ. 29. p. 50.* Materiam lapideam inſtar rupis cujusdam, aſperam, aculeis multis & veluti cati unguibus, conchyliis variisque figuris diſtinctam craſſæ meningi adhærentem obſervavit Iſaacus Cattierius *Obſ. 15. p. 48. ſeq.*

CAPUT VII.

De Calculorum ſubſtantia & ſuperficie.

§. I.

Calculi tophacei & molles.

Differunt ſcilicet inſuper calculi ratione ſubſtantiæ vel conſiſtentiæ, dum alii ſunt poroſi, tophacei ſeu ſpongioſi, fragiles utplurimum, ſive friabiles & molles; alii econtra ſolidi, compacti atque duri, imo quandoque etiam duriſſimi, ut ignem ex iisdem elicere liceat. Quales cum ubique occurrunt atque hactenus a nobis allegati ſint, pauca tantum exempla adducere libet: Calculos ſcilicet ſpongioſos, tanquam pumices, variæ magnitudinis, e pulmone juvenis cujusdam, aſthmate laborantis, univerſos forami-

foraminibus plenos ac ſpongioſos, tanquam pumices, tuſſi rejectos obſervavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. I. Obſ. 28. p. 116. ſeq.* Anno 1667. d. 31. Januarii Princeps Lubomirsky Vratislaviæ apoplexia mortuus exenteratus eſt, in cujus cadavere ad veſiculam felleam lapis ſpongioſus in forma & magnitudine amygdali adcrevit. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract. Obſ. VI. p. 41.* Lapidis tophacei nigri ex ulcere tibiæ extracti meminit Petrus Borellus *Cent. I. Obſ. 4. pag. 8. ſeq.* Ratisbonæ quendam juris Licentiatum, juvenem adhuc aliquot per annos diuturna & vehemente tuſſi laboraſſe, qui denique in atrophiam poſt multos & viſcoſos ſcreatus materiam tophaceam ejecit & mortuus eſt, recenſet Johannes Helwigius *Obſerv. 65. p. 217.* Materiam tophaceam duriuſculam in corde Cardinalis Maſerini inventam fuiſſe, ſcribit Theodorus Craan *Diſſert. de Homin. Cap. XVI. pag. m. 147.* Calculum piſi magnitudine album friabilem, emunctione excretum ſe vidiſſe ait Felix Platerus *Prax. med. Tom. III. cap. 15. p. 817.* Idem etiam Autor *l. a. p. 707. ſeq.* ex Nobilis cujusdam ſupercilio tophum album durum piſi magnitudine prodeuntem annotavit. De lapide ſpongioſo & poroſo, trium unciarum pondere, & vertebræ dorſi non diſſimili, Volſellæ ope ex abdomine exciſo, vid. Joh. Paul. Wurffbainii Obſervatio *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 183. pag. 360.*

§. 2.

Ratione duritiei & ſoliditatis, ut etiam aliquot adducamus exempla, in pueruli tabido-nephritici ſiniſtro rene calculum tricuſpidem ſilicis duritiei, præ oſtio ureteris jacentem ſe vidiſſe ſcribit Johannes Jacobus Harderus *Exercit. I. pag. 2.* vid. etiam ejusdem *Apiar. Obſerv. 78. p. 301. ſeq.* De muliere tam duros calculos excernente, ut pyritem lapidem æmularentur atque percuſſi chalybe flammam *Duri.*

evomerent, vid. Dominic. Panarol. *Pentecoſt. II. Obſ. 34. pag. 51.* Calculos etiam ſilicibus adeo convenientes, ut pro talibus haberentur, fœminam excreviſſe refert Vitus Riedlinus *Linear. medic. An. 1700. menſ. April. Obſ. 25. pag. 449. ſeq.* De calculo, avellanam nucem æquante, in naſo genito, cujus excreſcentiæ laterales tantam præ ſe ferebant duritiem, ut penetrabili mallei confringentis efficaciæ vix obediret, Obſervationem recenſet Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 79. p. 176.* Ex puelli ſex annorum veſica poſt varia medicamenta tandem calculus magnitudine juglandis minoris & ſiliceæ duritiei in fruſta fabæ æqua confractus exierit, certas fracturæ notas ſecum afferens, annotante Olao Borrichio in Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 77. fol. 147. ſeq.* Inquit etiam Gothofredus Steinius *Litholog. curioſ. §. 13. p. 9. ſeq.* tanta in quibusdam calculis humanis ſolet reperiri ſoliditas ac renitentia, ut & malleo cedere recuſet, qualem experiri licebat in calculo e Generoſi cujusdam Nobilis Palatini, Domini de Sazenhofen ante triennium e veſica exſecti; Similem e cane exſectum, inſtar renis fabricatum, ante paucos annos vidit amicus quidam. Incidit etiam aliquando Robertus Boyle in calculos e veſicis humanis exſectos, quorum textura adeo fuit compacta, ut menſtruis corroſivis ſenſibilem ullam in eorum uno, quem experimento ſubjecerat, ſolutionem efficere non potuerit, quantumvis, ad promovendam liquoris operationem, partem ipſius in pulverem redigiſſet, uti ipſe *de Atmoſphær. Corpor. conſiſtent. p. m. 7.* ſcribit. De calculo rotundo, magnitudine mali perſici, verrucoſo ſeu ſpinoſo, inſtarque ſilicis duriſſimo, vid. Juſt. Schrader. *Obſ. anat. med. Dec. IV. Obſ. 7. pag. 230. ſeq.* In capite ad falcis dextram partem reperit Guntherus Chriſtophorus Schelhammerus calculum mole quidem parvum, piſum enim non æquavit, ſed ſilicem

duritie

duritie & candore æmulantem. vid. *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 131. p. 332.* Calculi triginta duarum unciarum pondere conſtantis, ex quo cum ferro, uti ex ſilice ignis eliciebatur, meminit Zacutus Luſitanus *Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 70. fol. m. 58.* Lapidem formæ rotundæ, optime ſphæricæ, coloris ochrei, externe læviſſimum, magnitudine ovi gallinacei, ſubſtantia compactum ac duriſſimum, adeo ut cultro difficillime aliquid eo deradendum, communicat & depingit Chriſtianus Erneſtus Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 198. p. 393.* Inquit etiam Nicolaus Venette *Trait. des Pierres Chap. IV. Artic. 5. p. 61.* J'ay via des Pierres tirées de la veſſie des hommes, dures, comme du marbre. Quatuor illi calculi, ſimul ſex uncias & dimidiam pendentes, ex Meisneri veſica extracti, quorum ſupra mentionem fecimus, ob duritiem malleo non cedunt. Scribit etiam Thomas Bartholinus *Epiſtol. med. Cent. IV. Epiſt. 45. p. 259.* Calculos & duritie & ſubſtantia ſilices referentes in veſica generari poſſe certum multis eſt, & tales in muſæo habui, e veſica humana exſectos; nuperque Nobili cuidam noſtro alium ſimilem ovi gallinacei magnitudine exſectum vidi. E diſſecto corpore extractum calculum triginta duarum unciarum pondere conſtantem, duriſſimum, compactum, ſilicis colore, ex quo cum ferro, ut ex ſilice eliciebatur ignis, habuit Antonides van der Linden, uti ex Frid. Loſſio refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 23. fol. m. 1178.* In Hepate humano calculum nigricantem, duriſſimum ſilicis inſtar, cochleæ figuram habentem, obſervavit Gerardus Blaſius *Obſerv. medic. Part. VI. Obſ. 19. pag. 84.* Secundum Dominic. Panarol. *Pent. II. Obſervat. 34. pag. 51.* excrevit mulier calculos tam duros, ut pyritem lapidem æmularentur, percuſſi enim chalybe flammam evomebant. Teſticulorum magnorum, viri cujusdam, poſt ſuppurationem fruſtula omnino lapidea decidebant, ſiliceam

enim duritiem æmulabantur & malleolo in multas partes diſſiliebant, ut cæteri lapides, ſecundum Petri Pachequi Lazaro Riverio *Communic. Obſ. 44. p. 275.* Carolus Ogerus octogenario multo major ſolidæ doctrinæ & experientiæ vir, nunquam de calculo veſicæ conqueſtus, in veſica habuit calculum, ovo anſeris majorem, omni ſilice duriorem, juxta Henric. ab Heer *Obſ. med. 26. pag. 225.* Et *Obſ. 28. p. 240.* Illuſtris cujusdam Angli meminit, cui narium mucus in ſaxeam fere duritiem concreta reperiebatur. Lapidem nigrum magnitudine piſi majoris, qui malleo diffringi non poterat, a viro rejectum obſervavi. Chirurgi cujusdam Gorlicenſis veſica urinaria calculum exhibuit ſat grandem ruffum, ſiliceum, pondere unciarum novem, teſte Ehrenfrido Hagendornio *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 243. p. 344.* Calculi cryſtallina duritie & ſplendore paulo ante ex *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſervat. 29. p. 53. ſeq.* mentionem fecimus. De calculo duriſſimo & undiquaque acuto, nucis juglandis magnitudine in pulmonum ſubſtantia reperto vid. Steph. Blancard. *Anatom. pract. Cent. II. Obſ. 8. p. 267.* Illuſtris cujusdam viri veſiculam fellis bile exinanitam, lapillis autem ſiliceis diverſæ magnitudinis refertam annotavit Johannes Georgius Volckamerus *M. N. C. Dec. I. An 6. & 7. Obſ. 71. p. 97.* Lapillos duos duriſſimos, ponderis ſingulorum unciæ unius, a matrona quadam per alvum ejectos atque inteſtinorum muco ita compactos, ut vix malleo confringi potuiſſent, obſervavit Dominicus Panarolus *Pentecoſt. V. Obſervat. 12. pag. 148.* Admiratione dignum, quod refert Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. II. Menſ. Mart. Obſ. 4. p. 74.* ſcilicet, quod materia ſpermatica cohibita in vaſis in lapidem obduruerit, adeo ut vaſa ejaculantia lapidibus duriſſimis ſcaterent, plerisque fere rotundis. Calculos etiam duriſſimos in ſingulis tubarum Falopianarum extremitatibus

tibus adhærentes ſe vidiſſe refert Regnerus de Graaf *de Mulier. Organ. Cap. 14. pag. m. 337.* Ex mendici viginti quatuor annorum ingvine ſiniſtro exulcerato calculum candidiſſimum, glabrum, ſiliceum exſiliiſſe, glandis quernæ magnitudine, recenſet Roſinus Lentilius *Miſcell. med. pract. Part. I. pag. 261.* Anno 1684 chirurgum quendam ruſtico puero indicem exſtirpaſſe ſpina ventoſa affectum, in quo tres lapillos duriſſimos colore cinereo, fabæ minoris magnitudinem habentem invenerit, refert Michael Bernhardus Valentini. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 89. p. 190.* In defuncti cujusdam octogenarii veſica lapis inventus fuit ſilicis adæquans duritiem, qui pendebat nummarii ponderis uncias ſex cum dimidia; rediiſſet hoc ad vulgaris medicorum ponderis uncias fere octo, teſte Philiperto Saraceno in Guilhel. Fabric. Hild. *Obſerv. Chirurg. Cent. II. Obſ. 66. fol. m. 139.* De calculo haud parvo ſilicis figura & duritie in cerebro gallinæ reperto, vid. Joh. Conr. Peier. *Exercit. 26. p. 146.*

§. 3.

Quamvis autem plerique calculi in renibus, veſica & aliis partibus adhuc detenti jamjam ſolidi & indurati appareant, quandoque tamen etiam adhuc molles & nondum petrificati ibidem deprehenduntur talesque excernuntur, demum vero excluſi aerique expoſiti indureſcunt. Quod confirmat Johannes Beverovicius *Exercitat. de Calcul. pag. m. 120.* Calculi, inquiens, quamprimum extracti externum aërem excipiunt, duritiem quandam acquirunt: at dum adhuc in veſica continentur, molliores ſunt, imprimis extrema ſuperficie, quare facile illis adhærent arenæ ac proinde non excernuntur. Nonnunquam etiam calculi, cum eminguntur, molles adhuc obſervantur, paulo poſt vero ab aëris imprimis ambitu mox indurantur, quale exemplum novit Johannes Adamus Stiſſerus in *Nondum Indurati.*

in Viro quodam doctiſſimo, calculo perſæpe laborante, cujus calculos haud infrequenter per urinam excretos adeo molles ſub principio deprehendit, ut argillæ inſtar mollioris tractari poſſent & figura illorum pro lubitu immutari. vid. Stiſſer. *Laborat. Chemic. Specim. II. cap. 6. E. 3.* Cortices etiam nigros, inſtar corticum fabarum ſine magno dolore cum urina reddebat juvenis quidam, qui tamen cortices brevi lapideam & fragilem ſubſtantiam adipiſcebantur. vid. Freder. Ruyſch. *Theſaur. anatom. III. p. 6.* Sic etiam in cadavere aperto Reverendi cujusdam Principis, Epiſcopi Auguſtani, reperti fuerunt in veſica prope collum calculi nigri & nondum ſatis indurati, piperis magnitudine plus quam centum adeo a vicino grandiore calculo ſubſtantiæ impreſſi & immerſi, ut plerique interiore tunica obducti & ſectione aperiendi fuerint. vid. Georg. Hieron. Velſch. *Obſ. med. Epiſagm. n. 62. pag. 38.* Supra, de calculis folliculi fellis, etiam calculorum in Domini Generalis a B. veſicula bilis repertorum mentionem feci, quorum plurimi, lentium magnitudine & ultra, dum adhuc bili innatabant, molles adhuc erant, exempti autem paulo poſt indureſcebant. Et ante aliquot annos Vir quidam hypochondriacus bis vel ter per annum cum urina materiam albam ſpiſſam & pulmenti tenuis inſtar, in magna quantitate ejiciebat, quæ paullo poſt ſpiſſa reddebatur, ut ad modum argillæ vel gypſi variæ exinde figuræ formari poſſent; poſt parvum autem temporis ſpatium in duriſſimum calculum mutabatur. Duos item calculos dactyliformes, ab amico absque dolore rejectos, nondum penitus induratos, ſed adhuc adeo molles, ut foveolæ iisdem imprimi poſſent, ante aliquot annos obſervare mihi licuit, qui tamen poſt breve tempus penitus indureſcebant. De alio econtra calculoſo, qui primo biennio multos eosque duriſſimos & ætatem laturos lapides mingebat, deinde vero

Obſervatio

poſt

poſt potum aquæ Spadanæ a ſedecim præter propter menſibus tam molles excernebat, ut aliquandiu aëri expoſiti & fricentur, & modo pituitæ male concretæ diffluerent, vid. Henric. ab Heer *de Acidul. Spadan. cap. 9. pag. m. 79.*

§. 4.

De arenularum duritie ita loquitur Dominicus Panarolus *Pentecoſt. IV. Obſ. 25. p. 126.* arenulas renum, tam albas, quam rubras, præcipue in calculoſis quamplurimi obſervarunt & obſervant; duritiem autem ipſarum, quod ſciam, nullus obſervavit, quæ in aliquibus eſt tam valida, ut vitrum & cryſtallum corrodat: expertus enim ſum in iis, qui ſpecilla conficiunt, ipſisque figuram, quam cupiunt, imprimunt, beneficio arenularum minutiſſimarum quarundam: quibus mediantibus vitrum aut ferrum corrodunt, experientia enim vidi ſpecillum ex magna arenularum humanarum duritie efformatum. Et *Obſervat. 35. p. 131. ſeq.* idem Autor de arenularum dictarum differente colore atque duritie ita ſcribit: ſciendum eſt arenulas albas, cum inſtrumento optico viſas, opacas eſſe, non autem diaphanas, aſperrimas & pungentes; extremitates enim ſunt acuminatæ, & ut uno verbo loquar, ſi quis videat hic Romæ lapidis Tiburtini fragmentum, is arenulas albas microſcopio obſervaſſe cogitet. Arenulæ vero rubræ ſeu flavæ differentes ſunt a prædictis, quandoquidem ubi illæ lapidem ruſticum, nempe Tiburtinum, hæ lapides pretioſos, nempe Sardonicum repræſentant; ubi figuram illæ poſſident aſperam, hæ ſunt læves; ubi illæ extremitates habent acuminatas, hæ figura gaudent ovali aut rotunda, ſed lævi; ubi illæ duriores, hæ friabiliores. De tali ſabulo per microſcopium examinato ſcribit etiam Georgius Hannæus, farinaceum hunc pulviſculum, qui lævore ſuo ſe hactenus commendaverat, innumeris per microſcopium aſſurrexiſſe prominentiis angulatis, eandemque oſtendiſſe

Sabulum Urinarium

oſtendiſſe faciem, quam exhibent e matre ſua proſpicientes Granati. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 134. p. 285.*

§. 5.

Calculi per laminas concreti Ratione ſubſtantiæ differunt etiam calculi, dum nonnulli lamellatim, ſive multis ſenſim additis vel ſibi ſuperimpoſitis laminis ſive membranulis, quales ſunt ceparum, concreſcunt & generantur. Ejusmodi ſcilicet calculorum initium a tartari concreti & ſubſiſtentis particula minima dependet, quod deinde ab arenulis parvis cum aqua mixtis, & illi particulæ ſeſe ſucceſſive apponentibus, calculi perfectionem acquirit; qui dicto modo formatus lapillus minimus deinde a tartaro & arena, itentidem ex ſuccis pertranſeuntibus ad ſuperficiem agglutinatis, in dies majorem in molem concreſcit; ut tales calculi ex laminis vel pelliculis aliis impoſitis conſtare comperiantur. Calculos aliquot ex hominum veſicis erutos, albeſcentes maxime, at figuræ ad ovalem quam proxime accedentis, cultro acutiſſimo ſtudioſe confregit Robertus Boyle, quo, utrum integra quadam & uniformi materia conſiſtant, nec ne examinaret, ſingulos autem ex diverſis putaminibus compoſitos, & ſucceſſive his involutos vidit ad inſtar tunicarum cepæ. Calculi iſti omnes duritiei erant lapideæ, non tamen omnes æqualis. In uno calculorum horum tunicam differentis coloris, & ab ea, cui immediate includebatur, & ab ea, quam immediate excipiebat, annotavit. Tunicarum iſtarum quarundam ſpiſſitudo longitudinem grani hordeacei exæquabat, aliarum non item: Et quamvis arctiſſime una alteram in ſe concludebat, actu tamen ſeparabiles ad oculum quoque diſtinguebatur. Lapides iſtos confringendo caute procedens ad alicujus centrum parvum & mollem calculum, figuræ ovalis invenit Boyle, quaſi acinum tunicarum conglomeratarum, levi induſtria & patientia exemtilem. vid. Robert. Boyle *de Utilitat. Philoſoph.*

*loſoph. experiment. Part. II. Exercit.*2. *§.18. p.133.* quo loco etiam ejusmodi putamina, ſed molliora & coloris viridioris in calculo magno ex tauri felle olim extracto ſe obſervaſſe addit. Ejusmodi calculi a Gallis appellantur Pierres decailles, qui ont des couches les unes ſur les autres, comme des Oignons. v. Nicol. Venette *Trait. des Pierres Chap. IV. Art.3. pag.59.* Talem lapidem magnitudine caſtaneæ, mollitie alabaſtri, ponderis unciarum duarum & quinque drachmarum, quaſi ex laminis inſtar putaminum ovorum ſimul involutis concretum in Nobiliſſimæ cujusdam Mulieris liene obſervaſſe Thurneiſerum, refert Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib.I. cap.16. fol. m. 84.* Sic Ehrenfrido Hagendornio mirabilis aſpectu erat calculus veſicæ a vidua quadam ſpontaneo naturæ motu excretus, ſat grandis, intus tamen ex parte concavus, cum foramine in ſuperficie, quod ipſum penitius cum Hagendornius intueretur, vidit calculum ex foliis vel lamellis lapidoſis quaſi coalitum &c. v. *M. N. C. Dec. II. An.1. Obſ.162. p.387.* De calculo ex diverſis conſtante tunicis duasque uncias pendente, v. Vit. Riedlin. Parent.*Obſerv. med.Cent.III. Obſ.46. p.338. ſq.* De lapidibus ſexaginta quatuor, flaveſcentis coloris, nullius ſaporis, ex tribus lamellis concretis, ex virginis muſculo oblique deſcendente prodeuntibus; vid. Hermanni Werneri Engelberti de Weſthoven Obſervationem *in Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 20. cum Schol. p. 24.* Calculum etiam, cujus pondus fuit uncia una ſemis, cum tribus drachmis, ponderis civilis, figura inſtar ovi gallinacei, & ex laminis pluribus ſibi ſuperpoſitis conſtabat, ſummo cum cruciatu per alvum excreviſſe civem atque ſartorem Leutkirchenſem, ſeptuaginta trium annorum, refert Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 184. p. 475. ſeq.* De Hippolitho inſtar ceparum tuniculato ſive lamellis ſibi ſuperimpoſitis prædito vid.

Lucas Schrœckius *in M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 167. pag. 216.* vid. etiam infra *Cap. IX. §. 4.* Calculum rotundum, flavedine tinctum, ex laminis laxius cohærentibus compoſitum, ex Rupicapræ omento exciſum, & undecim grana ponderantem inter curioſa ſua ſervat Lucas Schrœckius L. F. v. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 33. Schol. p. 77.* Honeſtæ cujusdam Matronæ uterus diſſectus lapidibus plenus repertus eſt ad numerum triginta duorum, quorum aliqui coloris flavi, aliqui æruginæi, & rupti ad ſimilitudinem cepæ varias habebant tunicas. vid. *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. I. Obſ. 77. p. 148.* Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſ. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 44. fol. m. 320.* duos calculos delineat, quorum unus oblongus, alter fere rotundus, pro magnitudine tamen non usque adeo ponderoſi fuerunt. Major enim drachmas quatuordecim, minor vero drachmas quatuor & ſemis ſolummodo pendentes, ſpongioſi fuerunt & per laminas concreti. Tales calculi etiam in cadavere Caſparis Ziegleri, celeberrimi Jurisconſulti ſunt reperti, inquit enim Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiolog. medic. Lib. I. c. 12. p. 200. ſeq.* ſe in ejusdem veſica calculos tres & viginti deprehendiſſe, candidos omnes, & magnitudine nucem prope juglandem æquantes, pluriumque laterum, intus vero ex corticibus, ceparum more, vel lapidum Bezoar, concretos, nucleumque minimum gerentes. Talem faciem lamelloſam repræſentat etiam alter ex duobus calculis in Erneſti Güntheri, S. M. Reg. Pol. & Elect. Saxon. Inſpectoris Sylvarum, veſica repertis, ab ipſius Affine Johanne Georgio Lucio, Medico noſtrate, diffractus, uti ex ipſius effigie æri inciſa apparet. vid. etiam *§. 13.*

§. 6.

Calculi Aſperi. Ratione ſuperficiei nonnulli calculi ſunt aſperi, arenoſi & ſcabri, alii vero læves, politi & terſi, uti ex hactenus

adductis

adductis exemplis videri poteſt. Refert enim Hippocrates *de Morb. vulgarib. Lib. V. Sect. 7. fol. m. 240.* de Lariſſæ Dyſeridis ancilla juvencula, quod venere utens vehementer doloribus afflicta fuerit, alias vero dolorem non ſenſerit, neque conceperit unquam. Hæc cum annum ſexageſimum attigiſſet, a largo porri eſu dolores vehementiſſimos, velut ex partu laboraret, exſurgens aſperum quiddam in ore uteri contrectavit. Deinde, cum jam animo linqueretur, ab alia muliere immiſſa manu expreſſus eſt calculus aſper, fuſi verticillum propemodum æquans. Lapidem ſcabroſum, magnitudine & figura ovi anatini Monialis quædam non clauſtrata, per plures menſes uterinis cruciata doloribus, ſponte nulloque adminiculante per pudendum ejecit, vid. Petr. Salii Diverſ. *Annotat. in Donat. Anton. ab Altomar. cap. 12. p. m. 520. &c.* Lapides ſpongioſos, tanquam pumices e pulmonibus ejectos vid. Corn. Stalpart. van der Wiel *Cent. I. Obſ. 28. p. 116.*

§. 7.

Sæpiſſime etiam calculi glabri, læves atque politi reperiuntur, ſiquidem in filiolo ſeptem annorum, qui Anno 1690. a lithotomo ſecabatur, poſt extractionem calculi friabilis & fuſci, magnitudine caſtaneæ, vulnus non rite conſolidabatur, hinc ſucceſſive ex eodem aperto manente Anno 1692. calculus candidiſſimus, glabellus, ponderoſus, quantitate juglandis majoris ſummo cum cruciatu per perinæum erupit, teſte Roſino Lentilio *Miſcellan. med. pract. Tom. I. p. 261.* Quatuor etiam calculi Meiſneriani, qui ſimul ſumti pendebant uncias ſex & dimidiam, & quorum jam ſupra mentionem feci, læviſſimi inſtarque alabaſtri politi ſunt; Item duo illi, in civis cujusdam palæo-Dreſdenſis, veſica urinaria a me reperti calculi, ponderis adhuc jam penitus exſiccati, tredecim drachmarum, vel ℥iß. *Glabri*

 & ʒj.

& ℨj. Quo pertinent etiam plurimi piſiformes, hactenus a nobis recenſiti, & alii lapides in homine reperti, lapides bezoardici dicti, quia lapidibus bezoardicis ex India ad nos apportatis, tam quoad externam glabritiem, quam quoad internas lamellas ſeu cortices, admodum ſunt ſimiles; qualia aliquot exempla hoc loco adducere placet. Scilicet Johannes de With, Senator Amſtelredamenſis, enecatus a calculo, & ſectus deinde a chirurgo habuit in veſica ſua viginti novem calculos, figura ac magnitudine inter ſe ut diſpares, ſic forma, glabritie ac lævitate adeo invicem ſimiles, & tam prope convenientes cum lapide bezoardico, quem fert India orientalis, ut facile, vel oculatiſſimo, impoſuiſſent aromatario, juxta Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. III. Cap. 4. pag. 194.* In puellæ undecim annos natæ, de anxietate & anguſtia quadam circa regionem cordis conquerentis, corde Theodorus Kerckringius, curioſe in horum dolorum & mortis cauſam inquirens lapillum ponderis granorum quatuordecim, colore & reliquo habitu perfectiſſime eum lapidem, quem inter medicamenta rariora ex India aſportant & bezoardicum dicunt, referentem ſe reperiſſe ſcribit *Spicileg. anat. Obſ. 78. p. 152.* quo loco ejusdem calculi formam & magnitudinem delineat. Ex mulieris cujusdam plebejæ Vratislavienſis abſceſſu in dextro epigaſtrio lithotomus per biennium ducentos circiter extraxit lapillos ad inſtar avellanæ majoris, nonnullos colore & interna tunicarum textura lapidibus bezoardicis haud abſimiles, tandemque ultimum magnitudine nucis juglandis, pondere drachmarum duarum, annotante Johanne Jæniſio *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 189. p. 293. ſeq.* Refert etiam Antonius Nuck *Adenograph. curioſ. Cap. VII. pag. m. 83.* a ſpectatiſſima quadam Matrona ſibi oblatum fuiſſe calculum, qui, figuræ oblongioris centro ſuo abſcondebat bacillum rotundum, oblongum, ab una fere ad

alteram

alteram lapidis partem extenſum, cui variæ incruſtationes lapideæ diverſo colore (flavo potiſſimum, albo & ſanguineo) tinctæ adhærebant. Et, quæ omnium extrema, eleganti lævitate conſpicua fuit, colore etiam tali, quali ordinario lapis bezoar orientalis donatus eſſe ſolet. Juxta Johannis Dolæi *Encyclopæd. med. Lib. III. cap. 13. p. 592.* ex Viri alvo prodiit lapis inſtar ovi columbini uncias duas pendens & lapidem bezoar exacte mentiens. Inquit etiam Carolus Lanzilottus *nella Guida Chim. Part. III. c. 16. p. m. 30. ſeq.* ancorche li calcoli generanſi in varii luochi del corpo humano, nulladimeno per il più ſuole arrivare nelle reni & nella veſica, & il più hanno una figura ſimile a quella del bezoar, & io ne hò viſto alcune da perſone ancor viventi, che paſſavano quaſi meza libra. De calculo ex primarii Senatoris Dortrechtenſis filiæ uretere dextro poſt mortem reperto, glandis mole & forma, qui figura, colore & ſubſtantia, ut ficus ficum, lapidem bezoar occidentalem perfecte exprimebat, vid. Joh. Beverovic. *Epiſt. ad Lazar. Merſſoner. p. m. 109.* Duos quoque lapillos nigellos, aliquantulum tamen ex flavo obſcure virideſcentes, læves, non friabiles, adeoque ad bezoardicos accedentes in Margarethæ Brockſiecks, hortulani uxoris, a proprio marito interfectæ veſicula fellis reperit Joachimus Bieſter. vid. *Nov. Literar. German. An. 1703. menſ. April. p. 156.* Refert etiam Olaus Wormius in Muſæo ſuo, *Lib. I. Sect. II. cap. 11. fol. 74.* ſe tenere fruſtum calculi, ex quodam, qui ovum gallinaceum, dum integer eſſet, magnitudine ſuperabat & figura ovali præditus videbatur, aliquantulum compreſſa; ſubſtantiæ erat gypſeæ aut tartareæ, mollis adeo, ut cultro facile aliquid ei abradi poſſet, colore luteo, ex laminis ita coagmentatus, ut lapis bezoar orientalis eſſe ſolet. Ex reſiduo liquido colligere licebat, quomodo una lamina poſt aliam corpori appoſita fuerit, donec in hanc magnam

excreverit magnitudinem. Superficies externa lævis fuiſſe videbatur, nullis aſperitatibus rigida. Calculos in cyſti fellea repertos & lapidi bezoardico quoad colorem haud abſimiles in muliere triginta circiter annorum repe-rit Mauritius van Reverhorſt, uti *Tr. de Motu Bilis circular.* §. 55. *p.* 47. ſcribit: In conſulis cujusdam filiæ renibus aliquot parvos equidem calculos, verum & colore & glabritie imprimis cum lapidibus bezoar adeo convenientibus, ut dignoſcere ab iisdem difficile foret, obſervavit Vitus Riedlinus. vid. *Linear. medic. An.* 1697. *menſ. Decembr. Obſ.* 10. *pag.* 847. *ſq.* Item puero nondum quadrimeſtri calculum ancilla ex pene extraxerat, magnitudine quidem & figura rotunda pilulam Francofurtenſem æquantem, quoad cætera autem lapidi bezoar tam ſimilem, ut ipſe etiam pharmacopæus, cui in principio monſtratus fuerat, ſe, in quo ab illo differret, invenire non poſſe, ſi ſolam magnitudinem excipias, teſtari non dubitaverit. Calculum humanum ingentem, ſuperficie æquali, & ſplendentem, colore & forma tam accurate lapidem bezoardicum orientalem imitantem, ut difficile foret viſu ea diſcernere, ſiſtit Fredericus Ruyſchius *Theſ. Anat. III. p. m.* 4. Habuit etiam Guilhelmus Fabricius, Hildanus, calculum ex veſica hominis exciſum, cujus fragmenta a multis variisque doctis & in re medica & pharmacevtica eruditis Viris, quibus ea monſtravit, pro genuino bezoar habita indicataque fuere, de quo vid. ejusdem *Obſerv. Chirurg. Cent. IV. Obſ.* 14. *fol. m.* 307. Et *fol.* 309. ſcribit idem Autor: Ante menſes duos, cum Daniel Epiſcopus, lithotomus excellens Bernæ ultra quinquaginta calculos, quos ille ipſemet ex corporibus humanis extraxerat, mihi monſtrabat; inter ipſos nonnullos obſervavi, qui ex multis tenuiſſimisque laminis conſtabant & occidentalem bezoar quam eleganter præ ſe ferebant.

§. 8.

§. 8.

Calculorum etiam ſuperficies non ſemper eſt dura, & quidem neque aſpera nec lævis, ſed quandoque ob lanuginem quandam mollis, ſiquidem juratus quidam chirurgus in Portu Gratiæ, nomine Pelerinus, inter plurimos lapides a ſe extractos, nonnullos muſco obvolutos, alios pilis inveſtitos, ſe reperiſſe ſcribit, vid. Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. IV. Februar. Obſ. 4. p. 30.* Interdum calculi lento humoris involucro circumveſtiti deprehenduntur, adeo ut ipſorum in veſica præſentia ipſo cathetere certo dignoſci non poſſit, quale exemplum refert Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 30. p. 513.* Nobiliſſimus, inquiens, Annibal Conſtantius, levis armaturæ equitum Præfectus, cum ipſum lapidem in veſica habere omnium ſignorum converſu medici arbitrarentur, & certior efficeretur, cathetere rem tentari voluit, quare accerſiti peritiores chirurgi impoſita ſyringa argentea ſe nullum lapidem perſentire conſtanter unanimi conſenſu affirmarunt, verum nullis præſidiis conferentibus, a Falopio Medicinam Patavii faciente, ut curaretur, Patavium ſe contulit, qui omnia lapidem atteſtantia ſigna conſpicatus lapidem in veſica adeſſe teſtatus eſt, ac, cathetere impoſito, ſe calculum perſentire non poſſe, pluries miratus eſt. Quare negotio infecto Mantuam reverſus poſt multos longosque cruciatus e vivis deceſſit. Diſſecto cadavere lapis inſignis magnitudinis in veſica adinventus, undique tamen humore multo ac craſſo circumveſtitus inſtar anguillæ pellis involucro circum ambiente, quem calor imbecillior (erat enim ſeptuagenarius) quo minus lapideſceret, effecerat, &c. Dantur etiam calculi lanuginoſi, uti ex Johannis Schenckii Obſervationibus refert Olaus Borrichius in Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 85. p. 157. ſeq.* quo loco ſequentem Obſervationem addit: Cum Johanni Biatrio,

Calculorum ſuperficies.

Lanuginoſi.

Blattio, Viro Senatorii ordinis hac æſtate medicamentis noſtris plusquam ſexaginta calculi exturbati eſſent, tandem maſſam oblongam tartaream calculis plurimis, ſed minutis, velut adamantibus in ambitu diſtinctum excrevit, cujus figuram & naturam plicatilem cum inſpiciens admiraretur, triſte quiddam ſibi ominatus advocari me juſſit, ut monſtrum illud calculi coram intuerer. Deprehendo ergo adveniens maſſam hanc longam dimidium digitum, exterius quidem duram calculisque plurimis obſitam, ſed interius ex textu pilorum vel quinquaginta albentium, & in ſe varie implicatorum compactam & ad flammas nidorem ſulphureum exhalantem.

§. 9.

Calculi membranis incluſi. Quandoque etiam calculorum ſuperficies membranula quadam obducitur, ipſique calculi peculiaribus membranis incluſi apparent. v. g. in pueruli tabidi nephritici rene ſiniſtro calculum tricuſpidem, ſilicis duritiei, membranis exactiſſime involutum deprehendit Johannes Conradus Peierus *Exercit. I. pag.* 2. Mercatori cuidam omnia calculi veſicæ ſigna aderant; Cathetere probari non potuit. Mortuo duo magni calculi inventi ſunt, ſinguli unciarum duarum ſemis membrana incluſi utrique ſua, uti ex Jac. Holler. *de morb. intern. Lib. I. cap. 49. in Schol.* allegat Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 23. fol. m. 1183.* Vel juxta meam Hollerii Editionem vid. *Cap. 46. p. 143.* Refert etiam Guilhelmus Fabricius Hild. *Lithotom. Veſic. cap. 8. p. m.* 74. exemplum calculorum aliquod ingentium, peculiari ſacculo ſive veſiculæ, veſicæ innatæ & adnatæ incluſorum. Viginti novem calculi in Senatoris Amſtelædamenſis, Johannis de With, veſica urinaria reperiebantur, quorum unusquisque proprio receptaculo latitabat, & quidem tam tecte ut circa initium

tium crederet chirurgus, nihil calculorum illic detineri juxta Nicol. Tulp. *Obſerv. med. Lib. III. cap. 4. p. 195. ſeq.* Quinquagenarius per quindecim annos circa malleolum externum, pedis ſiniſtri affligebatur tumore mobili, propria membrana veſtito, qui poſt ſupervenientem inflammationem tandem ſponte apertus ichoris haud parum emiſit. Ex hujus ulceris foramine poſtero die in conſpectum venit lapis concretus, calcis colorem obtinens, quem Johannes Muys fruſtullatim extraxit atque membranam calculum inveſtientem pulvere Mercurii præcipitati rubri ſeparavit, uti refert *Prax. med. chirurg. Dec. X. Obſ. 8. p. m. 350.* Mercator quidam octoginta annorum, ſpatio quinque dierum, ultra trecentos calculos ejecit, quos in peculiari folliculo prope alterutrius ureteris in veſicam ingreſſum, quacunque ex cauſa efformato, in quem ſenſim ex renibus deſcenderint, fuiſſe collectos, eoque rupto, tandem excluſos ſuſpicatur Lucas Schrœckius, cum in ipſa cavitate veſicæ delituiſſe ipſos nullum ſignum adfuerit; nec in inſtanti eosdem coaluiſſe veriſimile videatur. v. *Ephemer. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 92. p. 229.* Lapidem ex materia gypſea concretum & membrana incluſum, in poſteriore parte capitis ſub ſutura lambdoidea inter duram & piam matrem, duræque matri adeo adhærentem, ut non niſi violenter avelli poſſet, ſe reperiſſe ſcribit Guilhelmus Fabricius, Hild. *Obſerv. chirurg. Cent. I. Obſ. 11. fol. m. 20.* Hunc calculum tam membrana ſua incluſum, quam exemptum depinxit *Cent. V. Obſervat. I. fol. 382.* Idem Autor etiam *Cent. II. Obſervat. 29. fol. 107.* lapidem prædurum & undique aſperum nucis juglandis magnitudine, validiſſima quadam tunica carnea incluſum, in aſthmatici cujusdam Pannonici pulmonis ſubſtantia invenit. In Hydropici cujusdam corde, & quidem in dextro ventriculo magnam lapillorum candi-

dorum folliculis incluſorum, congeriem obſervavit Johannes Henricus Hottingerus, vid. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 89. p. 163. ſeq.* Sacculum plenum calculis & arenulis inter duplicaturam peritonæi, circa ejus glandulam enatum, lumbaribus muſculis annexum inveniſſe Johannem Baptiſtam Lambswerde, ex ejus communicatione refert Johannes Theodorus Mœren *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 128 ſeq.* Calculum paulo minorem ovo gallinæ circa inferiorem partem lobi hepatis in accreta cyſtide reperit Johannes Georgius Greiſelius. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 66. p. 164. ſeq.* De lapidibus in tunica hepatis repertis vid. etiam Anton. Beniven. *Obſ. med. Cap. 3. p. 140. ſeq.* Ex abſceſſu in ſcroto tres lapides, quorum quisque craſſitiem & longitudinem, pollicis continebat, & ſinguli cyſtide obvoluti erant propria, eduxit chirurgus quidam, nomine Pelerinus, juxta Nicol. Blegny *Zodiac. medic. Gallic. An. IV. Menſ. Februar. Obſ. 4. pag. 30.* Sic in Euſebii Comitis a Kœnigsegg pectoris cavitate ſiniſtri maxime lateris diaphragmati incumbens ſat magnus calculus, decem circumquaque ſtipatus ſatellitibus, adipoſo & viſcoſo involucro, diaphragmati non adnato, ſed libero involutus poſt mortem eſt inventus, juxta obſervationem Georgii Tobiæ Dürrii *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſerv. 86. 129. ſeq.*

§. 10.

Calculorum Baſis.

Quod autem paulo ante *§. 5.* annotavimus, ſcilicet in veſicæ imprimis calculis, & quidem laminatim concretis, utplurimum particulam quandam tartaream vel terream vel lapillos vel acinum quendam, pro baſi reperiri, (quæ etiam calculorum nuclei vel ſemina nonnullis vocari ſolent,) atque a materia calculoſa in veſica calculi incremento occaſionem præberi, idem confirmant etiam alii Autores. Inquit enim Johannes Fernelius *Patholog.*

Lib.

Lib. VI. cap. 13. pag. 181. ſe, quoscunque exemptos veſicæ calculos obtriverit, obtriviſſe autem experiundi gratia per multos, in eorum medio quaſi nucleum reperiſſe, diverſi, quam reliquum integumentum ac involucrum, & coloris & ſubſtantiæ. Id confirmat etiam Petrus Borellus in calculo rupto nucleolum lapideum inveniens *Hiſtor. rar. Cent. II. Obſ. 62. pag. 161.* Cum Galliæ Regi Carolo tres calculi ex veſica extracti, ſinguli ovi gallinacei craſſitie, omnes colore albi, & ſimul duodecim uncias pendentes, oblati eſſent, unum eorum malleo confregit, in eoque medio alius inventus eſt, colore caſtaneo, cœteraque nuci mali perſici ſimilis, juxta Ambroſ. Paræi *Lib. XXIV. cap. 19. fol. 568.* In calculi, unciarum duarum & drachmæ unius pondus æquantis atque e ſcroto extracti & diffracti medio, ubi inſignem cavitatem habuit, nucleum ſatis magnum reperit Viti Riedlini Parentis, frater, chirurgus Noſodochii ordinarius, quam Obſervationem ex Riedlini *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 46. p. 338. ſeq.* hoc loco inſerere libet. Scilicet Bartholomæus Braun Vir quinque & triginta annorum conſtitutionis melancholicæ, ante aliquot annos calculo veſicæ ſectus optime valuit, unico hoc excepto, quod vulnus ex ſectione non omnino coaluerit, ſed fiſtulam reliquerit, per quam urinæ quidpiam ſemper efflueret, licet per ductum alias conſvetum etiam excerneretur. Poſtea tamen ad radicem membri virilis duritiem cum dolore animadvertit, in latere ſiniſtro; mox ſucceſſit inflammatio ejus loci ut & ſcroti totius, nec non hanc gangræna & ſphacelus ad radicem virgæ, palmæ longitudine & latitudine, quæ intra paucos dies ſeparata fuit, & (ibidem) hunc appictum lapidem in ductu urinario collo ſuo hærentem, corpore vero ſuo intra ſcrotum latentem manifeſtavit. Quem cum chirurgus tenacula apprehendiſſet, ut eundem eximeret, in medio fere

effractus eſt, cavitatemque inſignem habuit, quæ nucleum appictum continebat. In Freder. Ruyſch. *Theſaur. anat. III. p.* 2. monſtratur calculi humani fruſtum, cavitate notabili præditum, in qua continuit alium calculum, ceu nucleum. In cane quodam calculus veſicæ, libræ unius ſemis pondere, figura caſei vulgaris ruſticani, albicantiſſimus fuit repertus, qui in ventre ſuo alium elegantiſſime efformatum, minorem, ſed qui totius & integri calculi figuram exactiſſime referebat, continuit, vid. Roſin. Lentil. *Jatromnemat. Part. I. cap. 7. p.* 22. vid. etiam ſupra *Cap. II. §.* 41.

§. 11.

Calculi Prægnantes

Non immerito ejusmodi calculi quibusdam Autoribus prægnantes vocantur, ſicuti in regno minerali ejusmodi lapides prægnantes reperiuntur. Inquit enim Petr. Andreas Matthiolus *Comment. in Dioſcorid. Lib. V. Præf. fol. m.* 900. nonnulli lapides ſunt, qui velut prægnantes lapillum vel argillam, vel liquorem in utero gerunt. Cui rei cauſa eſt & materiæ diverſitas, & quod eadem magna ex parte figuram globoſam referat, aut quam proxime accedat. Materiæ enim pars interior ab exteriore differens, aut calore cocta mox dividitur, aut aliquo poſt temporis ſpatio ſeparatur, non ſecus ac arefactæ nucis avellanæ nucleus a putamine. Quodſi fuerit ſuccus, vel lutum tenax, ipſa etiam pars interior in lapidem cogitur, ut in ætite viſitur: ſi vero lutum non tenax, vertitur in terram plerumque argillaceam, ut cernere licet in Gœode; ſin ſuccus tenuis vel aqua, liquor interdum remanet; ut in Enhydro, in quo ad motum fluctuat intus, veluti in ovi liquor, ut inquit Plinius. Imprimis autem huc pertinent lapides ætites, conchites & chelonites; In cavitate ſcilicet ætitis, juxta Joh. Laur. Bauſch. *Sched. de Lapid. Aetit. cap. II. p.* 18. continetur lapis, ſolutus a reliquo corpore,

pore, callimus, (quibusdam callaimus, aliis callimius) dictus, qui variat colore & duritie, aliquando etiam ex parte translucens eſt, & transparens, cryſtalli inſtar, ex parte colorem nubilum cœruleum oſtendat, quandoque niger eſt. In veteri Marchia ad Oſtium Tangræ Chriſtophorus Encelius invenit lapides prægnantes Cheloniti-bus tribus vel quatuor perfectis tanquam in matrice. Vidit etiam Becanus in ſilice duriſſimo Bethunis advecto, quo viæ ſternuntur, conchulas totas lapideas, & concluſis valvulis integras, ut cæmento quaſi aliquo compactæ judicarentur, uti ex dictis Autoribus allegat Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. curioſ. Lib. I. cap. 8. pag. 145.* ubi pergit, tales lapides conchites prægnantes creberrime in Alſatia prope Buxa villam inveniri, uti teſtetur Salomon Reiſelius. Crepitus, quem edere ſolent Ætitæ, juxta Guilielm. Lauremberg. *Deſcription. Ætit. D.* cauſa eſt in viſceribus eorum genita & contenta materia, quam & diſtinctam habent & variam: ſunt enim qui prægnantes continent terram, ſunt &, qui arenam ac terram, qui terram & argillam, quique terram, arenam & lapillum conjunctim parturiunt. Callimus etiam, ſive lapis, qui in Ætile conſervatur, non ſemper uno eodemque colore tinctus eſt. Reperitur enim, qui nigricat, & alius; qui ad candorem declinat, alius albus cryſtalli inſtar ſplendet, ut qui eſt in montibus ad Salam, alius contra minime ſplendens album ſaltem refert, &c. Globus ille in Ætite ſive Callimus, modo eſt candidiſſimus, friabili & valde ſiccante luto aridiſſimoque conſtans, modo inſtar avellanæ, vergens ad albedinem; Interdum fere lupini eſt magnitudine, forma ejus eſt rotunda & oblonga, corpus partim pellucidum, ut cryſtalli, partim nebuloſum, ut Sarda, aut gemmæ, quam vocant Hujæ, &c. uti ex aliis Autoribus refert Johannes Laurentius Bauſchius *l. a.*

pag. 19. ſeq. Idem etiam *Cap. 8. pag. 71.* Lapidis conchitis prægnantis mentionem facit ſequentibus verbis: eſt apud nos circa Suinfurtum Franconiæ, non rarum, ſaxum quoddam calcarium *(Wackeſtein)* e quo & calx conficitur, & quo viæ plateæque ſternuntur, cui includuntur, ſicut piſa lapidea ſtalagmiti, lapides opaci, colore cinereo vel ſubfuſco, læves, longiuſculi, in dorſum elati ſeu convexi, altera parte magis plani, mucrone aliquomodo intus replicato, &c. Tales cochlites ſeu conchas minores lapideſcentes adducit etiam Olaus Wormius in Muſæi *Lib. 1. Sect. 2. cap. 13. fol. 88.* quarum prima cœrulea eſt & dura, ad nigredinem inclinans; altera ruffa ſeu rubicunda, ſubſtantia gypſea, dura repleta, exterius cruſta dura & polita obducta &c. Huc pertinent etiam Priapolithi, de quibus Petrus Borellus *Cent. III. Obſ. 85. p. 262.* ita loquitur: Reperiuntur juxta Caſtrenſem Urbem lapides ſubalbi, rotundi & oblongi, figuram penis & quandoque vulvæ habentes, & aliquando, ſed rarius, teſticulis inſtructi ſunt & balano, in medio vero eorum percurrit vena cryſtalli puriſſimi, adeo ut totus lapis, ut cepa cuticulis variis conſtructus videretur, tantum ex ejus impuritatibus & excrementis ejectis vel ſcoriis conſtare, ni manifeſte perciperetur, lapides illos augeri non ſolum, ſed etiam ſimiles ſibi procreare. Reperiuntur enim primo aciculæ magnitudine tantum, ſed tamen non ſunt cryſtallo deſtitutæ, reperiuntur etiam majores & usque ad craſſitiem femoris ſaxis quandoque incluſis, ſunt autem in monticulo, qui totus iis conſitus eſt, adeo ut nulli illic alii lapides reperiantur. Sed in magnis aliquoties reperitur terra rubra loco cryſtalli parvulis priapolithis intus generatis pleni, adeo ut videantur matres fœtibus prægnantes, & ſi non ante tempus aperiantur, ſponte ſua aperiuntur & quaſi pariunt. Porro de Lapidibus prægnan-

tibus

tibus & gemmis in gemmis ſequentia communicat Georgius Hieronymus Velſchius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 32. p. 50. ſeq.* Adamantem inquiens, in ſmaragdo perquam pretioſum habuit olim Philippus Heinhoferus, Patricius Auguſtanus, quem Philippo II. Pomeraniæ Duci obtulit. Smaragdum in cryſtallo vidimus Florentiæ in Cimeliarcheo M. D. Etruriæ cryſtallos, quarum ventre muſcus & plantæ, capillares concretæ apparebant, arena item & ductilibus auri filis per naturam gravidas aliquot poſſedit Ludovicus Guetius Sulcenſis. Malachiten in Cyaneo, ovi fere anſerini figura & magnitudine, rariſſima fœtura, miraque in cœruleo ſaturo viridis coloris gratia apud Amicum Nobiliſſimum ſæpius vidimus. Corallia in Achate ſylveſtri, id eſt, minus puro aut elegante ſervantur in Tameotheca Electorali Monacenſi. Nobis ipſis Amethyſtus eſt in cryſtallo manus propemodum noſtræ longitudine, duorumque pollicum craſſitie inſignis: Et Jaſpis Chalcedonius, minor quidem, ſed tricolor pulcherrimus, rotundo ſchemate, in cujus medio cryſtallus rhomboides incluſa ſpectatur, cujus pars aquam pellucidam, reliqua glacialem & anguſoſam, tanquam in minimas ſtirias concretam jucundiſſimo adſpecto repræſentat. Varia de lapite ætite reperiuntur in Franciſc. Calceolar. *Muſæo Sect. III. fol. m. 318. ſeq.* Andr. Cæſalpin. *de Metallic. Lib. II. cap. 47. p. m. 139. ſqq.* Ephemer. Acad. N. C. *Cent. VII. & VIII. App. p. 96. ſeq.* ubi adhuc plura de lapidibus prægnantibus, item de floribus & fructibus proliferis Godofredus Benjaminus Preuſſius adducit.

§. 12.

Reperiuntur inſuper in calculis humanis varia, quæ ipſis pro baſi atque majore incremento inſerviunt, v. g. De Acicula in calculo reperta hanc Obſervationem Johannes Dolæus ex communicatione exercitatiſſimi chirurgi *In Calculis acicula.*

rurgi

rurgi Amſtelodamenſis, Verduini, recenſet. Juveni cuidam quindecim annos nato calculus ovo columbino major apparatu majori exſectus eſt, in cujus medio acicula inventa eſt; calculi enim extremitatibus inter extrahendum quadantenus contritis globulus & cuſpis antea abſcondita, detegebantur. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 253. p. 591.* Refert etiam Ambroſius Paræus, ex Alexandro Benedicto, *Oper. Lib. 24. cap. 19. fol. 567.* Venetiis Virginem acum deglutiviſſe, quam biennio poſt cum urina reddiderit, calculoſa materia circum viſcoſos humores & coagmentata obductam. Ipſe autem Alexander Benedictus *de Partib. Corpor. hum. Lib. II. cap. 9. pag. m. 32. b. & Oper. fol. 585.* inquit, ſua ætate Virginem Venetiis acum crinalem quatuor digitorum longitudine, quam inter dentes dormitura continuerat, incaute per ſomnum deglutiiſſe perque urinam poſt menſes decem demiſiſſe maximis cruciatibus, quoniam in veſica collectis viſcoſis humoribus lapidem circa ſeſe involutum rotundavit gallinacei ovi magnitudine. Simile fere exemplum ex Transactionibus Anglicanis recenſet etiam Michael Bernhardus Valentini *Chirurg. medic. Sect. III. Cap. 7. pag. 346.* Dominum Proby Virgini Dublinenſi, cui acus crinalis eburnea faucibus altius intruſa digitisque elapſa in ſtomachum deſcenderat, & paulo poſt in veſicam urinariam ex parte penetraverat, fruſtra tentata illius extractione per forcipem in cervicem veſicæ immiſſam, tandem facta ſectione in parte externa muſculi recti abdominis in veſicam usque, acum in parte obtuſa, qua in veſica hærebat, materia calculoſa incruſtatam, feliciter eduxiſſe vulnusque rite tractatum conſolidaſſe. Utrum vero dicta acus crinalis per os & ſtomachum ad veſicam deſcenderit, vel annon ab ipſa virgine laſciva atque ſalaci, tempore pruritus venerei, per pudenda in veſicam errore quodam, intruſerit, ex ſequenti Obſer-

Obſervatione facillime judicare licet. Scilicet de calculo acui crinali adnato una eademque Obſervatio apud aliquot extat Autores, & quidem ex recenſione Petri Molinetti, Profeſſoris Patavini; ita enim ad Thomam Bartholinum ſcribit Heinricus a Moinichen: Excellentiſſimus Molinettus in Theatro Anatomico calculum ad ovi magnitudinem circa acum oſſeam in veſica collectum publice oſtendit, quam puellæ Venetæ extraxerat: Acus per annum in veſica latuerat, quæ laſcivienti, dum ſe ea fricaret, e manibus præter opinionem in veſicæ capacitatem elapſa erat. vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. II. Epiſt. 87. pag. m. 688.* Idem Henricus a Moinichen hanc Obſervationem de calculo veſicæ circa acum oſſeam collecto ac concreto *in Obſerv. med. chirurg. Obſ. 22. pag. m. 79. ſeq.* his verbis recenſet: Petulcæ cuidam puellæ Venetæ prominulo capite oſſeæ acus (qua ad diſcernendos ac firmandos capillos Italæ utuntur) collum uteri per laſciviam tractanti ac fricanti, tota acus præter opinionem in veſicam urinariam illapſa eſt: At quia a dicta puella digitis iterum apprehendi vel extrahi non potuit, ibi relicta, poſt aliquot menſes lotii difficultatem peperit ſubinde cruenti. Urgentibus ſymptomatibus Antonium Molinettum conſulens ægra, ſive immemor, ſive verecunda cauſam mali diſſimulavit, quam tamen ipſe facile detexit, cum diligentius exploratis his partibus, durum quid ac oſſeum, ſed mobile extra cervicem eminens offenderet, quod tamen ob magnitudinem ſtatim extrahere non potuit; Optime igitur expiato corpore pudendisque emollitis collum veſicæ dilatavit, & calculum circa acum concretum eduxit, quem mihi ſæpius monſtravit. Cui Obſervationi Joſephus Lanzonus *in Schol. p. 81.* ſequentia annectit: Cum apud Aventinum in Hiſtoria Bavariæ legatur quadraginta paſtores lapidefactos fuiſſe in aquis quibusdam e cavernis

erumpentibus, mirum ideo non eſt, ſi in puella Veneta acus oſſea in veſicæ cavitate ſaxea ſubſtantia circumfuſa fuerit; mirum profecto autem eſt, tam longo tempore acum oſſeam latuiſſe ſine ulla veſicæ ipſius læſione, nec ullo quidem puellæ incommodo; acus enim oſſeas, quibus noſtræ utuntur mulieres ad diſcernendos capillos, valde longas ſemper detexi, unde veſicam pungere ſaltem, ſi non perforare, debebat: Verum multa ſunt, quæ a natura fiunt & cognitioni noſtræ haud intelligibilia videntur. Hanc Obſervationem confirmat etiam Johannes Nicolaus Binningerus *Obſervat. Cent. I. Obſ. 20. p. 21.* inquiens Anno 1651. die 31. Januar. Molinettus in Theatro anatomico nobis oſtendit publice juglande majorem, piriformem & oblongum calculum, oſſeo pedunculo, ſed (quum forcipe apprehenſus extrahendus eſſet) conciſo, ex puellæ cujusdam Venetæ, urinæ difficultate & ſuppreſſione graviter laborantis, veſicæ collo a ſe extractum: quæ miro libidinis œſtro concitata, oſſeæ acus (quali ad crines diſcernendos mulieres uti ſolent) capitulo uteri vaginam titillans, illam imprudenter in veſicam intruſam, vel ab hac avidius attractam, digitis captare & retrahere non potuerat amplius. Unde huic a lotii acredine exaſperatæ & per annum in urinæ alveo detentæ ſenſim ſenſimque allabentes & adhærentes urinæ fæces, vi lapidifica in dictam maſſam concreverant. Calculi acum circumdantis, inter centenos mecum oculatus teſtis contemporaneus Italici itineris Patavium usque comes, mentionem facit Fridericus Bubbenius *in Diſput. ſua inaugurali de Nephrit. Baſileæ habit. 1652.* Hujus exempli etiam meminit αὐτόπτης Melchior Fricius *Icon. Podagr. Cap. II. p. m. 103.* his verbis: Hæc Virgo, cum acum eburneam, qua mulieres crines nectere ſolent, in loca muliebria immiſiſſet, atque ea ſeſe fricare vellet, eam imprudenter in collum veſicæ intruſit, ibique fregit, &

& fractam, (celans præ pudore factum) per aliquod tempus reliquit: Verum cum indies ad acum, utpote materiam ſiccam ſeſe particulæ lotii terreſtres præcipitarent, eam undiquaque inveſtirent, atque ei firmiter adhærerent, tunc acus indies grandior facta orificium veſicæ occludere & urinæ fluxum remorari cœpit: unde puella, urgente malo, Medicum accerſere fuit coacta, qui laxatis prius oleo pudendi partibus, acum deinde extraxit, quam extractam & materia ſabuloſa inveſtitam, memini ab Excellentiſſimo Molinettio, cum Patavii ſtudiorum gratia eſſem, publice Studioſis fuiſſe oſtenſam. Juxta verba Petr. Dionis *des Operations de Chirurg. Demonſtr. III. p. 136.* Monſieur Tolet a taillé un Soldat Italien, qui s'etoit fouré un ferret d'aiguillette par l'uretre dans la veſſie, où il ſe forma une pierre, de la matiere, qui ſe joignit a ce ferret, & ſ'y endurcit par ſucceſſion de temps. Scribit etiam Georgius Hieronymus Velſchius *Obſerv. medic. Epiſagmat. Obſ. 63. p. 38.* A fide digniſſimis accepimus Anno 1646. Venetam quandam acu crinali genitalibus immiſſa partes illas libidinoſius titillaſſe, quæ paulo altius adacta atque ab urinario meatu prehenſa, e manibus mulieris elapſa in ipſam veſicam attracta, integro ſemeſtri delituerit, donec exacto illo nonnihil cœperit prominere. Accitum autem chirurgum, dum vi extrahere conaretur, meatum urinarium totum dilaceraſſe, ob calculum, qui ovi columbini magnitudine acui adnatus fuerat. Simile exemplum de juvencula viginti annorum in Finali Mutinenſi, tentigine laſſata, quam acu crinali oſſea demulcere tentans, eandem incuria in veſicam intruſit, poſt quatuor autem menſes tartaro copioſo circumcirca obductam iterum extraxit Antonius Vallisnerius, in Univerſitate Patavina Profeſſor, per Finalem tunc temporis tranſiens, refert Hector ex Valle *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. An. I. & II. Obſ. 94. p. 183. ſeq.* De acu etiam ſutoria in medio calculo

 anno-

annotavit Ambroſius Paræus *Oper. Lib. 24. cap. 19. fol. 567.* Obſervationem ſequentem: Anno 1566. Laurentii Collo duo liberi, calculorum extrahendorum artifices experientiſſimi calculum extraxerunt, nucis juglandis craſſitie, in quo medio acus ei plane, quo ſutores ſuere ſolent, ſimilis depacta viſebatur. Carolo nono Regi propter rei monſtrificæ novitatem calculus ille, me præſente oblatus eſt, quem mihi a chirurgis illis dono datum diligenter in ſecretioribus capſulis aſſervo. Item Mulieri quadragenariæ chirurgus quidam Pelerinus, feliciter eduxit lapidem magnitudine ovum gallinaceum æquantem, quem acus ſutoria transverſim penetrabat, juxta Nicol. de Blegn. *Zodiac. medic. Gallic. An. IV. menſ. Febr. Obſ. 4. p. 29.*

§. 13.

Bacillus Lapis bezoardicus, Antonio Nuckio a ſpectatiſſima quadam matrona oblatus, figuræ oblongioris centro ſuo abſcondebat bacillum rotundum, oblongum, ab una fere ad alteram lapidis partem extenſum, cui variæ incruſtationes, lapideæ, diverſo colore, flavo potiſſimum, albo & ſanguineo tinctæ adhærebant. Et quæ omnium extrema, eleganti lævitate conſpicua fuit, uti ipſe Nuck *Adenograph. Curioſ. Cap. VII. pag. 83.* recenſet, atque lapidis hujus delineationem una cum bacillo, & particula, incruſtationes repræſentante, Figura 37. exhibet.

§. 14.

Oſſiculum ceraſi. Oſſiculum ceraſi per imprudentiam deglutivit, vel deglutire voluit Matrona quædam Helſingburgenſis; ſubſtitit autem id ipſum in faucibus per plusculas hebdomadas. Tandem oſſiculum limoſo & tartareo involucro ſenſim obductum noctu per tuſſim exſpuit in pelvim. Cortex ſcilicet undique nucleo inductus erat, ſed inæqualis & aſper, acutis hinc inde cuſpidibus, lapidea duritie, colore ad viridem vergente. Nempe alimentis liquoribusque

ſumptis,

ſumptis, qui tartarus inerat, oſſiculo adhæſerat, quemadmodum dolio affigi ſolet ex vinis, ex dentibus quoque agglutinatur. In duritiem vero calore inflammatæ partis, concrevit, ſicut alii in corpore lapides denſantur, juxta Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Centur. IV. Hiſt. 85. p. 405.*

§. 15.

De globulo plumbeo ictu ſclopeti in juvenis viginti annorum vacuum veſicæ immiſſo atque poſt triginta annos calculoſa materia obducto, ita ut calculus hic ovi molem adæquaret, ibidem reperto Obſervationem annotavit Paulus Offredus, vid. Guilhelm. Fabric. Hild. *Obſerv. Chirurg. Cent. III. Obſ. 67. fol. m. 250.* ubi tophaceam illam materiam tam firmiter adhæſiſſe ſcribit, ut vix inde tota eximi potuerit, &c. vid. ejusdem *Tract. de Lithotom. Cap. 3. pag. 40. ſeq.* Joſephum Couillart calculum vidiſſe, cujus baſis ſeu nucleus ſclopeti majoris globus fuit, refert Franciſcus Tolet *de Lithotom. Cap. 5. Edit. Germ. p. m. 28.* Georgio Segero calculum veſicæ monſtravit Johannes Caſparus Bauhinus, e cadavere Viri eruti, in quo conſpiciebatur globulus plumbeus, qualem capere ſolent bombardæ minores; Hic globulus adeo firmiter calculoſæ ſubſtantiæ inhærebat, ut plane immobilis appareret. Quam Obſervationem cum calculi delineatione reperies in Thom. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. III. Epiſt. 35. pag. 125. 128.* De veſicæ calculo, circa globum plumbeum concreto aliam hiſtoriam recenſet Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. medic. Cent. IV. Obſ. 27. pag. 401. ſeq.* inquiens: die 26. Maji Anno 1667. oſtendit mihi Mühlhuſii Lithotomus expertiſſimus, nomine Schœn, inter plures a ſe extractos e veſica diverſorum variæ figuræ & magnitudinis lapides, quendam prægrandem ovo gallinaceo non multo minorem, ſubalbum & aſperum calculum, in cujus mutilata parte globus vel pila plumbea bombardæ minoris firmiſſime

Globuli plumbei.

 hære-

hærebat, quem in veſica Viri cujusdam Baſileenſis nomine Schwarzii repererat. Hic autem in bello olim eques bombardæ portatilis globo vulneratus fuerat & citiſſime ſanatus, remanſiſſe in corpore globum, ubi domum revertiſſet, aſſerens, ſed loci ignarus. Ab aliquo exinde tempore circa veſicam laborans in ea calculum, contraxiſſe judicatus eſt. Lithotomo ſe ſubjiciens ab integro calculo liberari non potuit, ſed tantum a mutilata ejus portione abrupta. Poſt ſupervenientem ſphacelum & mortem aperto cadavere occurrebat in veſica contentus liber lapis, denudato globo plumbeo. &c. Mulier quædam contra inſignes inteſtinorum cruciatus duos idoneos glandes deglutiverat, atque poſt quindecim annos calculum colore dubio inter flavum & rubrum, fere extremitatem pollicis magnitudine æquantem cum urina excernebat, in cujus medio, poſtquam malleo exteriorem cruſtæ ejus partem decuſſerat, globus colore æreo incluſus reperiebatur, qui tamen cultello paulum reſectus comperiebatur eſſe plumbeus. vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglic. Ann. 1668. Menſ. Octobr. p. m. 672.*

§. 16.

Inſtrumentum plumbeum

Non autem ſolummodo globuli plumbei materia calculoſa in veſica obducuntur, ſed etiam aliud inſtrumentum tali modo incruſtatum annotavit Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. III. An. 5 & 6. Obſ. 253. p. 591. ſeq.* ſcilicet juvenis quidam triginta annos ætate major quadam mejendi difficultate laborat, unde calculum ſibi in veſica latere ratus tereti quodam inſtrumento plumbeo propria manu id explorare ac difficultatem mejendi demere conatur: quo inſtrumento in meatum urinarium ducto, ac ibi rupto, pars ejus in veſicam labitur. Hinc præcedenti mejendi difficultate aucta, aliisque ſymptomatibus accedentibus, æger tandem lithotomi explorationem ad-

mittere

mittere cogitur, quæ, propter meatus urinarii, ex carunculis, anguſtiam ægre fieri poteſt; cathetere tamen inducto calculus ſectione indigens ſentitur, qua feliciter inſtituta plumbei illa ſtili portio indicis longitudinis, totaque materia lapidea obſeſſa extrahebatur.

§. 17.

Clauſtrarius quidam juvenis ingenti calculi dolore victus ſibi ipſi manus injecit, veſicam amplo vulnere diſſecans, calculum manibus exemptum, in terram projiciens. Cum vero tenuioris eſſet fortunæ, calculum exemptum illuſtriſſimo Haſſiæ Principi Guilhelmo tranſmiſit, rem actam exponens, humillimeque rogans, ut inflicti vulneris conſolidationem chirurgo ſuo aulico demandet. Ipſe vero Princeps calculum ovi magnitudinem æquantem malleolo confringit, ubi magna cum admiratione claviculam in medietate calculi tenaciſſime impactum reperit, uti ex Matthæi Obſervationibus recenſet Johannes Rudolphus Camerarius *Memorabil. Medicin. Cent. VII. n. 10. p. 428.* vid. etiam ipſius Johannis Matthæi, Heſſi, *Quæſtion. medicar. pag. m. 128.* Nonnulli tamen Autores clauſtrarium dictum non æque claviculam, quam clavum deglutiiſſe ſtatuunt, hinc etiam Michael Bernhardus Valentin. *Chirurg. med. Sect. III. pag. 346.* ex Joh. Matth. Heſſ. *Hiſtor. rar. cap. 1.* parvi cujusdam clavi forte deglutiti, poſteaque calculo obducti atque ita e veſica extracti meminit. Fortaſſe etiam a deſcriptore vel typotheta hujus tractatus per errorem, loco u litera a ſcripta vel poſita eſt, cum clauſtrarius non tam claviculam, quam claviculum, *ein Zweckgen* deglutire potuerit. *Clavicula*

§. 18.

Ligulæ ferramentum duarum circiter unciarum longum miles quidam Italus in urethram pro certo ſcopo intruſerat, quod poſtea in ipſam veſicam illapſum intra octo *Ligula*

menſium

menſium ſpatium calculo fuerat obductum, uti in ſectione defuncti militis vidit Franciſc. Toletus, cujus vid. *Lithotom. Edit. Germ. cap. 5. pag. m. 27.*

§. 19.

Sagitta De Lapide Bezoar monſtroſo ſequentem Obſervationem communicat Georgius Sebaſtianus Jung *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 115. p. 267.* Inter numeroſos, tam magnitudinis, quam elegantiæ rarietate admirandos Lapides Bezoardicos, Theſaurum cæſareum exornantes, curioſorum oculis maxime ſeſe commendat quidam calculus, ibidem delineatus, in capra ſive hirco bezoardico repertus, ac ſinu ſuo ſagittam ferream fovens, eandemque ſuperiore ſolummodo parte, mucroneque ex altero latere excepto, circumcirca inveſtiens cineritii coloris. Pondus illius, una cum ſagitta infixa, eſt uncia una & drachmæ ſex, longitudo cum eminente ſuperiore teli particula ſeptem, eadem excepta quinque digitorum transverſorum, cum duorum latitudine.

§. 20.

Fiſtula Tabacina Duas fiſtulæ tabacinæ partes, calculoſa cruſta notabiliter obductas manu dexterrimi cujusdam Lithotomi, nomine Smaltzii, per inflictum vulnus, calculi loco fuiſſe extractas, ex caſu Lucæ Schachtio oblato refert Antonius Nuck *Adenograph. curioſ. Cap. VII. pag. 82.* ubi addit, retuliſſe iſtum examinatum patientem, ſe ante aliquot annos, poſt lithotomiam, tunc temporis etiam inſtitutam, pruritum vulneris, nondum conſolidati, ſenſiſſe moleſtum partemque læſam adeo irritantem, ut fiſtula tabacina, quam forte ad manus habebat, vulneris latera exploraverit & fricaverit pruriginoſa; hancque fiſtulæ fractæ partem, veſicam urinariam ſubingreſſam, in illum usque diem, ibidem hæſiſſe affirmat.

§. 21.

§. 21.

Feſtucam ſeu particulam ligneam ex veſica extractam atque veſtitu calculoſo indutam inter curioſa ſua ſervat ac depingit idem Antonius Nuckius *l. a. pag. 79.* Et *pag. 78.* Experimentum de globulo ligneo materia calculoſa obducto his verbis communicat: Inciſo vivi animalis (canini v. g.) hypogaſtrio, per vulnus inflictum veſica extrahatur, dein per ejusdem veſicæ membranas, ſecundum ductum fibrarum, inſtrumento acutiori, in fundo læſas globulus immittatur ligneus; mox contrahentibus ſe fibris, veſica per vulnus abdomini ante inflictum repellenda, vulnerisque ratio habenda. Animal primo biduo triſtius quidem ſed brevi poſt alacriter vivere & comedere incipit. Globulus autem veſicæ jam incluſus vix aliam animali cauſat moleſtiam, quam quod veſicam ad excernendam urinam frequentius ſtimulet. Hoc in ſtatu animal per aliquot ſeptimanas ſervetur: hinc, inſpecto abdomine & veſica, jucundo plane aſpectu obſervamus, globulum dictum exiguis calculis, quaſi totidem cryſtallis, eſſe incruſtatum: uti hisce diebus, feliciſſimo cum ſucceſſu in Amphitheatro domeſtico præſentibus Studioſis fuit propoſitum demonſtratumque. *Lignum.*

§. 22.

De turunda lapideſcente hanc recenſet Obſervationem Nicolaus Tulpius *Obſervat. med. Lib. III. cap. 9. pag. 204. ſeq.* Adoleſcens temerarius ivit in India occidentali venatum urum ſive taurum ſylveſtrem, ferox profecto & indomitum animal. Verum venatione infeliciter ſuccedente, ictus fuit graviter a tauri cornu, tranſeunte vulnere per peritonæum usque in vacuum veſicæ urinariæ; cujus dilaceratæ tunicæ plurimum, ubi colligerent puris, immiſit illis chirurgus, detergendi cauſa, ampliorem turundam, ex complicatis filis concinnatam. Evenit *Turunda.*

autem ſive ægri incuria, ſive curantis negligentia, ut turundam hanc in ſe attraxerit veſica, obducens eam primum muco deinde vero concreto calculo. Unde occludi paullatim vulnus, emingi continenter pus, & collum veſicæ urgeri tam perenni mejendi difficultate, ut inde moveretur non levis ſuſpicio latitantis alicujus calculi; quem etiam ipſi tandem exſcidit lithotomus, æquantem magnitudine pugnum humanum, & continentem in ſe turundam illam, quam diximus chirurgo clanculum fuiſſe ſubductam.

§. 23.

Funiculus De Flagri funiculo, a Laico quodam Capucino, cui nomen Frater Joſeph, fortaſſe cum aqua hauſto & in veſica urinaria per tempus hærente ibique arenulis obducto demumque, in Michaëlis Angeli de Benedictis in arte chirurgica peritiſſimi præſentia a lithotomo dextre extracto rariſſimam Obſervationem annotavit Johannes Baptiſta Scaramuccius in *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 142. pag. 345. ſeq.* quam evolve.

§. 24.

Candela cerea De fœmina, quæ candelam parvam ceream incautius per urethram in veſicam immiſerat, ab eadem tamen, cruſta calculoſa jam obducta, & in ſuperficie exiguis cryſtallis cincta per Thomam Alghiſi iterum liberata vid. Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. medic. Sect. III. Cap. 7. §. 5. pag. 346. ſeq.*

§. 25.

Bacca Juniperi De lapide in veſica demortui invento plurimis baccis juniperinis repleto Obſervationem annotavit Johannes Adamus Loſpichlerus *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. I. & II. Obſ. 58. p. 130. ſeq.* Vir ſexaginta annorum, Mercatorem agens, in ſummam quaſi pauperiem redactus, per tres integros

tegros

tegros annos, de graviſſimis ſemper in emittenda urina conqueſtus eſt doloribus, una cum pondere in pectine, & materia albicante viſcoſa ac tenaci, juncto ſat gravi odore, indies matulam plus minus conſpurcante; exinde calculo veſicæ hunc patientem laborare, nemo dubitavit. Ob defectum autem medicamentorum & virium ad manualem operationem, neſcio quo ſuaſu baccis juniperinis indies, prout erant, frui cœpit, a quibus nihil levaminis ſenſit, ſed viribus tandem confractis fatis ceſſit. Aperto vero hujus cadavere, bini ureteres eo intumuiſſe viſi ſunt, ut pollicis majoris introitum facile admitterent. In veſica autem aperta præter materiam albicantem, tenuem ac viſcoſam calculus uncias duas cum ſemiſſe ponderans inveniebatur, cujus conſtitutio ab extrinſeco, dum prima fronte conſpiceretur, nigro undique colore tincta apparebat. Cum autem, ob perfectiorem coloris hujus inconſueti cognitionem, aqua communi ablueretur, duriſſimæ & albicantis ſubſtantiæ fore quilibet facile agnoſcebat, permanentibus interim diverſis in locis nigerrimis notis, quibus ulterius & accuratius examinatis, veriſſimas baccas juniperinas, partim conglomeratas, partim diviſas, & ad inſtar lapidum pretioſorum, annulo incluſorum, lapideæ huic materiæ infixas non ſine ſtupore videre licebat.

§. 26.

Sic uvam ante multum tempus comeſtam aut potius integre deglutitam, poſtmodum lapide circumdatam iterum excluſam ſe obſervaſſe meminit Henricus Petræus *Noſolog. Harmon. Tom. II. Diſſertat. 40. §. 23. p. m. 314.* *Uva*

§. 27.

Straminis portiunculam Medicus & Lithotomus eximius, Abrahamus Cyprianus, cani ſubinde per penem in veſicam trudebat, quo, tempore quodam poſt diſſecto, calculus in veſica canis reperiebatur, in cujus medio ſtra- *Stramen*

 minis

minis portio latebat, uti ex ipſius Cypriani ore refert Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 243. p. 592.*

§. 28.

Palea

Lapidem etiam bezar circum tenuiſſimam quandam paleam ſemper augeſcere & veluti multis e tunicis contegi, columellæ aut glandis plerumque, interdum alia & alia forma &c. ſcribit Garzias ab Horto *Aromat. Hiſt. Lib. 1. cap. 45. in Carol. Cluſ. Exotic. Lib. 7. fol. m. 216.* Item Joannes Fragoſus *Hiſtor. Aromat. & Medic. Ind. cap. 10. p. m. 12.* inquit; in fracto lapide hujusmodi tenuis palea in centro ſive meditullio ejus invenitur. Et juxta Andr. Cæſalpin. *de Metallic. Lib. II. cap. 46. pag. m. 136.* concreſcit hic lapis in hirci cujusdam, Pazan dicti, ventriculo prope meatum, unde pabulum ruminatum in alterum ventriculum transmittitur: Initio juxta paleam quandam tenuiſſimam, ex pabulo ruminato congeſtam, ſucco ambiente in cruſtam friabilem tranſeunte &c. Talem calculum quandoque etiam pilos pro baſi habere, refert Johannes Schrœderus *Pharmacop. Lib. V. Claſſ. 1. p. m. 815.* De quo Lapide pluribus adhuc infra agemus.

§. 29.

Granum Avenæ

In calculi equini per ſeceſſum ejecti atque diffracti medio granum avenæ, quemadmodum in lapide bezoardico fruſtum ligneum vel ſimile quid invenire ſolemus, ſe reperiſſe ſcribit, idque conſideratione dignum cenſet Fredericus Ruyſchius *Theſaur. anat. II. p. 84. & 91.*

§. 30.

Serpens

Utrum vero veritati conſentaneum ſit, quod ſibi relatum refert Petrus Borellus *Hiſtor. med. Cent. II Obſ. 22. p. 128.* ſcilicet in lapide humano, felis capitis figuram habente, ſerpentem repertum fuiſſe, cuilibet judicandum relinquo.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Calculorum Effectibus morboſis in Corpore humano.

§. 1.

Varia a calculis tam renum & veſicæ, quam aliarum corporis humani partium, oriri ſymptomata, teſtantur partim ipſi ægrotantes, partim Medici practici, e quibus nos in hoc Capite, omiſſis frequentioribus, pauca ſaltem adducere volumus. *Calculorum Symptomata*

§. 2.

Continuo nimirum capitis cruciatu conficiebatur, homo quidam miſer & inops, in cujus defuncti cerebro Johannes Pfeil lapidem reperit magnitudine & forma mori, colore autem quaſi pullo aut cinereo, quem deinceps pro ſingulari miraculo multis oſtendit, vid. Joh. Kentmann. *de Calcul. in Corpor. human. Obſ. 1. p. 1. ſeq.* De intenſiſſimis capitis doloribus, præcipue in fronte intra oculos ad os cribriforme per annum & dimidium conquerebatur domicella quædam, poſt errhinum autem ſuffocationis metum incurrebat, cum nec minimum ſpiritus per nares attrahere valeret, & quod dolor nunc etiam totum naſum occuparet, & ſic aperto ore ſtare cogeretur; ſvadet autem ipſius medicus, Johannes Fridericus Kherm, repetitionem errhini; quo vix per ſyringam injecto, procidit calculus, magnitudine piſi oblongus, quem intra bihorium duo ſimiles & unus medio minor, ſequebantur; qua cauſa ablata omnis dolor penitus ceſſavit. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 5 & 6. Obſerv. 46. pag. 100.* In glandula pineali Eliſabetha Joppen, per viginti quinque annos intolerabili capitis dolore excruciatæ, plurimæ arenulæ aſperæ, quarum aliquæ propter magnitudinem calculi nomen mere- *Cephalalgia*

 bantur,

bantur, fuere repertæ. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 127. pag. m. 285. ſeq.* Cephalalgiam acutiſſimam ex materia quadam lapidea craſſæ meningi adhærente obſervavit Iſaacus Cattierius *Obſ. 18. p. m. 48.* Berlingerius Gipſeus Profeſſor Bononienſis in cerebro ægri, præternaturali capitis figura dotati, & ex continua demum cephalalgia denati, glandulam pinealem totam petroſam, magnitudine nucem avellanam æquantem obſervavit, vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. Menſ. Septembr. p. 306. ſeq.* De cephalalgia a lapillo intra duram, piamque matrem reperto Obſervationem communicat Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 48. p. 76.* Calculum magnitudine nucis caſtaneæ minoris, poſt continuum capitis dolorem e naribus per palatum rejectum reperimus in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. 240.* Aliud exemplum calculi a femina, Anna Rietmannin, annos nata quadraginta quinque circiter, continuo capitis dolore admodum afflicta per palatum rejecti, refert Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſerv. chirurg. Cent. V. Obſerv. 1. Oper. fol. m. 379.* Circa nervos opticos virginis cœnobium ingreſſæ & per aliquod tempus capitis dolore vexatæ poſt mortem pituita gypſea inventa eſt, juxta Nicol. Cheſneau *Obſ. med. Lib. I. p. m. 14.* Simile exemplum de Illuſtri Domina de la Loupe refert etiam Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gall. An. 1. Menſ. Apr. Obſ. 14. p. 81.* Plura exempla ſupra *Cap. II. §. 8.* adduximus.

§. 3.

Somnolentia

Semper ſomnolentus, ſemper capite obtuſo adoleſcens quatuordecim annorum ætatem inter rationis ſtultitiæque confinia traduxerat, in cujus cerebro, poſt mortem, præter aquam in prioribus duobus ventriculis in dextro etiam calculus albicans grana pendens tredecim, a Theodoro Kerckringio fuit repertus, vid. ejusdem

Spicileg.

Spicileg. anatom. Obſervat. 35. pag. 76. ſeq. quo loco etiam dictum calculum delineat.

§. 4.

Deliria a calculo producta obſervavit Vitus Riedlinus in viro quodam, jamdiu calculi doloribus excruciato, qui aliquoties iisdem adeo torquebatur, ut per bene longum temporis ſpatium ſanæ rationis uſu deſtitueretur, unde tam delira proferebat verba, ut adſtantes non parum perterrerentur, ne nempe graviora ſubſequerentur mala, metuentes. Hoc vero malum non niſi a dolorum vehementia derivandum eſſe judicabat dictus Riedlinus, hisque vel ſponte ceſſantibus, vel medicamentis quodammodo delinitis, deliria quoque ceſſabant. v. Vit. Riedlin. *Millenar. Obſ. 515. p. m. 312.* *Delirium*

§. 5.

Vir quidam, cui calculus ſub lingua erat exciſus, oretenus retulit, quod calculus iſte in hyemali expeditione maritima, qua diutius detinebatur frigusque intenſiſſimum perferre cogebatur, generari cœperit. Paulo poſt reditum ſuum nodum quendam ſub lingua deprehendit atque octo fere annos pertulit. Creſcente calculo moleſtiæ quoque increvere, præcipue ad omnem frigoris ſenſum, intenſus dolor, in hac parte, qui ceſſante frigore ceſſavit. Circa ſeptimum & octavum annum frequenter ac repente omnes glandulæ oris & faucium intumuerunt, ab aſſumpta cereviſia aut cibo, qui tumor iterum brevi evaneſcebat. Tandem, quod præcipue obſervatu dignum, vertigine repentina, a primo vere ad Auguſtum circiter durante, correptus eſt. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 1. Schol. pag. 2. ſeq.* *Vertigo*

§. 6.

Convulſiones octiduatim fere recurrentes cum difficultate mingendi maxima perpeſſus eſt puerulus tabido- *Convulſiones*

nephri-

nephriticus, in cujus ſiniſtro rene calculum tricuſpidem, ſilicis duritiei præ oſtio ureteris ſiniſtri deprehendit Johannes Jacobus Harderus, ſeu Pæon *Exercitat. anat. med. I. p.* 2. *ſeq.* Et *in Apiar. Obſ.* 78. *p.* 301. *ſeq.* idem Autor hanc Obſervationem prolixius deſcribit, ubi circa finem, inquit, ad infantis hujus trimuli ureteris oſtium calculum ſe reperiſſe oblongum, cacuminatum, ſilicis duritiei, membraniſque tenaciter involutum, adeo ut lancetta ipſum ſeparare neceſſe habuerit.

§. 7.

Loquela impedita. Aphoniam vel locutionem impeditam a calculo ſub lingua interdum oriri, teſtantur Autores. Vidit enim Avenzoar lapidem generatum ſub lingua cujusdam viri, prohibentem ei locutionem: & eo remoto lapide rehabuit vir loquelam, vid. Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. I. fol.* 191. item Zacut. Luſit. *de Medicor. princip. Hiſtor. Lib. I. Hiſtor.* 70. *fol. m.* 122. Intumuerat mulieri cuidam admodum lingua ita ut eam movere aut loqui non poſſet, uti neque aliquid deglutire, rupto tandem ſponte abſceſſu, procidit calculus tophaceus, durus & magnus, vid. Felic. Plater. *Obſ. Lib. III. p. m.* 896. Viro cuidam a tumore inſigni ſub lingua loquela ita impediebatur, ut per triennium animi ſenſa exprimenda tabulæ inſcribere neceſſe haberet. Tumore autem hoc aperto ſimulque calculo, magnitudine caſtaneæ extracto, loquela redibat, juxta Henr. a Roonhyſ. *Obſ.* 29. *p.* 125. *ſq.* vid. etiam Vict. Schneider *de Catarrh. Lib. III. cap.* 7. *p.* 435.

§. 8.

Raucedo Raucedinem diuturnam a calculoſa materia annotavit Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. I. An.* 8. *Obſ.* 151. *pag.* 328. *ſeq.* Prætor ſcilicet Stolbergenſis ultra annuum ſpatium gravi corripiebatur raucedine, cujus cauſam reputabat ſpiritum ſalis ammoniaci in non juſtæ quan-

quantitatis vehiculo aſſumptum. Poſt hujus namque deglutitionem oppido raucedinis ſenſit principium, ſibique poſtea ſemper videbatur capiti aſperæ arteriæ aliquid adhærere, quod eandem premeret & aggravaret. Variis incaſſum aſſumptis medicamentis tandem tuſſi & ſcreatione aliquoties materiam tophaceam rejecit, indeque uſum vocis repetiit priſtinum. Unde vero, pergit Garmannus, iſti in gutture tophi? Podagricus erat, ideo tophaceam in lympha materiam nodis articulorum ſacram aſperæ arteriæ circulis & capiti adhæſiſſe, & a ſalivæ acore ſylveſtri coagulatam fuiſſe conjicit.

§. 9.

Palpebrarum conglutinationem & impeditam oculorum apertionem ab arenulis ibidem collectis ortam recenſet Matthias Unzerus *de Nephrit. Lib. 1. cap. 24. pag. 111.* de Mercatore Lipſico, non infimæ notæ viro, qui affirmavit, ſe multoties cum in pluribus aliis, tum in ſeipſo quoque virtutes lapidis nephritici obſervaſſe. Nam cum aliquando, propter nephriticos dolores per quinque dies hunc lapidem collo geſtaſſet, tantam arenularum copiam per angulos oculorum ipſi expulſam fuiſſe, ut ob earundem ſalſedinem & acrimoniam uterque oculorum tanta rubedine fuerit affectus, non aliter ac ſi inflammatione quadam tentati fuiſſent. Cui quidem incommodo, ſi is diligenti oculorum ablutione quotidie occurriſſet, rem bene ſe habuiſſe, illa autem neglecta, per ſomnum ſequentis noctis tantam arenarum ſeu ſabuli multitudinem in oculis coacervatam fuiſſe, ut agglutinando palpebras, impedimento fuerint, quo minus oculorum apertionem liberam & expeditam haberet, ſed ad hanc juvandam rerum emollientium adminiculo, oculis impoſitarum indigeret. De hoc Negociatore ſeu Mercatore Lipſienſi ſcribit etiam idem Unzerus *l. a. Cap. 27. p. 144. ſeq.* quod ter emenſus iter in regiones

Palpebrarum conglutinatio

orientales, ex iisdem, imprimis vero ex urbe Byzantina ſtupendam lapidis nephritici copiam ſecum attulerit, adeo ut Theſauri quodam non vulgaris loco eum habuerit, illiusque partim artificioſe elaborati ſeu præparati, partim crudi & minus adhuc præparati duodecim millium florenorum ſe jactaverit.

§. 10.

Cæcitas. De lapide in nervis opticis cæcitatem inducente agit Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. 1. menſ. April. Obſ. 14. pag. 81.* aperto, inquiens, cadavere Illuſtris Dominæ de la Loupe, Caſtrorum Præfecti uxoris, repertus eſt lapis phaſeoli magnitudine in origine atque in ipſa nervorum opticorum ſubſtantia, unde illico dolores capitis atroces exorti, poſtmodum febris ardens, cæcitas, imo mors ipſa luminis extinctioni triduo poſt ſuccedens. Item Virgo illa, cujus *§. 2. ex Nicol. Cheſneau Obſ. med. Lib. 1. p. 14.* mentionem fecimus, & cujus fortaſſe animus ad vitam monaſticam non erat valde propenſus, inductu tamen parentum cœnobium ingreſſa, poſt aliquod tempus cœpit dolore capitis vexari, quo tandem obcæcata eſt. Poſt aliquot annos defuncta, diſſecto cranio, pituita gypſea circa nervos opticos inventa eſt, cæcitatis quidem cauſa, ſed non mortis &c.

§. 11.

Narium fœtor. Cum Virgo quædam e plebe de narium obſtructione prius conqueſta fuiſſet, tandem hac indies aucta, accedenteque fœtore ex iisdem cum eadem converſantibus moleſtiſſimo exhalante, ipſaque parte affecta multum intumeſcente, chirurgum propterea vocare cogebatur; qui accedens varia quidem, quæ alias in diſſipandis ejuscemodi tumoribus laudantur, ſumma cum diligentia applicavit, at omnia omnino fruſtra; ut adeo de polypo ſuſpicari cœperit, & hinc internas quoque narium partes diligentius rimatus fuerit; cumque inſtrumento quodam ad corpus

durum

durum quoddam alliſiſſet nullus, ulterius dubitaverit, ſi hoc removeri poſſit, reliqua mala brevi ceſſatura. Forcipe itaque admoto hoc ipſum corpus apprehendit, & trahendo tamdiu inſtitit, donec aliquot calculos extraxit, ſicque integre convaluit, juxta Obſervationem Viti Riedlini *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 148. p. 268. ſeq.*

§. 12.

Patritius quidam Venetus quadraginta ſex annorum, qui a pueritia fragrantiſſimis odoribus vehementer delectabatur, in maximam tandem olfactus organorum obſtructionem incidit, ita ut nihil plane, etiam fœtidiſſima, olfacere poſſet, cum dolore capitis obtuſo & maxime gravativo, adeo ut caput ſemper in pronum & pendulum habere cogeretur. In hujus poſt febrem continuam defuncti cerebro prope baſin lapis compreſſus, taleri nummi inſtar, ſed non omnino rotundus reperiebatur, qui os cuneiforme & olfactus meatus plane impediebat, adeo ut nec olfacere nec exſpuere poſſet. vid. Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. I. Sect. 20. fol. 347.* *Odoratus amiſſio*

§. 13.

Viro cuidam ſexagenario acidulas calculum dactyliformem in ipſam virgæ radicem adeo impegiſſe, ut ob imminentem urinæ aquarumque medicarum ſuppreſſionem omnimodam & ſubſequentem aſſumptorum vomitum, imminentem ſyncopen fruſtratis omnibus aliis remediis ſectione manuali tollendus eſſet, ſcribit Johannes Michael Fehr *Hier. picr. ſive de Abſinth. p. 137.* In Viro quodam, qui paulo ante obitum iterata ſyncope detentus fuerat, polypus cordis in lapidem mutatus ibidem repertus atque e cadavere reſectus legitur *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 83. p. 188.* Notabile vero eſt, quod patiens ille paulo ante obitum hunc affectum quieto potius, quam fatigato corpore ſenſerit, cum ſub equitatione fortiorique exer- *Syncope*

 citio

citio paulo melius habuerit, quia mediante ſuccuſſione inſignis aortæ obſtructio, in quam excreſcentia hæc deſinebat, ad tempus aperiebatur & ſangvini exitum concedebat.

§. 14.

Palpitatio Cordis

Dictum virum etiam ſimul palpitatione cordis ſæpius laboraſſe refert idem Autor. Juxta relationem Johannis Wieri *Oper. Lib. IV. cap. 16. p. m. 315.* in Imperatoris Maximiliani Secundi corde ſecto inventi ſunt tres lapilli quantitate piſorum, unus interim major altero, colore rubigineo; frequenter vero cordis palpitatione gravi afficiebatur, dum viveret. Idem teſtatur etiam Wolffgangus Hœferus *Hercul. medic. Lib. II. cap. 1. p. 107.* inquiens: Maximilianus II. Imperator nullum expertus eſt præſtantius remedium in cordis palpitatione, quam theriacam extra adhibitam. Sed tandem, eodem ipſo malo extincto & aperto ejus cadavere, in corde lapilli tres reperti ſunt. Johannes Arminius, pharmacopolæ miniſter, ex adverſa valetudine tandem devenit in tam vehementem cordis palpitationem, & irrequietum agitati viſceris impetum, ut verberantis ictus diſtincte nonnunquam audirentur præ foribus conclavis, in quo id temporis decumbebat. In ipſius autem defuncti non ſolum rene dextro plures latitabant calculi partim rubri, partim nigri, quos inter unus cæteris major obturabat integre ureteris principium, ſed prope renem ſiniſtrum, dedit ſe nobis in conſpectum inauditum calculi genus, quod a loco, cui inhæſit, Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. II. cap. 25. p. 143.* vocat arteriale, quod arteriæ aortæ ramo inſidebat. In corde cujusdam viri, qui palpitatione cordis frequenter corripi ſolitus erat, ſecundum Thomæ Eraſti relationem, lapillus niger repertus fuit, vid. Laurent. Schultz. *Conſil. medic. 103. p. m. 276.* In latronis cujusdam, palpitatione cordis frequenter corripi

ſoliti

ſoliti corde, & quidem ejus ventriculo dextro tres lapilli, ciceris magnitudine, coloris cineritii, oblongi reperti ſunt, vid. Zacut. Luſit. *de Prax. medicin. admirand. Lib. II. Obſ. 141. Oper. Tom. III. fol. 37.* Plura vide ſupra *Cap. II. §. 22.*

§. 15.

In cyſtide fellea Nobilis cujusdam apoplexia mortui, reperti fuerunt decem calculi nitentes, coloris flavi, ſubobſcuri & aliquomodo triangularis figuræ, fabæ magnitudine, juxta Petr. Borell. *Obſ. med. Cent. III. Obſervat.* 22. *pag. m. 217.* Sic in queſtoris cujusdam ſymptomatibus apoplecticis exſpirantis abdomine cyſtis fellis ſubſtantia fuit craſſa & denſa, cavitatis amplæ, in qua lapilli duo atri coloris reperiebantur, quorum major capitulum rutæ quadrangulare referebat, cum radice triangulari, qualis eſt dentis molaris forma, magnitudine capituli rutæ, alter triangularis formæ glandis, coloris ſubcineritii, v. Philipp. Hœchſtetter. *Obſ. med. Decad. X. Caſ. 6. p. 415. ſeq.* Anno 1701 Præſul quidam Romæ die 18 Januarii prima noctis hora apoplexia derepente correptus ipſo momento interiit. Aperto cadavere inveniebatur dura mater ſtricte ſatis cranio ex omni parte adhærens. Sangvis in maxima copia ruptis cerebri vaſis intra ventriculos & in univerſa cranii cavitate fluitabat ſatis niger & grumefactioni proximus, penetratisque ſuturis pericranium quoque inundavit. In veſica fellis duo erant calculi, alter magnitudine ovi columbini, alter vero paulo minor, ambo tamen duri, nigri, & ſcintillas veluti emittentes, quaſi eſſent congeries nigri ſalis cryſtallizati. Pauca bilis eaque nigra ad inſtar picis in veſica fellis. Color oculorum & faciei continuo citrinus. vid. Georg. Bagliv. *de Bilis Nat. Tr. de Fibr. motric. p. 214. ſeq.* quo loco dictus Autor dolores in dextro brachio & dextra lumborum

Apoplexia

regione (quibus idem Præſul in vita continuo erat obnoxius,) ipſam denique apoplexiam latentibus in veſica fellea calculis originem debere, defendit. Cur enim, pergens, dexteras corporis partes ſemper occuparent dolores, nunquam ſiniſtras; & cur brachii dolores ita perennes, niſi a latentibus in dextro hypochondrio calculis, vicinas partes irritantibus & dolorificas criſpaturas ad partes e directo poſitas producentibus? &c. Porro etiam Gothofredus Heldius calculos in cyſtide fellea repertos apoplexiæ auctores agnoſcit *Ephemer. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſerv. 169. p. 380.* Chriſtianus, inquiens, Erneſtus, Sereniſſimus Marchio Brandenburgicus, Culmbacenſis Anno 1712 die 20 Maji apoplexia cum lethargo exanimatus anatomiæ ad ſubſequentem pollincturam ſive Balſamationem traditus, primariam mortis cauſam nobis quidem in capite offerebat: in hoc enim inter duram & piam ſeu tenuem meningem, ut & in anterioribus cerebri ventriculis inſignis ſeri extravaſati quantitas inveniebatur, nec non ex proceſſu duræ matris falcato, &c. alia vero cauſa non minus attendenda, ad apoplexiam inducendam apta, in infimo ventre occurrebat; ſcilicet in cyſtide fellea conſpiciebantur quinquaginta calculi bilioſi tot nimirum, quot Sereniſſimus Princeps annos regnaverat, coloris flavo-nigricantis, tam glabri ac ſplendentes, ac ſi arte eſſent politi, variæ magnitudinis, majores & minores &c. Quo autem modo calculi bilioſi apoplexiam excitare poſſint ita porro dictus Autor explicat. Princeps noſter alias in adulta ætate quandoque podagræ obnoxius, ad ſenilem vergens, ea non niſi rariſſime corripiebatur, unde cum arthritica illa acris bilioſa & viſcidior acida materia critico naturæ motu non amplius ad artus infimos propelleretur, ea cum bile in veſicula fellea ſedem fixit, & bile hinc ſimul inerti reddita & exſiccata, calculi numerati

rati ſucceſſive concreverunt, qui per alliſionem & exactam quoad latera conjunctionem tam læves redditi, quaſi artificioſe ſic efformati. Cum igitur motus naturæ, podagra ordinarie non redeunte, plane inverteretur, ac chylus, ſanguis & ſerum bilioſum balſamo non ſufficienter imbuerentur, ſerum ſtagnatione acrius redditum vaſa lymphatica perrodendo, & extravaſatum quantitate majori cerebrum implevit, exinde nimia aquæ copia arterias carotides & vertebrales, ac ſinus, ubi cum jugularibus coaleſcunt, premendo & ſangvinis affluxum & reflexum prohibendo, nec non propter meatus cerebri medullares hinc obſtructos & oppreſſos, atque cohibitam ſpirituum animalium energiam elaſticam, lethargicum ſoporem cum apoplexia inducit. Hoc ſuum aſſertum idem Heldius alio confirmat parallelo exemplo ex communicatione Danielis Nebelii. Nimirum Illuſtriſſimus Generalis Campi Mareſchallus, Comes de Thüngen, Spiræ apoplexia forti beate defunctus, alias ſumme podagricus, poſt mortem anatomico cultro ſubjectus, cruorem in duobus cerebri anterioribus ventriculis extravaſatum, & multas arenulas ſubflavas in valvulis cordis utriusque ventriculi, in folliculo autem felleo calculum glabrum, nigreſcentem, duriuſculum, & alium molliorem cum nonnullis minoribus, conjunctim drachmas tres pendentibus, obtulit. Ex quibus obſervationibus Daniel Nebelius concludit, in podagra intemperiem humorum tartaream etiam bili communicari, hancque ad coagulum ſic redactam, apoplexiam cauſari.

§. 16.

De anxietate & anguſtia quadam circa regionem cordis vehementer querebatur puella quædam undecim annos nata, in cujus corde, ubi mors eam doloribus liberaverat, in horum & mortis cauſam curioſe inquirens The- *Anxietas Cordis*

odorus

odorus Kerckringius lapillum ponderis granorum quatuordecim, colore autem & reliquo habitu lapidem bezoardicum perfectiſſime referentem, reperit, uti *Spicileg. anat. Obſ. 78. pag. 152.* recenſet.

§. 17.

Anhelitus difficilis

Maxima anhelitus difficultate laborabat vir quidam, non tamen tuſſiebat, non exſcreabat, nec ulla vel aſthmatis, vel orthopnœæ vel phthiſeos, aut vulgati alicujus pectoris vitii aderant ſymptomata; Cujus poſt mortem cauſa erant lapides varii variæque figuræ diverſis in locis arteriæ aſperæ incumbentes, qui ita eam oppreſſerant, ut tandem hominem præfocaverint, vid. Theod. Kerckring. *l. a. Obſ. 27. p. 64.* ubi tales lapides depictos reperies. Semper etiam de difficili reſpiratione, abdominis mole & ſuppreſſis uteri purgamentis conqueſta Matrona tandem fit aſcitica, in cujus defunctæ & exenteratæ utero lapis quatuor librarum, multis eminentiis lapideis, coloris fuſci deprehendebatur ſecum Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. IV. Hiſtor. 64. p. 374.*

Aſthma

Juvenis quidam aſthmate laborans ſæpius querebatur lecto ſeſe vix continere poſſe veſperi, cum cubitum iret, ita ut ab eodem revertens quandoque ad inferiores ædium partes ſeſe conferret, quandoquidem maximo circa pectus angore ſe corripi diceret, quantum ad reliqua ſatis bene ſe habens. Longo poſt tempore compertum eſt, illum aliquot lapillos piſis ſimiles, quosdam etiam iis majores, ac nonnullos minores, æquales alios, alios autem inæquales admodum, aſt univerſos foraminibus plenos ac ſpongioſos, tanquam pumices tuſſi ejeciſſe, quam poſtea ipſius ſequebatur pulmonis ulceratio & lethifera tabes, juxta Cornel. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. I. Obſ. 28. p. 116.* Et *pag. 118.* inquit idem, ſe Anno 1682. calculum unum vidiſſe tantum, quantum eſt gallinaceum ovum minus, quem faber lignarius, viginti

viginti quinque annos natus gravi admodum tuſſi, poſt diuturnum aſthma, quod maximus comitabatur angor. Anno 1681. ejecerat. In famuli lapicidæ aſthmate mortui pulmone magnam pulveris lapidum copiam inſpiratione cum aëre attractam invenit Isbrandus de Diemerbroc. vid. *Anatom. Lib. II. cap. 13. fol. m. 506.* In aſthmatici cujusdam ſubſtantia pulmonis lapidem nucis juglandis magnitudine, tunicæ carneæ incluſum invenit Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſ. Chirurg. Cent. II. Obſ. 29. fol. m. 107.* De tumore ſub lingua cum inſigni inflammatione & ſummo ſuffocationis periculo laborabat quidam, ut vix credi poſſet, quantum dolorem perceperit patiens, cum cerevifiam vel alium liquorem deglutire vellet, donec poſt inciſionem tumoris illius ſublingualis & extractionem duri ab hoc periculo liberaretur. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 1. Schol. p. 2.*

§. 18.

Tuſſis moleſtæ, a calculis aſperæ arteriæ ortæ exemplum refert Johannes Schmidius *M. N. C. Dec. IX. & X. Obſ. 55. p. 143.* Virgo ſcilicet quædam venuſta annos habens octodecim Mercatoris Gedanenſis filia, de tuſſi ſicca conqueri cœpit, quæ ſucceſſu temporis adeo exaſperabatur, ut, quæ interpolatis antea moleſtarat vicibus, tandem inceſſabiliter torqueret, catarrhus nullus aderat; poſt excretos autem plurimos lapillos friabiles, cineritii coloris, (qui tophi in bronchiis pulmonum hæſiſſe videbantur) tuſſis fere penitus ceſſabat. Refert etiam Antonius Benivenius *Obſerv. medic. Cap. 24. p. m. 174. ſq.* quendam Alemannum tuſſicula ſicca & lateris dolore per triennium vexatum, tandem calculum ad avellanæ magnitudinem e pectore excreviſſe. Plura ejusmodi exempla vide ſupra *Cap. II.* ubi de calculis in aſpera arteria & pulmonibus agitur. *Tuſſis*

§. 19.

Hæmoptyſis. Nicolſpurgi quidam Canonicus, nomine Valerio Stromatz, poſt tuſſim moleſtam tandem cum eadem aliquot calculos rejecit, qui rumpendo vaſa pulmonum hæmoptyſin cauſarunt, à qua phthiſis ſubſequuta, uti refert Johannes Fridericus Hertodt *Tartaro-Maſtig. Morav. Part. II. cap. 4. pag. m. 222.* Inquit etiam Richardus Morton *de Phthiſ. Lib. III. cap. 6. p. m. 137.* Cretaceos lapides in pulmonibus concretos ſæpius obſervavi, qui ubi fuerant angulati & pulmonum agitatione commoti, tenerum eorum parenchyma lacerare ſolebant; quo tuſſis vehemens atque arida, dolorque thoracicus horrendus, aliquando etiam hæmoptoë, una cum ſanguinis profluvio atque ulcera naſcebantur. Fœminam quandam, natione Holſatam a calce viva pulmonum calculis laborantem calculos tuſſi & levi hæmoptyſi excreviſſe, ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 16. p. 21.*

§. 20.

Phthiſis. De phthiſi a calculis in pulmonibus generatis agit Richardus Morton. *l. a. p. 137.* Et *p. 141.* hanc hiſtoriam recenſet: Dominus Plucknet, quadrageſimum ætatis annum jam agens, vir robuſtus & athleticus, tuſſi inani & ſicca jamdiu absque ulla inſigni moleſtia aſſueverat, tandem a violenta equitatione & a frigore gravi, pluvia percepto, in horrendos thoracis ſpasmos, dolorum pleuriticorum æmulos incidit, quibus hæmoptoe inſignis & longa ſupervenit; una cum febre & tuſſi perpetuo fere urgenti, donec tandem poſt marcorem ſpatio unius anni in ſtatu phthiſico deplorato conſpiceretur, una cum univerſali colliquatione per cutim, alvum, pulmones reddita. Et pagina ſequenti bina adhuc adducit exempla dictus Morton, utrumque de pharmacopolis Londinenſibus, quorum alter nomine Foſter præter inanem & ſiccam tuſſim, non vero adeo

 mole-

moleſtam optima valetudine per plurimos annos fruebatur, ſubito correptus eſt pulmonum ſpaſmis & diris doloribus inde ortis, circa annum ſcilicet ætatis ſuæ trigeſimum, ut etiam hæmoptoë, a motu lapidum aculeatorum in pulmonum parenchymate facto. A quibus ſymptomatibus intra tres hebdomadas adeo elanguebat & emarceſcebat, ac ſi ſtatim phthiſice periturus eſſet &c. Alter pharmacopola Londinenſis, nomine Smyth, a lapidum motu in parenchymate pulmonum (quorum plures tuſſiendo rejecerat) in hæmoptoën ſæpius revertentem incidit, una cum doloribus ſpaſmodicis; atque inde in phthiſin pulmonarem proclivis eſſe videbatur. A Studioſo quodam phthiſi laborante non modo multi calculi tuſſi rejiciebantur, ſed etiam in ipſius defuncti pulmonibus aliquot centum diverſæ magnitudinis atque in tanta copia apparebant, ac ſi manu ſeminantis injecti fuiſſent, teſte Johanne Friderico Huldenreichio *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 221.*

§. 21.

Tabem & atrophiam quandoque a calculis oriri, confirmant Autores Medici, exempli gratia juxta Joh. Dan. Dorſtenii relationem vidit Argonauta (ſive Joh. Mich. Fehr Academiæ Naturæ Curioſorum Præſes) fœminam elegantiſſimam florentis ætatis, quæ tumore p. n. ſub axilla oborto, eoque inter choreas nuptiales rupto & diſſimulato, negligentiusque habito, in reſpirandi difficultatem primo, paulo vero poſt in tuſſim ferinam incidit, de pondere quodam in pectore latitante continenter conquerens, tophaceam tandem materiam, calci tectoriæ ſeu intritæ ſimilem, (qua in pavimentum cretæ inſtar ſcribere potuit) validiſſima tuſſi rejecit, ſed atrophia funeſta ſenſim invaleſcente brevi exſpiravit, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 63. Schol. p. 153.* In gibba dextra pulmonum adoleſcentis, a fixo pectoris dolore conſumpti, calculum marmoreum *Atrophia, Tabes.*

ſtriatum, ovi columbini, ſpeciem præ ſe ferentem, cum alio in lobis illis prope arteriam aſperam hærente, deprehendit Johannes Baptiſta Contulus. vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1699. menſ. Septembr. pag. 397.* Alvum obſtructam, agrypniam, atrophiam, mœrorem, melancholiam & tabem in juvene, in cujus fellis veſicula aperta viginti duo calculi, piſis & modicis fabis magnitudine reſpondentes, omnes quinque ſeptem, octo aut plurium etiam angulorum reperiebantur, obſervavit Johannes Kentmannus *de Calcul. p. 8.* Virginem quandam, a calculo, ovi gallinacei magnitudine, & circa acum crinalem deglutitam concreto, ad ultimam tabem redactam fuiſſe ſcribit Alexander Benedictus *de Art. medic. Lib. 22. Cap. 36. fol. m. 413.* Ratisbonæ quidam Juris Licentiatus, Juvenis, aliquot per annos diuturna & vehemente tuſſi laborans, denique in atrophiam incidit, poſt multos & viſcoſos ſcreatus tophaceam materiam ejecit, & mortuus eſt, referente Johanne Helwigio *Obſ. med. phyſ. 65. pag. 217.* Vetula quædam vomitum quotidianum poſt prandium & cœnam patiens in atrophiam & maciem incidens tandem mortua eſt; ſecto cadavere pancreas ita durum inventum fuit, ut lapidem æmularetur, juxta Dominic. Panarol. *Pentec. I. Obſ. 44. p. 27.* Et *Pentec. V. Obſ. 19. p. 156.* Meſenterium in quodam juvene, atrophia conſumpto, totum lapidoſum inventum fuiſſe refert. Francofurti ad Viadrum duo fratres contabuere & mortui ſunt; in quorum ſectione reperiebantur lapilli parvi in venis meſaraicis, qui chyli tranſitum impediverant, referente Chriſtophoro Rœslero *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 307. p. 528.* vid. etiam Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. II. Sect. 7. cap. 31. fol. 615.*

§. 22.

Cardialgia. A calculis etiam varia ventriculi oriuntur ſymptomata; de continuo enim ventriculi dolore, tumore, nauſea & in-

appe-

appetentia conqueſta fuerat fœmina, in cujus aperti ventriculi fundo lapilli ſunt inventi, nullo cohærentes vinculo, ſed granorum pomi inſtar ſeſe mutuo complectentes, tam copioſi, ut binas volas manus implerent, teſte Wolffgango Hœfero *Hercul. medic. Lib. III. cap. 1. p. m. 169.* Vir nonagenarius paucis ante mortem diebus acerbum dolorem circa ventriculum percipiebat, in cujus, poſt obitum diſſecti, fundo calculus nucis avellanæ magnitudine repertus eſt, ſecundum Obſervationem Simonis Schultzii *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 86. p. 142.* In æramentorum fuſore quinquagenario, qui de capitis & ventriculi doloribus, inappetentia, febrique continuis conqueſtus fuerat, laterem quaſi perdurum & excoctum in ventriculi fundo prope pylorum obſervavit Johannes Contulus, Medicus Bononienſis. vid. *Act. Eruditor. Lipſ. An. 1699. menſ. Septembr. p. 397.*

§. 23.

Vomitum quotidianum poſt prandium & cœnam vetulam quandam perpeſſam eſſe, cujus ſecti cadaveris pancreas ita induratum fuit, ut lapidem æmularetur, paulo ante ex Dominico Panarolo adduximus, qui Autor *p. 27.* vomitum ob hanc cauſam ortum ſtatuit, quod, cum pancreas ſit ſtomachi pulvinar, ventriculus concoctionem, ob ipſius duritiem celebrare non poterat, ſed indignatum omne quod accipiebat, vomebat. Puella quædam, poſtquam diu dolore ventriculi vexata fuerat, tandem lapides duos, fabæ magnitudinis & formæ fere, una cum aliis cibis evomuit brevique convaluit, vid. Guilh. Fabric. Hildan. *Obſerv. Chirurg. Cent. VI. Obſ. 22. fol. m. 521.* In arthritico quinquagenario multos lapides albos poſt diros ſtomachi cruciatus mediante vomitu excretos ſe vidiſſe ſcribit Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 30. p. 39.* Poſt diuturnos ventriculi dolores, anxietates, inappetentiam, tandem vomitivi uſu ſutoris cujusdam uxorem duos cal- *Vomitus.*

 culos,

culos, amygdalæ magnitudinem, figuram & colorem repræſentantes ejeciſſe, ex eoque tempore ab omnibus moleſtiis liberatam fuiſſe, refert Johannes Jacobus Dobrzensky *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 181. p. 278.* Et ibidem in Scholio annectit Philippus Jacobus Sachſius, in triremi mancipium quoddam lapidem magnum, duriſſimum, oblongum, per vomitum excuſſiſſe, & ab omnibus cruciatibus & ſtomachi doloribus liberatum fuiſſe. De vomitu ob pylorum gypſea materia intus & extus obductum ſequentem Obſervationem refert Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. 1. Febr. Obſ. 3. p. 46.* Domino le Jay, in Curia Pariſienſi Juriſconſulto ob aſſiduam nimis & vehementem negotiorum tractationem, temperamentumque ejus melancholicorum, inſignis obtigit humorum conturbatio, quam non modo anorexia ſequuta eſt, ſed & præterea nauſeæ frequentes comites fuere, toto fere trimeſtri moleſtæ, irritis omnibus remediis. Invaletudinis pertinacia omni robore ægrum ſpoliavit, exactisque in inſigni languore quatuor aut quinque menſibus, quicquid alimentorum & remediorum ingeſtum eſt, vomitu excluſit, præter pauculum potum, ea copia, qua aſſumptum, non redditum. Fatis demum ceſſit annum ætatis agens triceſimum quintum; In cujus cadavere tota pylori circumferentia exterius materia dura, gypſea, digiti transverſi craſſitiem excedente, ad medium fere usque duodenum protenſa, corticis inſtar durioris, adhærens reperta fuit. Aperta dein illa ipſa pars interius ſimili materia obducta & incruſtata apparuit, cavitatem ejus adeo occupante, ut vix ſtylo tenui pervia eſſet, quæ porro ad fundum usque ventriculi pertingebat, in quo ejusdem materiæ, minus autem duræ & craſſæ, portio quædam deprehenſa.

§. 24.

§. 24.

Lapidem ad ovi gallinacei magnitudinem Comitis Marci Taurelli ſcribam in colico dolore excreviſſe, ait Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirabil. Lib. IV. cap. 30. p. 525.* Colicam diuturnam & exquiſitam calculorum ducentorum & triginta trium per alvum excretione finitam ſopitamque legimus in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Obſ. 47. fol. m. 236. ſeq.* Ab Excell. Frizimelica colico dolori obnoxio calculum ad ovi gallinacei magnitudinem excretum ſe vidiſſe teſtatur Hieronymus Capivaccius *Pract. medic. Lib. III. cap. 13. p. m. 601.* Mariottus Palla, pharmacopola, poſt vehementes inteſtinorum cruciatus lapidem inſtar ovi columbini alvo projecit, juxta Anton. Beniven. *de Abdit. morb. cauſ. cap. 19. pag. 167.* Materiam tophaceam & calculoſam ſæpiſſime per alvum reddidiſſe Matronam quandam, diu colico dolore intenſiſſimo vexatam ex Benedicti Sylvatici ore refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. III. Hiſtor. 75. p. 151.* Mulier quædam Anno 1678. poſt lancinantes dolores, a quorum atrocitate diſrupturum anum pertimeſceret, tandem calculum, valido conatu, divaricatis cruribus ſtando deponebat, unciam unam & drachmas duas ponderantem, juxta Obſervationem Lucæ Schrœckii *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 90. pag. 234. ſeq.* Mulier quædam valetudinaria colicis ſubinde doloribus laborabat iisdemque torquebatur graviſſime, tandem poſt multa remedia præter expectationem dejecit pilam vel tophum potius non admodum gravem, magnitudine majorem paulo columbæ ovo, a cujus rejectione paulatim deſiit dolor, priſtinaque rediit valetudo. vid. Joh. Wier. *Oper. Lib. IV. cap. 16. p. m. 317.* Deſperatæ valetudinis ſenem pluribus annis poſt modica corporis exercitia atroci inteſtinorum dolore cruciatum & variis ad colicam facientibus remediis defatigatum, Nicolaus Guilielmus Be- *Colica.*

ckers

ckers colica non humorali neque flatulenta, aſt pſeudo-colica, a calculis anfractibus inteſtinorum inhærentibus, laborare conjecturatus, emulſione therebinthinata cum decocto Foreſti parata & ſucco citri acuata, ac clyſteribus ex Sagapeno & Bdellio in decocto emolliente diſſolutis, quatuordecim avellanam mediocrem adæquantes, muco viſcoſo oblinitos eliminavit calculos, bonumque ſenem a diris cruciatibus liberavit. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 20. p. 118.* Inquit etiam Petrus Salius Diverſus *Annotat. in Donat. ab Altomar Cap. 79. p. 497.* ſe noviſſe hominem a colico dolore adeo excruciatum, cum nullo remediorum genere leniretur dolor, ut prope mortem exſpiraturus eſſet, niſi ſponte excretus lapis morbum ſolviſſet.

§. 25.

Diarrhœa. Exemplum diarrhœæ a calculo inteſtinali ortæ recenſet Amatus Luſitanus *de Prax. Medic. admirab. Lib. III. cap. 133. fol. m. 138.* ex Epiſtola alius Medici, quendam ſcilicet ægrum habuiſſe diarrhœam diuturnam, quæ cum multis diu applicitis auxiliis non cederet, tandem omnino curata eſt, excreto lapide quodam & tenui, qui unguem digiti pollicis repræſentabat, quo expulſo æger conclamatus a fluxu evaſit.

§. 26.

Icterus. Icterum a calculis bilis ſæpius dependere teſtantur exempla & Autores. Inquit enim Georgius Baglivus *de Bilis Natur. Tract. de Fibr. motric. p. m. 213. ſeq.* in omnibus icteris, etiam illis, qui vitio duntaxat ſolidi oriuntur, criſpatura nempe, irritationeque ductuum biliferorum a doloribus ventris frequenter producta, ſupponendum ſemper, vel bilis ſecretionem læſam in hepate adeſſe, vel ibidem curſum ejus impeditum. Quare ſæpe contingit, ut, ſi diuturni fuerint, ex indebita bilis mora in ſuis locis, calculi veſicæ felleæ naſcantur: quandoque vero hujusmodi

calculi

calculi icteros longos & incurabiles gignunt: ſanari enim ſolent, ſed paulo poſt recidivant, quare cum icteros vides pertinaces, vel ſanatos, vel recidivantes, pro certo habeto, eos a calculo veſicæ felleæ progigni, ac proinde incurabiles prædicito, quod cadaverum ſectiones te docebunt. Quod etiam confirmare poſſum obſervatione, quam in Præſule quodam feci. Hic per annos aliquot ante mortem facie nonnihil pallido-citrinus erat, potiſſimum in albo oculorum. In defuncti autem veſica fellis duo erant calculi, alter magnitudine ovi columbini, alter vero paulo minor. Imperatoris Leopoldi Protho-Medicus nomine Rumoldus van der Borcht, poſtquam annos quamplurimos atrociſſimo dolore iſchiatico cruciatus, aſthmate & orthopnœa, ut non niſi erecta cervice ſpirare poſſet, defatigatus, ætatis anno ſexageſimo quarto, auriginoſo corripitur morbo, quorum morborum vehementia fatis ceſſit; cadavere exenterato, ſeptuaginta duo lapilli coloris flavo-ſubnigri, fabarum minorum ac piſorum magnitudinem adæquantes in veſica fellea, ac poris cholidochis reperti fuerunt, teſte Nicolao Guilielmo Beckers *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 44. p. 134. ſeq.* Item Anno 1662. Baroniſſa Przehorzuckiana in Bohemia a longo tempore de tumore & duritie dextri hypochondrii conquerebatur, tandemque ictero correpta intra aliquot dies fato ceſſit. Aperto cadavere hepar ipſius repertum eſt magnitudinis inſolitæ, pondere æquantis circiter duodecim libras. Quod diſciſſum durum, flavum & hinc inde calculis flavis reſperſum oculis pateſcebat. Dum ad veſiculam fellis perventum eſſet, eadem humore bilioſo vacua, ſed loco ejus flavis arenulis onuſta deprehenſa eſt, inter quas eminebant calculi duo rotundi, flavi, ſcabroſi, glandem ſclopeti fere æquantes; præter hos paulo minoris rotunditatis calculus meatum hepaticum ad veſiculam felleam tam arcte &

ſcabroſe obſidebat, ut diſciſſo meatu difficulter erui poſſet, uti *l. a. Obſ. 129. pag. 288.* refert Johannes Jacobus Dobrzensky. Diſputationem ſeu ſcrutinium Icteri ex calculis veſiculæ fellis, occaſione caſus cujusdam ſingularis habuit Andreas Petermannus *Lipſ. 1696.* Incredibilis magnitudinis calculum ex veſica fellea cum vitæ diſcrimine in pertinaci ictero per alvum excreviſſe Generoſum Baronem, refert Thomas Mermannus *Conſultat. medic. Lib. IV. Conſult. 10. fol. 260.* Celſiſſima Princeps quinquaginta trium circiter annorum ſenſit inexplicabiles dolores ventriculi, tales quidem, ut præ nimiis anguſtiis ſeſe morituram diceret. His adjungebatur icterus graviſſimus cum dolore dextri hypochondrii; cum urina ruberrima & excrementis argillaceis. Ipſa autem Princeps ultra centum grandines flavas inſtar nucis avellanæ per ſeceſſum excrevit, & deſuper optime habuit, referente Johanne Ferdinando Hertod. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 99. pag. 102.*

§. 27.

Febris Febris lentæ ſedem meſenterii glandulas materia argillacea impletas in enecatis ab hac febre, & diſſectis cadaveribus, anatomicam detegere experientiam, ſcribit Pompejus Sacchus *Nov. Method. febr. curand. Sect. II. cap. 3. p. m. 90.* Puella quædam Colonienſis circa undecimum annum ætatis, primo in febrim ephemeram, mox in hecticam incidit. Hinc cum ſpatio trium menſium doloribus totius corporis, ariditate lingvæ, tuſſicula, degluetiendi, reſpirandi atque loquendi difficultate, ſudoribus frequentibus, præcipue noctu imo & dormiendo vexata eſſet, tandem plane extenuata obiit. Aperto cadavere, meſenterium ſcirrhoſum, & hinc materia gypſea refertum erat. Hepar mediante materia gypſea tam tenaciter diaphragmati adnatum erat, ut vix avelli poſſet. Item

circa

circa venam cavam moles materiæ hujus gypſeæ, ad magnitudinem pugni tenaciter adhæreſcebat, ramosque comprimebat. &c. vid. Guilhelm. Fabric. Hild. *Obſervat. Chirurg. Cent. II. Obſervat. 44. fol. m. 117.*

§. 28.

De ſalivatione a calculo orta vir quidam, cui calculus ſub lingua erat excifus, oretenus retulit, quod calculus iſte a frigore generari cœperit. Circa ſeptimum & octavum annum frequenter ac repente omnes glandulæ oris & faucium intumuerunt, qui tamen tumor ab aſſumpta cereviſia aut cibo brevi iterum evaneſcebat. Tandem dictus vir vertigine repentina correptus eſt a primo vere ad auguſtum, circiter durante, quo menſe ſine ulla prævia cauſa locus, ubi lapis condebatur, deſubito intumuit, cœpitque profluere materia purulenta ex ductu Whartoniano; qui fluxus tamen ſtatim ceſſavit (viro nil niſi frigus incuſante) unde tumor cum inſigni inflammatione & ſummo ſuffocationis periculo, ut vix credi poſſet, quantum dolorem perceperit patiens, cum cereviſiam vel alium liquorem vellet deglutire. Hæ anguſtiæ durarunt quinque dies, quo toto tempore tanta ſaliva profluxit, ut caput reclinare non poſſet, quo dormiret, usque adeo ut amici, ægrum viſitantes inter ſe quæſiverint, numne medicamento quodam mercuriali uſus fuiſſet? Primo die ſaliva tenuis erat & inſtar aquæ limpidæ, ſine ullis bullis; ſecundo die erat ſpumoſa, ſalſa; tertio die ſummopere lenteſcebat &c. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſervat. 1. Schol. p. 2. ſeq.* *Salivatio.*

§. 29.

De fluore uterino ita ſcribit Fredericus Ruyſchius *Theſaur. anat. II. p. 82.* Quantumvis inter Medicos reperiantur, qui aſſentire nolint, calculum per alvum excerni, veritati tamen conſentaneum eſſe, nullus dubito, quandoquidem *Fluor uterinus*

Iii 2 expertus

expertus ſum, mulierem judaicam, inter cœtera mala, ſcilicet fluore uterino, colica ſtomachi &c. laborantem, poſt uſum hauſti purgantis, a Medico Rocamora præſcripti, calculum per alvum rejeciſſe ingentem, quem mihi demonſtrarunt patientis maritus & conſanguinei.

§. 30.

Urinæ ſuppreſſio Piſtor quidam per biennium vexatus moleſtia inter mingendum, ac ſi valvula circa veſicæ ſphincterem urinæ fluxus inhiberetur. Porro cruenta excernebatur urina, corpus ubi exercitio commotum eſſet. Poſt varia incaſſum præſcripta medicamenta tandem a decocto foliorum biſmalvæ cum ſucco glycyrrhizæ edulcorato, brevi poſtea per meatum urinarium excrevit calculum angulis acutis & ſinu aſperum, obſervante Antonio de Heide *Obſ. 25. p. 90.* Ibidem etiam dictus Autor *Obſ. 24.* urinæ ſuppreſſionem lethalem recenſet de Muliere viginti quatuor annorum anheloſa & ictero nigro affecta, quæ inſuper adeo corripiebatur dolore nephritico, ut ſabulum, quin & calculos periodice excerneret. Medicamen a quodam Medico magnopere laudatum dolorem quidem ſedabat, & ægram ſomnolentam reddebat, ſed gravius malum ſcilicet urinæ ſuppreſſio ſuccedit, qua nullis medicaminibus auſcultante intra diem unum vel alterum ægra conficitur. Uri-*Iſchuria* næ ſuppreſſionem a calculo in orificio penis, urinam reprimente annotavit Daniel Wincklerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 36. p. 70.* ſcilicet laborabat boni parentis filiolus, octo circiter annorum, variolis, conquerebatur de obſtructione urinæ, de cauſa eramus ſoliciti; Puer ejulare, de dolore ex retentione conqueri; videmus in extrema parte penis variolam, de interna idem cogitamus. Tandem ipſum penem inſpiciens Wincklerus, videt quid albi in orificio, exiſtimat eſſe variolam pure plenam, acum accipit, tentaturus, quid ſit? durum offendit, movet, motum-

que

que eximit, lapillus eſt. Exempto lapillo profluit urina, & æger puer recuperatis viribus ſanus evadit. Sequentem Obſervationem annotavit Johannes Auguſtus Hünerwolffius *l. a. Dec. II. An. 7. Obſ. 88. p. 150.* Præco quidam verbi divini, Johannes Wigleben, ſat diu calculo renum gravatus, tandem octiduanam experitur iſchuriam cum variis ſymptomatibus. Vocatus ad hunc, omnem locavi operam clyſteribus, diureticis blandis, & fortioribus lithontripticis &c. quorum uſu tandem urina turbulenta ad libras duas una vice fuit excreta & ſucceſſive major copia, cum inſigni allevatione. Cum autem boni dies præteriiſſent octo, ſecuta eſt nova & totalis urinæ ſuppreſſio per dies totidem durans, cum vomitibus crebris, cordis palpitatione & ſuffocatione lethali. Aperto cadavere, inter alia, ren ſiniſter ſolito major & pallidior erat, inque ejus parenchymate & cavitate latitabant calculi rotundi, angulares, duri & frangibiles, albi & ruffi, cum multo ſabulo & muco. In dextro rene diſſecto ſilices duri, teretes, triangulares, orbiculares, piſis majores offendebantur, quos continebant pelvis, & ipſum parenchyma renis. Unus vero notabilis, craſſitie pollicis, orificio ureteris veluti clavus major capitatus, unciam unam, ſemis cum drachma una & ſcrupulo ſemis pendens, ita fuit infixus, & ab eodem ſuperfuſo ſabulo copioſo obturatus meatus, ut nihil ſeri urinarii tranſire potuerit. De piſtore dulciario equidem calculus pugni craſſitiem habens novemque uncias pendens feliciſſime equidem incolumi ægro revulſus fuit, qui tamen piſtor non multum temporis poſt, ex urinæ ſuppreſſione, per obſtructionem ab exiguis duobus aliis calculis, qui e renibus in veſicam deſcenſuri, in media ureterum via ſubſtiterant, interiiſſe legitur apud Ambroſ. Paræum *Oper. Lib. 24. cap. 10. fol. 567.* Urinæ tranſitum renis calculo per ſedecim dies obſtructum, Anno 1661. in Mauri-

cio Gerardi Boſchvli & moderatæ vitæ homine, ac ſeptuagenario obſervavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. var. Cent. I. Obſ. 51. p. 217.* Anno 1682. Chirurgus quidam Amſtelodamenſis, qui a longo tempore nephriticus multos calculos excreverat, demum in iſchuriam ſpuriam incidens & vehementiſſimis ventris crurumque doloribus & vomitu materiæ nigricantis correptus, vitam tandem cum morte commutavit. In aperto cadavere reperit Fredericus Ruyſchius, præter duos calculos in rene dextro, unum in uretere ſiniſtro, magnitudine & forma olivæ exiguæ, cujus ſuperficies innumerabilibus calculis & arenulis obſeſſa erat, qui omnem tranſitum urinæ denegarunt, uti *Obſ. 15. p. 21.* recenſet. Meminit etiam Philippus Hœchſtetterus *Obſ. medic. Decad. VI. Caſ. 1. Schol. p. 677.* Monetarii cujusdam, qui ob urinæ, vacua veſica, ſuppreſſionem mortuus erat hujus viſcera in ſectione reperta ſunt integra, absque ulla labe, in uretere vero lateris dextri calculus, & in renis ſiniſtri cavitate duo minores hæſerunt. In Muſico quodam iſchuria defuncto tota diſſecti renis cavitas ſabulo rubeſcente conſperſa erat, aſt ipſi ureteris pelvi calculus, figura corculum referens, & magnitudine avellanam, pondere autem undecim grana non excedens, cum ſocio multo minori, & gravitate ſua quatuor tantum grana æquante inſertus fuit, ſeri deſcenſum in ureterem prohibens, teſte Georgio Segero *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 23. p. 39. ſeqq.* Puella octo annorum per longum tempus varie ſtranguria vexata tandem totalem urinæ patiebatur obſtructionem, die ſeptimo vitam cum morte commutabat. In hujus ſectione ren dexter, ubi pelvis incipit, penitus incruſtatus & quaſi lapideus conſpiciebatur, tactu durus & materia calculoſa circumcirca ita coaluerat, ac ſi gypſea materia fuiſſet illitus, via autem ad pelvim emulgens ſuperne ſic compreſſa, ut ne guttula ſeri per eandem

potuiſſet

potuiſſet transſudare. Siniſter ren quidem a tali labe immunis, ſed ureter totus erat obſtructus materia arenoſa rubicunda ſatis diſtentus, obſervante Andrea Cnœffelio *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 64. p. 54.* Mulier quædam triginta ſex annorum iſchuriam per decem dies perpeſſa poſt varia medicamenta diuretica, in principio undecimi ſubito ex rene ſiniſtro excernit ſat notabilem calculum foras per veſicam ſine ullo dolore, & ſubito ingens copia urinæ excreta cum materia viſcida, lenta, tenaci & calcoſa tartarea; poſt duodecim horas ex dextro rene, ægra ipſa ſentiente curſum, per ureterem in veſicam exſilit alter lapis cum ingenti copia urinæ jam deſcriptæ, evaneſcente ſubito dolore illo tenſivo & gravativo, qui in renum intervallo in regione lumborum & ſpina dorſi ſentiebatur; ab illo tempore pancratice valet, juxta relationem Friderici Ferdinandi Illmeri a Wartenberg *l. a. An. 3. Obſ. 39. p. 63. 65.* Mercatoris & Oenopolæ Warſavienſis, nomine Kreken, filiola, annorum quinque, urinæ partim ſuppreſſione labefactata, partim omnimoda veſicæ compreſſione tandem cum gravi dolore & ſui & parentum moritur. Facta poſt mortem per lithotomum ſectione, in veſica præter ſpatium nihil inveniunt, ſed ipſam uteri cavitatem diſtentam & in ea lapidem album oblongum aliquo modo ſpongioſum, ſed tamen gravem, formam ovi columbini pauliſper excedentem, conſpiciunt, qui veſicam urinariam compreſſit, ut nulla urina permeare potuerit. Interdum etiam lapilli in extremo balani ſubſiſtentes urinæ obſtructionem cauſantur, niſi inſtrumento chirurgico ex urethra extrahantur, vel glandis foramen per inciſionem patentius reddatur, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 5. p. 13. ſeq.* De urinæ ſuppreſſione ex calculo veſiculæ bilis ita ſcribit Franciſcus Oswaldus Grembs *Arbor. integr. & ruinoſ. Homin. Lib. II. Cap. 1. §. 7. n. 38. p. 227.* Novi Virum Illuſtrem, qui

qui ex ſuppreſſione urinæ vitam cum morte commutavit. Adſtantes Medici cauſam ſuppreſſionis vel in calculum, vel in mucorum copiam obſtruentem unanimiter referebant. Secto cadavere, me præſente, nihil lapidis, nihil muci obſtruentis in ureteribus inventum, in renibus autem etiam nihil præter paucas arenulas & parvos nonnullos; lapillos in veſica autem fellea aliquot lapides majores pondere unciarum duarum, inventi ſunt, de reliquo nihil fellis in conſpectum venit; unde potius hic patiens ex fellis defectu mortuus eſt, propter quem ſuppreſſio facta eſt, nempe cum aciditates irrepſerint intra renes, quas ut elueret pertinacem ſeram induebant, quemadmodum in hydrope, ex hinc ſuppreſſio urinæ inducta fuit. Hæc Grembs.

§. 31.

Menſium ſuppreſſio. Menſium ſuppreſſionem a calculo in utero annotavit Nicolaus Fontanus *de Morb. Mulier. Lib. II. cap. 20. p. m. 94.* lapidem ſcilicet in tantam molem auctum, ut uteri capacitatem prorſus impleret, menſes omnino interciperet, & ulcera cacoethica concitaret, ſe vidiſſe referens.

§. 32.

Sterilitas. Sterilitatem ab omento lapidoſo derivat Dominicus Panarolus *Pentecoſt. III. Obſ. 10. p. 68.* inquiens: Multæ ſunt ſterilitatis cauſæ in muliere, de quibus fere omnes medici, tum antiqui, tum recentiores ſcripſere; unam tamen obſervavi, a nullo editam in lucem, videlicet duritiem maximam omenti, a quo uterus tactus diſtendi non poterat & ſic genituram projiciebat. In reliquis vero iſta mulier bene colorata erat, & optima fruebatur valetudine: hoc tamen habebat, ut omentum undique ſatis craſſum, durum ac fere lapidoſum uterum premeret, ut tangendo ipſius abdomen obſervavi, ex quo ſterilitas orta fuerat. Retulit etiam Celeberrimus Theodorus de Mayerne, Eques

Eques Auratus, ſe in cadaveris humani diſſectione, quam ſuis manibus fecerat Lutetiæ, inſolitam ſibi & inauditam oblatam fuiſſe ſterilitatis cauſam, calculum videlicet exactiſſime meatum illum claudentem, qui a proſtatis in urethram dehiſcit, per quem e vaſis varicoſis ſemen vibrante ejaculatione expellitur. vid. Chriſtian. Frider. Garmann. *de Miracul. mort. Lib. III. Tit. 3. §. 78. p. 1112.*

§. 33.

Cadaver fœminæ cujusdam, miſere per annum decumbentis, &, ut vulgo ferebatur, incantatæ aperuit Johannes Baptiſta Lamzwerdt, in quo invenit ſacculum plenum calculis & arenulis inter duplicaturam peritonæi, circa ejus glandulam enatum lumbaribus muſculis annexum: Major ex illis pendebat libram unam & uncias quatuor. Tumor tantus erat in abdomine, ut fœmina iſta ſe primo gravidam, ut & poſtea ejus Medicus fœtum in utero latentem putaret, ſed culter anatomicus veritatem detexit, uti ex ipſius Lamzweerde communicatione refert Johannes Theodorus Mœren *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 128. p. 251. ſeq.* *Tumor abdominis.*

§. 34.

Alvi obſtructionem in juvene quodam Harlemenſi obſervavit Nicolaus Tulpius *Obſerv. Lib. III. cap. 2. p. 193. ſeq.* cui ſcilicet a duobus calculis inſignibus, in veſica latitantibus inteſtinum rectum eo usque deprimebatur, ut coarctatum produxerit plurima membranoſa filamenta, intertexentia tam arcte interiorem ipſius fiſtulam, ut nihil excrementorum potuerit amplius transmittere. Calculum magnum inter rectum inteſtinum & collum veſicæ repertum inter cauſas obſtructionis alvi refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. fol. 589.* *Alvi obſtructio.*

§. 35.

Salacitas. Calculum etiam ad venerem, ſatyriaſin ſive ſalacitatem conferre, docet Paulus Zacchias *Quæſt. medico-legal. Lib. III. Tit. 1. Quæſt. 4. n. 8. fol. m. 271.* inquiens, nonnulli ex morbis ſunt, qui hominem proniorem & potentiorem ad venerem faciunt: omiſſis enim pro nunc ſatyriaſi & priapiſmo, paſſionibus nempe, in quibus homo effrænato, licet involuntario, coitus deſiderio flagrat, alii morbi ſunt, qui genitales partes calefacientes hominem ad venerem proritant, uti eſt calculus renum aut veſicæ; vidi enim tales laborantes, dum adhuc ſummis doloribus cruciarentur, in venerem accendi, quanquam in his morbis tentigo fiat involuntaria. Huc etiam pertinere videtur exemplum Viri cujusdam Pariſienſis, qui poſt primum matrimonium ſatis fœcundum, propemodum ſexagenarius ad ſecundas convolavit nuptias; quod tamen inſtitutum infelix ſucceſſus excipiebat. Etſi enim libidinis æſtu continuo impelleretur ac ſæpe rigida erectio illius comes eſſet, coitus tamen ſemper imperfectus fuit illius culpa, nec enim ejaculatio unquam conſequuta eſt, quapropter fruſtra adhibitis conatibus, quo votis potiretur, fracta tamen naturali & univerſali corporis œconomia, in morbum incidit brevi funeſtum, decimo octavo menſe a poſtremis nuptiis. In hujus diſſecto cadavere, deprehendit chirurgus glandulam, verumontanam dictam, adeo tumefactam & induratam, ut molem exiguæ nucis juglandis æquaret, ideoque ſemini tranſitum omnino præcluderet. Hoc præterea admiratione dignum, quod materia ſpermatica cohibita in vaſis, ibi in lapidem obduruerit, adeo ut vaſa ejaculantia lapidibus duriſſimis ſcaterent, plerisque fere rotundis, magnitudinis prope & formæ piſorum, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. II. menſ. Mart. Obſ. 4. p. 74.* Novit etiam Vitus Riedlinus Virum quendam, qui, utut

ſæpius

ſæpius doloribus calculi horrendis divexatus fuerit, tantum non ſingulis annis tamen liberos procrearit. v. Riedlin. *Millenar. Curar. med. Obſ. 452. pag. 272.* ſimul tamen ibidem etiam calculoſi impotentis exemplum adducit de Viro ſexagenario, in cujus veſica lithotomus calculum non parvum latitare poſt explorationem affirmabat, unde etiam de dolorifica mictione conquerebatur. Hic ex illo dolorificæ urinæ redditionis tempore per integrum biennium ſicuti veneris ſtimulos nunquam ſenſiſſe, ita rem cum uxore habere non potuiſſe dicto Riedlino faſſus eſt. An vero talis impotentia ſoli calculo veſicæ, an ſimul appropinquanti ſenio tribuendum ſit, non adeo certum.

§. 36.

Scirrhum veſicæ ex calculo annotavit Adamus Brendelius *Obſerv. anat. Dec. II. Obſ. 9. pag. 26. ſeq.* ſcilicet juvenis quidam, circiter viginti duos vel tres annos natus, ab ineunte ætate de dolore veſicæ, difficili mictione, involuntaria interdum urinæ retentione, ac vehementiſſima hypogaſtrii tenſione & preſſione conqueſtus, levamentum in variis remediis quidem quærit, ſed nullum invenit; demum poſt atrociſſimos perpeſſos dolores indeque conſumptas vires exanimatus eſt. Poſt mortem cadaver incidit Brendelius, & calculum magnum aſperumque invenit, cum quo veſica undiquaque tam arcte concreverat, ut vix aliquot tranſeuntis urinæ guttis via patuerit. Ipſa veſica craſſa ac ſcirrhoſa erat, cujus vaſa, ſigillatim venoſa, ſanguine tumida liveſcebant, in quibus polypoſæ concretiones hærebant. *Scirrhus veſicæ.*

§. 37.

Horrendum veſicæ a calculo conſumptæ exemplum recenſet Nicolaus Tulpius *Obſerv. medic. Lib. III. Cap. 2. p. 191. ſeqq.* de juvene quodam Harlemenſi, miſerandum certe in modum excarnificato a duobus calculis in veſica *Veſica conſumptio.*

urinaria clanculum latitantibus. Quippe ita abſorpſerat illos frequens veſicæ mucus, ut nequiverint eos digitis explorare, nedum ferro convenienter exſcindere lithotomi. Unde factum, ut continuo ſuo attritu non modo abraſerint, verum integre conſumpſerint membraneas veſicæ tunicas; illæſo ſolummodo vel potius aliquatenus adhuc ſuperſtite muſculoſo ipſius collo. Quod cum non foret continendo lotio, diffudit ſe illud neceſſario per vicina inteſtina, excitans illic ut dolorem acrem, ſic continuam mejendi difficultatem & exitialem nervorum contractionem, ſive ob exquiſitum inteſtinorum ſenſum, ſive inſignem retentæ urinæ acrimoniam, quæ certe tam acerbe pupugit laceras ulceratæ veſicæ oras, & accenſas vicinarum partium tunicas, uti quoque lumborum nervos, ut præ inſuperabili doloris cruciatu contraxerit non tantum extremam maciem, ſed oppetierit quoque miſerrimam mortem. Qua tamen priusquam defungeretur, coactus fuit integrum annum ſedendo tranſigere, & non heri atque hodie, ſed continenter caput ita ſublime habere, ut nunquam id licuerit ipſi in pulvinar reclinare, quin dictum ac factum diſtraherentur vel omnes, vel certe illi nervi, qui aut caput verſus ſcapulas trahunt, aut rectam & immobilem reddunt cervicem, &c. Matrona quædam calculo affecta ante obitum e meatu urinario rejecit, membranam craſſam atque latam, materia ſabuloſa refertam, quæ, uti poſtea e cadaveris diſſectione conſtabat, fuit pars tunicæ interioris veſicæ, a calculis itidem incluſis attrita & diſrupta. vid. Thom. Williſ. *de Urin. Cap. V. p. m. 235.*

§. 38.

Perforatio veſicæ. Interdum etiam calculi veſicam perforant ſicque excernendæ urinæ vel per perinæum vel per ſcrotum & alias vias tranſitum parant fiſtulasque nonnunquam relinquunt. Puer enim in Batavia duodecim annis major dolore veſicæ pon-

ponderoſo, at ſine ſuſpicione calculi, diu laborabat, tandem auctis inſperato circa perinæum doloribus tumor ſeſe prodere cœpit, jamjam, ut videbatur, in ulcus abiturus: itaque naturæ per emplaſtra & linimenta a chirurgis ſuccurritur; at nihil proficiente labore, ſepoſita tantillum remediorum cura, ſua tandem ſponte tumor ad ulcus ſpectabat. Cum vero certo piſis in cœnam appoſitis largius indulſiſſet venterque gravaretur, poſt ſex inde horas pruriginem ſenſit in perinæo intolerabilem; quam ut domaret digitos ungvesque admovit, qui cum forte graves incumberent parti jam emollitæ, nonnihil etiam lacerarent, rebellem hactenus tumorem oportune ſolvunt. Mox poſt puris effluxum ſequuntur fugientem manum globuli quidam, numero circiter viginti; quos ut puer manu excepit, credidit, ob figuræ ſimilitudinem, piſa eſſe, quæ antea comederat; ſed revera calculi erant piſa exacte referentes. vid. Joh. Nicol. Pechlin. *Obſervat. phyſic. medicin. Lib. I. Obſerv. 7. pag. 14.* De lapide ex ſcroto pueri prorumpente caſum refert Jacobus Zæmannus in Thom. Bartholin. *Act. Med. Hafn. Vol. III. cap. 6. p. 10. ſeqq.* Anno ſcilicet 1674. puer quidam annorum tredecim aut quatuordecim parentibus obſcuris & egenis natus, poſt intenſos per aliquot dies, infimi ventris, in regione potiſſimum pectinis, dolores ſummamque mingendi difficultatem tandem opem meam implorare cœpit. Cum vero in mentem mihi veniret, quod Garzias ab Horto ſcribit: in urbe Goa Aloën probe tuſam & cum lacte mixtam iis propinari, qui ulcere renum aut veſicæ laborant, vel qui purulentas excernunt urinas, & ægros illico curari. E veſtigio igitur huic drachmas quatuor Aloës tuſæ pro quatuor doſibus e lacte dulci ſumendis præſcribo. Hinc poſt paucos dies mulier ab ægri matre miſſa calculum, avellanæ longiuſculæ magnitudine afferebat, quem pridie, ægro per

 ſcro-

ſcrotum excidiſſe affirmabat. Vir quidam Heidelbergenſis, quadragenarius, ſtranguria & difficultate inter mingendum cum maximo cruciatu ventris, laborare cœpit, ſine ulla cauſa externa. Tales dolores cum in duodecimum annum perſeveraſſent, & magis magisque adaucti fuiſſent, tandem plane ſubſtitit urina, nec amplius per penem effluxit, ſed hinc inde per ſcrotum & e regione pubis ulcera fiſtuloſa ſibi efformavit, per quæ ab eo tempore urina ſine inſigni moleſtia & dolore effluxit. Tandem calculus in conſpectum venit, qui poſt aliquot dies a Martino Wirzio extractus fuit, octo drachmarum pondus excedens. vid. Guill. Fabric. Hild. *Obſ. Chir. Cent. VI. Obſ. 57. fol. m. 571. ſeq.* Plures ejusmodi obſervationes jam ſupra *Cap. II. §. 44.* adduximus. Calculum in muſæo ſuo ſervavit Johannes Laurentius Bauſchius & quidem Johannis Hartmanni Carpentarii, qui per viginti continuos annos inſignes perpeſſus erat dolores. Tandem tamen ſub ſcroto, non procul a loco, ubi alias ſectio fieri ſolet, facto foramine, ſponte calculus prorupit. Ex eo foramine poſtea, labiis vulneris callo duratis, urinam, quamdiu vixit, nec ſine moleſtia, reddidit, minima illius parte per ductum urinarium conſvetum profluente. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 5. p. 13.* Anno 1692. Menſe Junio Roſinum Lentilium adibat mendicus viginti quatuor annorum, qui dolorem in ingvine ſiniſtro ſummum per tempus longum paſſus erat. Exulcerato denique loco affecto calculus candidiſſimus, glaber, ſiliceus, exſiliebat, glandis quernæ magnitudine. Ab eo tempore per fiſtuloſum ingvinis ulcus, urina continuo profluebat, in ollulam parvam, eo fini alligatam, ſummo cum dolore, acrimonia & fœtore. vid. Lentilii *Miſcellan. med. pract. Lib. I. p. 261.* De ulcere prope ingvem a calculo, cum remanente fiſtula, per quam lotium excernebatur, tria exempla adducit

Corne-

Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. rarior. Cent. I. Obſ. 90. 91. & 92. pag. 376. ſeqq.*

§. 39.

Occurrunt etiam in aliis partibus ulcera, abſceſſus & fiſtulæ a calculis ibidem latitantibus exorta, v. g. in lumbis. Ex abſceſſu enim in juvenis cujusdam lumbis ſponte aperto duos calculos cum pure egreſſos obſervavit Dominicus Panarolus. vid. *Pentecoſt. V. Obſ. 42. pag. 171.* Talem lumborum a calculo perforationem refert etiam Nicolaus Tulpius *Obſerv. medic. Lib. IV. cap. 27. p. 337.* nimirum Juriſconſultus quidam natus patre calculoſo eidem cruciatui a puero, obnoxius vixit aliquandiu miſere, & tum quidem hoc miſerius, quod calculus a rene per lumbos expulſos reliquerit ibidem ulcus calloſum, profluens perpetim urina ac pure, & quidem fluxu tam perenni ac diuturno, ut nec tempore, nec remediis, nedum aquis Spadanis, aut Thermis Aquisgranenſibus ullam perſentiſceret opem; quin potius, occluſo per lumbos exitu, ac derivato deorſum ſordidiſſimo pure, inciderit tandem in febrem acutiſſimam, quæ ipſum miſerandum in modum occidit. De calculo renali lumbos perforante vid. Jobi a Meekren *Obſervat. medicin. chirurg. cap. 44. pag. m. 183. ſeqq.* Refert etiam Ambroſius Paræus *Oper. Cap. 24. fol. m. 568.* Dalechampium vidiſſe hominem, qui per lumborum abſceſſum, qui in fiſtulam degenerarat, multos e renibus calculos excerneret, nihiloque minus in equo & curru vehi facile ferret. In Muſici etiam cujusdam, qui dolorem nephriticum, præſertim renis ſiniſtri, paſſus erat intenſiſſimum, regione dicti renis puſtulæ eruperunt, ex quibus calculi exprimebantur, illis ſimiles, qui cum urina fuerunt excreti puſtulæ in cruſtam ſcabioſam ardentem degenerarunt; qui tamen dolor remediis adhibitis

Lumborum

adhibitis ceſſit, juxta obſervationem Johannis Matthiæ Mülleri *Ephemer. Acad. N. C. Cent. X. Obſ. 66. p. 375.*

§. 40.

Abſceſſus umbilici. Abſceſſuum quoque in umbilico & aliis abdominis externis partibus, poſt intenſiſſimos quandoque dolores, a calculis ortorum exempla jam ſupra *Cap. II. ʃ. 51. ſeqq.* recenſita, hoc loco non repetenda reperies. Annon autem in interioribus etiam partibus ejusmodi abſceſſus a calculis dependeant, dubitandum non eſt, cum in abſceſſu *Meſenterii* meſenterii tres ingentes calculos, magnitudine amygdalam ſuperantes, ac aſperos, cum aliis minoribus An. 1676. in fœmina triginta annorum obſervavit Georgius Abrahamus Mercklinus, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 50. p. 79.*

§. 41.

In Pede. Ulcus circa pedis malleolum, & claudicationem ab obſtructione renis dextri a lapillo duriori & grandiori, patiebatur Vir frequentibus doloribus nephriticis & renum calculis ſubjectus, ita ut miſerculus per integrum annum ambulandi potentia privatus ſella portari opus haberet. Aſſumpto autem pulvere diuretico-laxativo calculus forma & magnitudine fabæ ſimilis, ſiliceæ duritiei per ureteres ad veſicam & matulam propellebatur, cum ægroti reſtitutione, teſte Adamo a Lebenwald *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 70. p. 162.*

§. 42.

Gangræna. A calculo gangrænam oriri poſſe, ſequens docet obſervatio de Sereniſſima quadam perſona, in qua duo calculi, phaſeoli magnitudine, exquiſitiſſimo partium delicatiſſimarum ſenſu comitante, per meatum urinarium prodierant, tertius vero grandior cæteris, pone glandem hærebat, unde præter dolorem & urinæ ſuppreſſionem ingens

tumor

tumor ſcrotum & totum virile membrum occupabat. Licet autem calculus per medicamenta ad anteriora paulo magis propelleretur, ob magnitudinem tamen neque ſponte, neque forcipe apprehenſus anguſtias eas eluctari poterat, unde nullum reſtabat remedium, quam dictam urethram in principio glandis usque ad lapidem inciſione facta ampliare, ſicque calculo viam facere. Cui autem conſilio cum reſiſteretur, gangræna lethalis ſuperveniebat. vid. Ido Wolff. *Obſerv. Chirurg. medic. Lib. I. Obſ. 48. p. 156. ſeq.* vid. etiam Vit. Riedlin. *Millenar. Obſ. 468. p. m. 281.* De gangræna viduæ calculoſæ partes obſcænas occupante, v. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 92. p. 239.*

§. 43.

Cancrum in labio inferiori a calculis duobus duritie & aſperitate notabilibus, coloris ſubnigricantis, exortum & a chirurgo felici cum ſucceſſu in noſocomio Lugduno-Batavo exſtirpatum αὐτόπτης annotavit Gerardus Blaſius *Obſerv. medic. Part. VI. Obſ. 15. p. 82.* *Cancer.*

§. 44.

Gutturis inflammationem a calculo obſervavit Dioniſius Pomaret, uti in ſequenti hiſtoria recenſet: Sacerdos, inquiens, ſexagenarius ſanguineo temperamento præditus, gutturis inflammatione frequenter corripiebatur, præcipue quoties canendo acrius contenderet. In poſtrema invaſione, cum partem affectam attentius introſpicerem, corpus quoddam extraneum gutturi infixum conſpicio juxta finem mandibulæ dextræ inferioris, globulum ſclopeti referens, quod a me facili negotio extractum eſt & diligenter ablutum, nihil aliud fuit, quam lapis durus & compactus, ad pyri ſylveſtris formam compoſitus, qui cauda ſua muſculis maſſeteribus infixus erat. v. Lazar. River. *Obſerv. communic. p. 353.* Ob lapidem in tonſillarum fau- *Inflammatio gutturis.*

cium abſceſſu concretum continua tuſſi afflictum fuiſſe Canonicum quendam Ratisbonenſem, Nobilem de Sparneck refert Johannes Kentmannus *de Calcul. p. m. 3.*

§. 45.

Dolores Præter dolores, qui a calculis plerumque circa renes, ureteres eorumque in veſicam inſertionem, item circa *In ventriculo.* ſphincterem veſicæ & urethram, ordinarie obſervantur, alii adhuc interdum hinc inde ſentiri ſolent, e. g. de continuo ventriculi dolore conqueſta fuerat fœmina, in cujus aperti poſt mortem ventriculi fundo lapilli inveniebantur, juxta Wolffg. Hœfer. *Hercul. medic. Lib. III. cap. 1. p. m. 169.* Paucis ante mortem diebus acerbum dolorem circa ventriculi regionem perceperat Vir quidam nonagenarius, in cujus poſt obitum diſſecti fundo calculus nucis avellanæ magnitudine reperiebatur, teſte Simone Schulzio *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 86. pag. 142.* Illuſtriſſimus Dominus Euſebius, Comes a Kœnigsegg, optimum vitæ regimen *In pectore.* ſervans ſanusque poſt ſumptum cibum ſemper dolorem pectoris gravativum & permoleſtum accuſabat, cujus cauſa erat calculus decem circumquaque ſtipatum ſatellitibus, adipoſo & viſcoſo involucro, diaphragmati non adnato, ſed libero involutus, poſt mortem repertus, atteſtante Georgio Tobia Dürrio *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 86. p. 129. ſeq.* Cum venatoris cujusdam uxor tempore quodam violenter nimis & incaute corpus extenderet, eo ipſo momento dolorem acerbum, ruptorium quaſi, in hypochondrio ſiniſtro ſentiebat, qui dolor indies angebatur, donec poſt novem annos ex ſede ſua hactenus fixa moveri & transverſim per abdomen, verſus lumbos tendere accurate ſentiebatur; moxque cum magna vehementia dolorisque exacerbatione mulier ſemimortua quaſi lapidem ano egerebat, qui magnitudine pugnum fere æquabat, referente Erneſto Claudero *M. N. C. Dec. II. An. 5.*

Obſervat.

Obſervat. 197. p. 393. ſeq. De calculoſo quodam ſene per viginti continuos annos inſignes dolores perpetiente, tandemque ſub ſcroto, non procul a loco, ubi alias ſectio fieri ſolet, facto foramine, lapidem projiciente, vid. Johann. Laurent. Bauſchii Obſervatio *M. N.C. Dec. II. An. I. Obſ. 5. p. 13.* In ſenio primo conſtituta Monialis quædam non clauſtrata per plures menſes uterinis cruciata doloribus, qui nullo unquam medicamento leniri poterant, tandem ſponte nulloque adminiculante, per pudendum lapidem ſcabroſum, magnitudine & figura ovi anatini ejiciebat, hocque ejecto dolores ceſſabant. juxta Petr. Sal. Diverſi *Annotat. in Donat. Anton. ab Altomar. cap. 12. pag. m. 520.* Honeſtiſſima quædam matrona, quadraginta octo annorum per menſes decem de acerbiſſimo, in infimo ventre conquerebatur dolore, qui nullis cedebat remediis; in hujus autem poſt obitum diſſecto cadavere uterus lapidibus plenus refertus erat, ad numerum triginta duorum, quorum maximi magnitudinem amygdali æquabant. vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. Obſ. 77. p. 148.* Item juxta Hippocr. *de Morb. vulgarib. Lib. V. Sect. 7. fol. m. 240.* Lariſſæ Dyſeridis ancilla juvencula venere utens vehementer doloribus afflicta fuit, alias vero dolorem non ſenſit neque concepit unquam. Cum autem annum ſexageſimum attigiſſet, a largo porri eſu dolores vehementiſſimos, velut ex partu laboraret, exſurgens aſperum quiddam in ore uteri contrectavit; deinde, cum jam animo linqueretur, ab alia muliere, immiſſa manu calculus aſper, fuſi verticillum propemodum æquans, expreſſus eſt. Referre huc etiam liceat exemplum duorum lapidum ingentis magnitudinis in veſica fellis Comitis cujusdam ſeptuagenarii, repertorum; quorum major drachmas quatuordecim, minor vero drachmas quatuor ſolummodo pendebat. Ab his calculis prædictus Comes

In Utero

 a multis

a multis annis, quotieſcumque in lecto ſeſe ex una in alteram partem circumvolveret, pondus magnum, moleſtum & ex una in alteram partem delabens, e regione hepatis percipere poterat, vid. Guilhelm. Fabric. Hildan. *Obſervat. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 44. fol. m. 320.*

§. 46.

Uteri tumor & motus In Comitiſſæ cujusdam a Gleichen, viduæ, quæ tumorem uteri cum motu manifeſto, ceu gravida eſſet, incurrebat, demortuæ utero, plures repertos fuiſſe calculos, refert Gothofredus Mœbius *Phyſiolog. cap. 20. pag. 579.*

Propendentia De uteri propendentia a calculis raram obſervationem annotavit Fredericus Ruyſchius *Obſerv. anat. chir. 1. p. 1. ſeq.* & quidem in octogenaria, præ dolore admodum emaciata, & a viginti annis propendentiam uteri perpeſſa cum intolerabili mingendi difficultate & cruciatibus, ita ut ægra emori maluerit decies, quam hoc diutius perpeti, præſertim poſtremis duobus annis. Tandem, pergit Ruyſchius, menſe Majo Anni 1681. me vocari juſſit, de uteri propendentia & mingendi difficultate conquerens. Mirabar vetulæ quærelas, quoniam nunquam a ſolo uteri prolapſu ita dolere ſolent mulieres, verendumque eſſe adjeci, aliquid mali, præter uteri prolapſum, hactenus in alta nocte latuiſſe. Hiſce auditis, miſera viſum & ulteriorem explorationem (ſine quibus nil certi aſſeverari poterat de abſconditi morbi eſſentia) non renuit, oſtenditque mihi uteri, juſto paulo majoris, prolapſum. Palpitando hunc uterum, calculos ſentire putabam, nec fefellit; quanquam circa calculorum formam deceptus; videbantur enim tenuiores laminæ calculoſæ (belgice Leyen) qui poſt inciſionem reperti ſunt anguloſi & craſſi. Non autem interim certe determinare poteram, utrum locum haberent dicti calculi in ipſa uteri cavitate, an vero inter ejus membranas, vel in aliqua veſicæ portione. Videbantur quidem uteri locum occupare, qui totus quantus e cor-

e corpore propendebat, ſine ulla veſicæ portione. Hiſce viſis & exploratis calculorum exſectionem propoſui. Accerſuntur Magiſtri, Petrus Adriani filius & Andreas Bœckelmannus, de re chirurgica bene meriti, qui eandem quoque Operationem commendabant, proximo die inſtituendam. Operationem in ſequentem diem dilatum iri miſera illa vetula audiens, lamentari cœpit, exclamans, o! me miſeram, non reverſuri eſtis, relinquetis me &c. Quibus querelis permoti, ilico Operationem inſtituimus, ſola inciſione, ſecundum uteri propendentis longitudinem extraximusque momenti temporis ſpatio calculos quadraginta duos, partim inſtrumentis, partim ſolis digitis. In hac operatione non admodum doluit ægra eaque peracta & hoc onere liberata, atroces ilico evanuere dolores, quos tot annis paſſa fuerat, & ſatis commode vivere cœpit. Hanc uteri propendentiam & calculorum magnitudinem & formam ibidem dictus Autor delineavit. vid. etiam ejusdem Ruyſchii *Theſaur. Anatom. VIII. p. 57. ſq.*

§. 47.

Fiſtulas etiam nonnunquam lapides hinc inde poſt excretionem relinquunt. Poſt graviſſimos enim dolores e veſica pueri Scanici quadrimi in ſcrotum calculus protrudebatur Anno 1628, exinde vero ſuppuratione facta rejectus, remanente fiſtula, per quam continue urina exſudabat, vixitque hoc ſymptomate urinæque per fiſtulam ſtillicidio ad Annum 1654. teſte Thoma Bartholino *Hiſt. anat. Cent. IV. Hiſt. 8. p. 227.* Vir quidam Heidelbergenſis, quadragenarius ſtranguria & difficultate inter mingendum cum maximo cruciatu ventris laborare cœpit, ſine ulla cauſa externa. Stranguria illa & dolores ventris cum in duodecimum annum perſeveraſſent, tandem plane ſubſtitit urina, nec amplius per penem effluxit, ſed hinc inde per ſcrotum, & e regione pubis ulcera fiſtuloſa ſibi *Fiſtulæ*

efformavit, per quæ ab eo tempore urina ſine inſigni moleſtia & dolore effluxit. Denique calculus in conſpectum venit, qui etiam poſt dies aliquot a Martino Wirzio extractus, ab initio pondus octo drachmarum exceſſit. vid. Guilh. Fabric. Hild. *Obſerv. Chirurg. Cent. VI. Obſerv. 57. fol. 571. ſeq.*

§. 48.

Scroti ſuppuratio Scroti ſuppurationem a calculo ex Jacobi Zæmanni relatione communicat Thomas Bartholinus *Act. Hafn. Vol. III. cap. 6. pag. 10. ſeq.* Per ſcrotum ſcilicet ſuppuratum puero tredecim aut quatuordecim annorum poſt quatuor drachmas Aloës tuſæ pro quatuor doſibus e lacte dulci ſumptas ex veſica exulcerata calculum avellanæ longiuſculæ magnitudine excidiſſe. Ex abſceſſu in ſcroto tres lapides, quorum quisque craſſitiem & longitudinem pollicis continebat, & ſinguli cyſtide obvoluti erant propria, eduxit chirurgus quidam, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. IV. Menſ. Febr. Obſ. 4. p. 30.* Plura exempla vid. ſupra *Cap. II. §. 44.*

§. 49.

Mors Quamplurimos autem calculoſos variis modis ſummisque interdum cruciatibus vitam ſuam finire, præter hactenus recenſita exempla quilibet fere dies teſtatur, *in perſonis eruditis* quorum exempla ut plura adducamus cum opus non ſit, aliquot tantum doctorum virorum & illuſtrium perſonarum obitum a calculo annectere libet. Exemplum præbet lumen illud medico-danicum Olaus Borrichius, qui nimio veſicæ calculo laborans, chirurgiæ ſeu lithotomiæ ſeſe quidem ſubmittebat; cæterum magnitudo & durities calculi optatum eluſit ſucceſſum; commode enim per inciſuram neque extrahi, neque inſtrumentis diffringi absque præſentiſſimo vitæ periculo poterat. Nihil tamen inde commotus, ſed plena in Deum fiducia & certiſſima

ſpe

ſpe æterni gaudii firmatus, ſymptomata graviora, & dolores per intervalla affligentes incredibili pertulit patientia, donec tantæ moleſtiæ, tot inſomnes noctes, tot indomabiles cruciatus tandem in mortem terminarentur placidiſſimam, juxta Borrichii Vitam ab ipſo in *Conſpect. Chemicor. illuſtr. h. c. conſcript.* vid. etiam *Hiſtor. Morbor. Vratislav. An. 1699. p. 153.* item Georg. Franc. a Franckenau *Satyr. med. p. 582. ſeq.* Calculi etiam doloribus confectus e vita diſceſſit Johannes Pfeilius, de cujus vita & morte hæc recenſet Johannes Neander, Bremanus *Medicin. Natalit. p. m. 238. ſeq.* In Academia Lipſienſi ante annos ferme centum medicinam profeſſus eſt Johannes Pfeilius, Dresdæ in Miſnia natus, qui a teneris ungviculis ad phyſicam & artem medicam animum adjungens Lipſienſi in Academia, ſub præceptoribus clariſſimis egregium induſtrii ſtudii ſpecimen edidit. Exinde in Italiam progreſſus variis in Gymnaſiis per annos compluſculos medicinæ operam navavit; & Florentiæ quidem majoris divitisque Noſocomii curæ ſtipendio certo medicus fuit profectus. In patriam reverſo Lipſiæ ibidem docendæ & exercendæ medicinæ provincia eſt demandata. Non multo vero poſt in Aulam Saxonicam accitus, ut Mauritii, Principis Illuſtriſſimi corporis curam ageret, tamdiu eam egit, donec anno quadrageſimo quarto ſupra ſesquimilleſimum Lipſiæ calculi doloribus confectus e vita diſceſſit, ſepultus ibidem ad D. Johannis cum tali Epicedio, Auctore Georgio Fabricio, Chemnicenſi:

Poſtquam ſolis jubar reliquit Pfeilius;
Apollo luget: flent boni, Muſæ ſilent;
Exiget in animis Hominum Viri virtus: domo
Mens innocentiæ fructum ætheria capit.

Pariter etiam Philippus Jacobus Sachſius a Leuwenheimb Medicus apud Vratislavienſes Celeberrimus & Collegii

Curio-

Curioſorum Collega, fereque Fundator, Phoſphorus dictus, calculis obiit, quorum effigiem communicat Johannes Daniel Major in *Memoria Sachſiana p. 3. vid. M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Append.* Varia etiam Doctorum a calculo, tanquam Eruditorum tortore, interfectorum exempla recenſet Georgius Franck de Franckenau *Orat. de Studior. Noxa, in Satyr. Med. p. m. 582.* inquiens: Claudius Eſpençæus Celeberrimus Theologus Gallus, 1571. obiit ex graviſſimis calculi doloribus, quod fere præmium pro vigiliis a natura ſtudioſis rependitur, extinctus anno ætatis quadrageſimo, juxta verba Thuani. De Caſparo Eraſmo Brochmando, Viro θεωλογικωτάτῳ & Daniæ Lumine Theophilus Spizelius in vita ejus ait: Et ſolicitare eum calculus cœperat, tortor ille Eruditorum, langueſcere ſtomachus, ſcorbutum accreſcere, hinc indies ſumma macies, ſumma defectio &c. Notabile exemplum dictus Francus olim una cum Collega ſuo, Johanne Gothofredo Bergero Vitembergæ, in literatiſſimo Juris-Conſulto Caſpare Zieglero, die Viridium 1690 denato obſervavit, in cujus veſica urinaria viginti duos lapides inſtar caſtanearum, in fellea vero viginti duos diverſæ magnitudinis invenit. Johannes Heurnius Prof. Medic. Lugdunenſis in ſtudiis aſſiduis conſenuit, editis pluribus ſcriptis; cumque proſpera ſemper antea valetudine uſus eſſet, calculo laborare cœpit, cujus cruciatibus totum triennium divexatus tandem anno ætatis quinquageſimo octavo die natali ſuo obiit. In mortui veſica reperti ſeptem calculi nucis juglandis majoris magnitudine & forma ſinguli duas drachmas pendentes. Miſera ad libros aſſidue ſedentium ſtipendia. Anno 1646 die 3 Novembr. obiit Noribergæ Johannes Saubertus, Theologus celeberrimus & Bibliothecæ Præfectus, e cujus veſica poſt mortem lapis inſignis magnitudinis excíſus, uncias decem civilis ponderis pendens, cujus effigiem com-

communicat Georgius Hieronymus Velſchius *Obſ. med. Epiſagm. 61. p. 37.* Et Joh. Helwigius *Obſ. Phyſ. med. 121. p. 331.* dictum Saubertum, quem dolores arthritici & nephritici acutiſſimi per plurimos annos ſæpiſſime afflixerant, ætatis demum ſuæ anno quinquageſimo quinto obiiſſe ſcribit. Et Dresdæ Anno 1707 menſe Decembri calculo obibat ſupremus Concionator Aulicus Gottlob Fridericus Seligmannus; cujus monſtroſi calculi iconem depingit in eleganti carmine elegiaco Ludovicus Chriſtianus Crellius. Juxta communicationem Chriſtiani Friderici Garmanni *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. ſ. 69. pag. 1107.* M. Lucæ Pollioni, Diacono Lipſienſi ad D. Nicolaum, a dolorum calculi tres uncias ponderantis immaniter extincto, ſequens poſuit Epitymbion Tobias Clausnizer:

Seht hier, ihr Sterblichen, nun ruh ich in der Erden,
Vor kunt ich nicht auf ihr: mein Schmertze war zu groſs;
Kann irgend eine Pein nur groſs gemachet werden,
Die meine war ihr gleich; doch bin ich ietzund los:
Wenn aber dort die Schaar der Martyrer wird weiſen
Das Werckzeug ihrer Quaal, Schwerd, Sägen, Roſt und Rad,
Beil, Meſſer, ſiedend Oel und Feuer, glüend Eiſen,
Strick, Ketten, Band und Beil, die der und jener hat,
Umb ſeinen Leib geführt, als groſſe Marter-Sachen,
Damit ſie in der Welt gequälet worden ſeyn;
So will ich mich getroſt zu dieſen Hauffen machen,
Was aber bring ich mit? den groſſen Blaſen-Stein.

Utrum celeberrimus Iſaacus Caſaubonus ex vitio veſicæ urinariæ an vero a plurimis calculis ſubrotundis in ipſius veſicæ cellulis, vel cavernulis, latitantibus obierit, diſſentiunt Autores ex quibus evolvatur Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 25. fol. 1246. ſeqq.* Joh. Nicol. Pechlin. *Obſ. phyſ.*

phyſ. med. Lib. I. Obſ. 2. p. 4. Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. med. Sect. III. cap. 7. §. 6. pag. 349.* Calculo etiam Anno 1658. die 12 Auguſti Wittebergæ vitam finiebat Johannes Sperlingius, qui tertia quaſi ante obitum hebdomade lectulo ſe, ultimo mortis proſcenio, ſubmiſit, agitantibus non raro vomitibus, ratione ventriculi in conſenſum tracti. Urina toto decubitus tempore obſtructa manſit, nec deſtillare ex renibus quicquam ejus potuit, ob ureteres ſabulo infarctos: Exacerbabantur dolores, ſuperveniebant cum febri vigiliæ, quæ innocens corpus usque ad ultimum fere vitæ articulum, convulſionibus finitum, excruciabant. In hujus Sperlingii corpore diſſecto renum uterque omnimode repletus erat calculis innumeris, minimis, mediocribus tribus, præterea maximis, ſicut internum latus omne, ac ſinum pelvimque, renibus æque ac ureteribus communem, penitus occluderent. Ureteres ipſi etiam a ſuo circa renes exortu, usque ad veſicæ valvulam, immani arenularum copia & farciminum inſtar extenſi & turgidi viſebantur, ut irritus tantum fuerit quotus quisque naturæ conatus &c; uti ex Joh. Dan. Majoris Hiſtor. Anat. de illis Calcul. conſcript. refert. Theophilus Bonetus *l. a. Lib. III. Sect. 22. Obſ. 2. fol. 1151. ſeq.*

§. 50.

In perſonis illuſtribus. De Sereniſſima quadam perſona ex calculo, phaſelo magnitudinem excedente, atque in meatu urinario prope glandem hærente, plenariam urethræ obſtructionem atque lethalem gangrænam patiente, vid. Ido Wolff. *Obſ. Chirurg. medic. Lib. I. Obſ. 48. p. 156.* Retenta propter calculum urina periiſſe Marcum Vigerium, Virum Clariſſimum & Epiſcopum Senogalienſem, refert Bartholomæus Euſtachius *Tract. de Renib. cap. 45. p. 121.* De Sereniſſimæ Principiſſæ Barutho-Brandenburgicæ, Sophiæ Louyſiæ morte, lithographiam ſuam curioſam edidit

Gotho-

Gothofredus Steinius. Fabricium ex veſica fellis Comitis cujusdam ſeptuagenarii in Erffia exſcidiſſe calculos duos, unum oblongum, alterum rotundum, quorum major drachmas quatuordecim, minor vero drachmas quatuor & ſemis, pependerit, recenſet Guilhelmus Fabricius, Hild. *Obſ. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 44. fol. 320.* In Comitis Thomæ Arundelii, qui primo urinæ ſuppreſſione adfligebatur, quam aliquot diebus poſt fere tenere non poterat, quin eam pene quot momentis reddere coactus fuerit, diſſecto conditura gratia cadavere, in renum ſiniſtro, præter aliquot minores calculos, ſat magnus alius repertus eſt, totam pelvim, quam ureteris principium efformat, ultra capacitatem naturalem extenſam occupans, & in veſica lapillus parvus, rotundus, læviſſimus & duriſſimus, ſubrufi coloris, veſicula quoque fellis, ſabulo plena, &c. juxta Georg. Hier. Velſch. *Obſ. med. Epiſagm. 65. p. 39. ſeq.* In illuſtris Viri Aug. Thuani cadavere, pancreas totum erat ſcirrhoſum multisque globulis ſpecie ovi columbini differtum, uti ex Joh. Riolani *Anthropograph. Lib. II. cap. 16.* refert Regnerus de Graaf *de Succ. pancreat. cap. 7. p. m. 583. ſeq.*

§. 51.

Tale autem fatum tam ratione cruciatuum, quam ipſius mortis, non modo adulti utriusque ſexus, ſed etiam pueri atque puellæ, nonnunquam etiam infantes experiuntur; quanquam interdum nonnulli quoque a calculo & morte per lithotomiam, vel extractionem liberentur, de quibus paulo infra. Ut autem priorum exempla hoc loco adducamus, in pueri cujusdam gibboſi, vix nonum annum emenſi, & aliquot jam annos calculo divexati rene utroque repertorum calculorum majorum & minorum figuram delineatam communicat Anonymus quidam in *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 20. p. 51.* Filius Richardi Frorcicheri, *Calculus in Infantibus.*

eicheri, decem circiter annorum puer, frequenti mictionis deſiderio afficiebatur, urinam guttatim emittebat & cum dolore, tenuem, claram & ſubalbidam; quandoque ſubcruentam, potiſſimum arenoſam, aderat & ponderis ſenſus in veſica, & deſidendi cupiditas, ſub finem mictionis acerrime dolebat, adeo ut pudenda vehementer vellicaret, de loco in locum discurreret, ſæpe gyros ageret tanta velocitate, ut ſuborta per circumrotationes vertigine ſemianimis interdum concideret. Tandem doloribus perpetuis & vigiliis conſumtus fatis conceſſit. Exciſionem enim lapidis, tanquam periculoſam, parentes formidabant. Corpuſculum demortui cum aperuiſſet Baldaſſar Timæus a Güldenklee invenit calculum in veſica raræ magnitudinis, ovi pavonii quantitatem fere adæquantem, aſperum & undique acuminatum, adeo durum, ut cultello vel lima vix radi poſſet. vid. Timæi *Oper. Caſ. med. Lib. III. Caſ. 39. p. 175. 178.* In conſulis cujusdam filiolæ, poſt plurimos cruciatus defunctæ, renibus aliquot parvos quidem, at colore & glabritie Lapidi Bezoar. ſimiles calculos invenit Vitus Riedlinus, uti refert *Linear. med. Anno 1697 Menſ. Decembr. Obſerv. 10. pag. 848. ſeq.* De puerulo tabido & nephritico, in cujus poſt mortem aperti ſiniſtro rene calculum tricuſpidem, ſilicis duritiei, membranis exactiſſime involutum, ac præ oſtio ureteris, jacentem deprehendit Jacobus Harderus, vide ejusdem *Exercitat. I. pag. 1. ſq.* Scribit etiam Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 50. p. 107.* ſe in puero, qui nec dum annum vivendo expleverat, a ſe diſſecto renem dextrum lapide inveniſſe infertum. Et Adamus Brendelius *Obſ. anat. Dec. III. Obſ. 1. p. 7.* Infantis calculo veſicæ extincti meminit, cujus mater pariter eodem afflicta ante diem obiit, ut adeo talis calculus absque dubio hæreditarius fuerit: ſolidus autem ille & ſatis compactus erat, qui

cum

cum mole ſua ferme ovum columbinum æquaverit, tam arcte cum veſica concreverat, ut paucis tantum guttis tranſeuntis urinæ via patuerit. Quæ procul dubio cauſa fuit, quod infans noctu dieque a collecta in veſica urina divexatus parum quieverit, & ſtimulo ejusdem, quæ exitum liberum non habuit, agitatus, ſæpius inſultibus epilepticis correptus ſit, a quibus etiam extinctus, exſpiravit, cum nondum dimidium anni expleviſſet. In pueri cujusdam, impleto fere quinto ætatis anno, exſpirantis veſica calculus duarum fere unciarum fuit repertus, gryſeo colore conſpicuus. Præterea etiam ipſius ren dexter penitus exulceratus ſordidoque pure turgidus apparuit atque ureter uterque digiti craſſitiem adæquavit. vid. Mich. Bernh. Valentin. *Noſocom. academ. Caſ. VIII. in Prax. med. infallib. p. 577.* Calculi in infante intra uterum maternum detento concreti exemplum ex Philippi Jacobi Düttelii Diſput. Inaugural. *de Morb. Fœtuum in uter. matern.* recenſet Johannes Mauricius Hoffmannus *Disquiſit. Corpor. human. anatom. patholog. Specim. X. §. 16. p. 143.* Sereniſſimi ſcilicet Ducis Zeizenſis Mauritii uxor ex renali calculo magnos ſubinde dolores perpeſſa peperit Principiſſam, quæ mox a partu atrocia tormina paſſa fuit, præſertim in mictione, tertia ſeptimana mortua eſt; aperto corpore in veſica inventus fuit calculus inſtar lapidis Perſici majoris. In pueri decennis, qui a decimo octavo ætatis menſe calculo laboraverat, veſica urinaria calculum ſesquiunciam pendentem, ovi figura reperit Stephanus Blancardus, cujus vid. *Prax. med. cap. 9. Oper. med. Tom. II. p. m. 159.* An pueri veſicæ calculis, ſenes vero renum lapillis magis ſint obnoxii, vid. in Zacut. Luſit. *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. II. dub. 71. fol. m. 413.*

§. 52.

Sinenſes calculo non laborant

Sicuti autem calculus apud Europæos malum nimis vulgare eſſe ſolet, ita longe feliciores hoc in paſſu ſunt Sinenſes, qui per totam vitam a renum & veſicæ calculo immunes vivunt; Id quod bonæ diætæ ac imprimis potui calido adſcribit Johannes Neuhoff *Itiner. ſinic. pag. m.* 273. vid. etiam Joh. Abraham a Mandelslow *Epiſt. ad Adam Olear. fol. m.* 37. De Turcis idem confirmat Dominus Thevenot *Itinerar. Orient. Part. I. Lib.* 1. *cap.* 27. *p. m.* 50. Ido Wolff. *Obſ. chir. med. Lib.* 1. *Obſ.* 47. *p.* 152. De diæta & potu aquæ calidæ contra calculum & podagram agit etiam Georgius Baglivus *Prax. medic. Lib. I. pag. m.* 82. Calculus, inquiens, & podagra plures interficiunt divites, quam pauperes, plures ſapientes, quam fatuos. Vinum, venus, otium & crapula ſunt primi parentes calculorum & podagræ. Aquæ potus, lactis uſus, ſobrietas & exercitium eisdem medentur; exinde prodiit, ſecretum illud eximium Zecchii, relatum in ſuis conſultationibus; nempe hauſtus aquæ calidæ, ad libram unam circiter, ſtatim ante prandium factus. Piſo & Alexander multis ante Zecchium annis hoc idem aquæ calidæ remedium comprobarunt, dicentes, quod poſt primum excretum calculum nunquam in poſterum alios genitos fuiſſe viderint, uſum hunc aquæ calidæ multo tempore continuantibus, &c.

CAPUT IX.

De Calculis Brutorum, in ſpecie de Lapide Bezoar.

§. 1.

An Calculi in brutis generentur, negant alii

Egimus hactenus de calculo hominis, quem ſolum inter omnia animalia lapide laborare veteres credebant; ad quæſtionem enim, cur nullum animal, niſi homo, cal-

culoſum fieri poſſit? hanc imprimis rationem reddit Ariſtoteles *Problemat. Sect. 10. §. 42. fol. m. 640.* quod jumenta & quæ unguibus ſunt numeroſis, veſicæ meatus obtinent ampliores; at homo veſicam habet & cervicem ejus canali anguſto pro magnitudine porrectam. Ergo quod membrum id (veſica ſcilicet) adeſt, quantum terreni humoris ſeparatur, in veſicam contruditur, ex quo vaſa quoque urinaria, id eſt, matula, eo ipſo tinguntur. Loci autem calore efficitur, ut amplius concreſcere atque craſſeſcere poſſit. Retinetur vero augeturque propter canalis anguſtiam: cum enim terrena illa ſubſidentia prodire ex facili nequeant, reverſa cohærent inter ſeſe, calculumque ita conficiunt. Et juxta verba Johannis Joviani Pontani *de Reb. cœleſt. Lib. II. cap. 5. p. m. 314.* calculi vitio ſolus homo vexatur, quod ejus veſica in qua gignitur, anguſtum admodum os atque canalem habeat. Ea & piſces plerosque & aves carere compertum eſt: & quibus ineſt animantibus, ut quadrupedibus, ea meatus laxiores ipſumque canalem ſane quam amplum atque adapertum habet, unde facilis eſt, qui in illam influxerint, humorum emictio. Terreni igitur humoris quicquid in illam intruſum eſt, ubi ſecrevit ſeſe atque ſubſedit, quod in matula cernitur vitreisque urinariis, nec propter canalis anguſtias excernitur, paulatim concreſcit arefactumque a calore fit craſſius. Aliam rationem reddit Franciſcus Oſwaldus Grembs *Arbor. integr. & ruinoſ. Homin. Lib. I. cap. 4. n. 17. p. 15 ſeq.* Spiritus, inquiens, loci coagulando fabricans lapidem facilius puro vaſi agglutinabitur, quam axungioſo, ut in matula apparet oleo tincta, ubi non agglutinabitur calculus; hinc brutorum renes, quia axungia ſcatent, calculo non obnoxii ſunt. Et *cap. 7. n. 10. p. 62.* inquit: utplurimum beſtiæ calculo non laborant, eo quod eorum renes plurima axungia ſcateant, quæ facit, ut calculus non poſſit accreſcere.

Ariſto-

Ariſtotelis ſententiam defendit etiam Zacutus Luſitanus *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. II. Dub. 70. fol. 412. ſeq.* inquiens: licet de ſolo veſicæ lapide loquatur Ariſtoteles, ad renalem etiam poteſt extendi ratio. Latiores enim habent jumenta & pecora vias omnes urinarias, quam homo, quod eorum craſſæ perturbatæque urinæ manifeſte demonſtrant &c.

§. 2.

Affirmatur. Huic tamen ſententiæ alii Autores tam ratione rationum, quam ratione experientiæ contradicunt. Inquit enim Autor Obſervationum de calculo in equo quodam reperto *in Act. Erudit. Lipſ. An. 1682. pag. 344.* ſunt, qui magno conanime & faſtu rationes expediunt, quare res ſit, cum tamen, ſi ſtrictiori examine probetur, minime ſit. Omnia quæ tunc fuerunt acutiora torſit ingenia pueri dens aureus, cum non eſſet, niſi deauratus. E contra etiam Salmaſius, Vir in re literaria primi nominis ſedulo cauſas quærit, quibus Ariſtotelici Problematis fidem firmet, nullum animalium calculoſum eſſe, præter hominem. Quippe in cæteris animalibus, majoribus præſertim veſicæ meatus laxiores ſunt, per quos terrenus & craſſior humor facilius & liberius exiret, & inde ait mulieribus & puellis calculos rarius naſci, quam in viris & pueris; atque inde inſuper pueros frequentius calculo laborare, quam ſenes. Calculo autem renum quadrupedes non eſſe obnoxios, argumento probat, ab ipſo eorum ſtatu & poſitura ducto, qua ſemper in terram prona ſunt, unde humor ille corporis ſaccatus, qui per renes eorum tranſitum habet, non ibi moratur, nec deſidet, ſed quaſi ſuſpenſus vix ibidem poteſt inhæreſcere. Tam verſatile autem ingenium eſt hominis, ut alii, cum jam conſtet, calculos etiam in quadrupedibus gigni, non ſolum has rationes nihil hic valere probent, ſed etiam ex altera parte ſtare, &

in

in eam ſententiam, quam firmare videntur, e diametro prorſus pugnare. Patentiores enim qui ſunt in majoribus animalibus, quam in homine meatus, craſſius admittunt ſabulum, & acinis confertim confluentibus liberiorem aditum faciunt, quæ ſeſe in itinere arripiunt & prehendunt, & in eam tandem in veſica accreſcunt molem, utpote cui per meatus urinarios minime pateat exitus. Quod alteram partem ſpectat, humor iſte in corpore lixivialis, in animalibus, quæ prono inceſſu pergunt, aptior eſt concreſcere, quia mora & otio torpeſcit, & inde viſcoſus evadit: in homine autem erecto ſerum ſanguinis citatiori itinere quaſi ex alto in renes defluit, nec inde in arenas coaleſcit. Inquit etiam Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 146. p. 297.* nullum amplius dubium ſupereſt, Ariſtotelem valde hallucinatum eſſe, & cum eo plures alios, quando ſcribere auſus eſt: inter animalia ſolum hominem calculis eſſe obnoxium. Quam falſa autem, imo falſiſſima ſit hæc Ariſtotelica aſſertio, multiplices experientiæ, rationibus plurimis longe præferendæ, teſtatum faciunt, totoque die in omnis generis animalibus eorumque diverſis partibus calculos & generari & inveniri obſervamus. Inutilis etiam Caſpari Theophilo Bierlingio *Theſaur. Theor. pract. Caſ. III. Schol. p. 30.* videtur quæſtio, num ſolus homo inter cætera animalia calculo laboret? cum quotidiana experientia omnium rerum magiſtra negativam confirmet. In animalibus generari lapides ſecundum eorum naturam, & interdum præter naturam in morboſo eorum ſtatu, ex Gabelchovero inquit Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Lib. I. cap. 14. p. 290.* Item reperiuntur etiam in quorundam animalium ventriculis, de quibus ſimul in ſequentibus agemus.

§. 3.

Calculi in bobus.

Minime proinde homini præ reliquis animalibus peculiare hoc eſſe, ſed pariter in brutis ac in homine ſæpiſſime calculos & quidem in variis partibus reperiri, experientia anatomica confirmat, v. g. in bobus & vaccis calculos reperiri, qui Bulithi vocari ſolent, teſtantur Autores. Lapidem enim triangularem, aliquot tamen eminentiis præditum, qui primo aſpectu metallicum quid, licet tale non eſſet, referebat, colorem ſplendidum & quaſi aureum oſtendentem, ex tenuiſſimis tunicis flaveſcentibus & diaphanis conſtantem, quæ ſeparatæ plane diaphanæ adparebant, in vaccæ rene repertum, ſe poſſidere dicit Lucas Schrœckius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 168. p. 224.* Quo loco etiam Patavii in veſica bubula minutos rotundosque calculos, quorum majores ſemen erucæ, minores minima nicotianæ ſemina magnitudine æquabant, ſe inveniſſe addit. Lapidem durum & quaſi metallicum, in tres partes quaſi diviſum, ac ſi globuli tres conjuncti profunde fuiſſent, in bovis mortui meatu urinario repertum legimus apud Petrum Borellum *Hiſtor. & Obſerv. rarior. Cent. I. Obſ. 5. p. 9.* ubi plura reperies. In rene bubulo aliquando majorem calculum inter plurimos parvos invenit Andreas Libavius. vid. Johann. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 78. pag. 213.* Vidit etiam Libavius lapides renales ex bobus colore argenteo & fuſco ſplendente. vid. *l. a. Ep. 65. p. 182.* In veſica bovina arenam quaſi metallicam, & lapillos perfecte rotundos, globoſos, ſplendentes, colore auri mineram æmulantes invenit David Spilenbergerus in Hungaria, cujus arenæ lapideæ originem forte ex aqua metallica ſpiritu lapidifico prægnante ebibita aut ab herbis comeſtis minerali ſeminio gravidis derivat, vid. Phil. Jac. Sachſ. *l. a. pag. 297.* Ex bovino ventriculo tophum mali granati magnitudine ſe poſſidere, ſcribit Thomas

Bartho-

Bartholinus *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt. 8. pag. 36.* Item de calculis in vaccarum ventriculo repertis, diverſæ magnitudinis, atque interdum ovum anſerinum æquantibus, & a Sinenſibus Nieuhoang dictis, vid. Joh. Neuhof *Itinerar. Sinic. pag. m. 153. & 369.* De ovo in bovis ventriculo reperto ita ſcribit Hieronymus Cardanus *de Subtilit. Lib. VII. fol. m. 211.* quædam ſunt lapidibus ſimilia, quæ in animalibus inveniuntur, nec tamen ſunt lapides, ut ovum bovis. Hoc ſane in ventriculo invenitur magnitudine anſerini, ferrugineo colore, leviſſimum ac leniſſimum. Cogitur ex cibi excrementis, & motu rotunditatem acquirit, pituita cogente. Unde ſi frangatur, ex pilis conſtare videtur: durus eſt pro levitate tanta. Ita natura ludit, ut etiam quandoque boves ova pariant. vid. etiam Joh. Georg. Schenck. *Hiſtor. Monſtr. p. 129.* De lapidibus aureolis e veſicis boum extractis rariſſimam Obſervationem refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 77. p. 121. ſeq.* ſequentibus verbis: Terni propemodum anni ſunt elapſi, cum Allershemium, inſignem Rhætiæ Noricæ vicum tranſiremus, & ecce! noſter olim ex anevriſmate periculoſe decumbens æger, lanio loci, tranſeuntibus monſtrabat globulos aureos diverſæ magnitudinis, minimum granum milii, maximum ſemen cannabis aut coriandri æquantes, præfulgidos & aſpectu jucundiſſimos; horum integrum manipulum in bovis mactati veſica repertum fuiſſe ajebat. In boum ventriculis lapides ſeu pilas ex ciborum relictis partibus generari, ſtatuit etiam Emanuel Kœnig. *Regn. anim. Sect. I. Artic. 18. pag. m. 89.* Et juxta Joh. Curvi Semmedi *Hiſtor. varior. Simplic. p. 49.* in ventriculo quarundam vaccarum in India Orientali generantur globi rotundi, magnitudine malorum aurantiorum, coloris fuſci, leviſſimi & intrinſecus ex fibroſis capillamentis concreti, ad diarrhœam utiles. In quadam Wet-

teraviæ villa, ad duo fere milliaria Gieſſa diſtante, vacca quædam quindecim vel ſedecim annos nata, quæ ſemper lac copioſum ac bonæ notæ antea ſuppeditaverat, ut ejusdem poſſeſſor eandem diutius aluiſſet, niſi ingraveſcens ætas aliud ſvaſiſſet; unde Anno 1714 menſe Novembri in ædibus ſuis eam mactari curavit; in cujus abdomine aperto triginta circiter lapides, ſub hepate ſano poſitos & ſponte proſilientes, lanius obſervavit. Fuerunt autem dicti lapides diverſæ magnitudinis & figuræ, rotundæ, pyramidalis, cubicæ & cylindricæ, erant & qui ubera vaccina referebant, referente Johanne Georgio Liebknecht *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 29. p. 50.* Sequentem Obſervationem communicavit Robertus Boyle vid. Frid. Nitzſch. *Ephemerid. p. m. 159.* Lanio mactatam a ſe vaccam gravidam offendit vitulo monſtroſo, cui jam pili innaſci cœperunt. Inter priores poſterioresque tibias lapis magnus inventus eſt, cui monſtrum impoſitum fuit. Pondere æqualis eſt expertus ille lapis viginti libris cum dimidia. Color ipſius ſubniger fuit & canus, uti genus quoddam lapidum ſtructilium, quod canum appellant. Superficies ejus inæqualis fuit, exiguisque impleta cavitatibus. In confracto granula lapidea ovali figura apparuere, color vero luteis nigrisque tranſeuntibus venis miſtus. De cerebro bovis petrefacto raram Obſervationem jam ſupra *Cap. I. §. 32.* adduximus. De Bulithis vid. *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 77. ſeq. p. 161. ſeqq.* ubi Johannes Jacobus Wagnerus, Poliater Tigurinus, inquit: Bulithus apud nos aſſervatur, qui in urbe noſtra ante aliquot annos in vaccæ ventriculo ſecundo, quem κεκρύφαλον ſive reticulum appellant, fuit extractus; lapis eſt rotundus, globiformis, ſubflavus, ſubſtantiæ denſæ atque ſpiſſæ, inſtar ſilicis, ejusque pondo eſt unciarum tredecim & dimidiæ. Martinus Martinius equidem in Atlante Chinenſi

mentio-

mentionem etiam facit bulithi flavi, mollis, inſtar ochræ, qui in vaccarum ventriculis apud Chinenſes reperiatur, quem medici ibidem locorum, Lapidi Bedzohar præferant; hic tamen a noſtro longe differt bulitho. Hoc ipſo Anno 1685 pergit idem Wagnerus, menſe Julio alius bulithus in bovis inteſtinis apud nos repertus fuit; coloris eſt cinerei oviformis, texturæ raræ, pondo ejus uncia una & drachma una. Hi bulithi cum aliis tophis, ex articulis bovinis deſumptis, ibidem depicti reperiuntur, de his enim dictus Autor *l. a. Obſerv. 78. pag. 162. ſeq.* ita ſcribit: Boves calculis renum laborare, cognitum atque compertum habemus: Fidem hujus rei mihi quoque fecerunt calculi ex rene bovis a me extracti, quos etiam penes me adhuc ſervo. At his inſolentiores ſunt tophi, qui in juncturis oſſium apud eos quandoque reperiuntur. Anno 1685. d. 12. Apr. ex medio coarticulationis oſſis femoris & tibiæ tophos quam plurimos exemi, qui partim tendinibus ſeu ligamentis circumdati ac incluſi, partim etiam extra ea extruſi fuerunt. Subſtantia eorum eſt alba inſtar calcis, ſummæque acrimoniæ: illud dignum eſt viſu, quomodo materia hæc terreſtris coaluerit, & partes aliæ poſt alias ope ſpirituum naturalium ad extremitates usque juncturarum extruſæ fuerint. Hinc etiam & hoc concluditur, boves ab arthritide nodoſa non penitus ſolutos eſſe. De lapidibus ex felle tauri rotundis, triquetris, Badzahardicis, hæc habet Georgius Hieronymus Velſchius *Hecatoſt. I. Obſ. 93. pag. 116. ſeq.* Frequentiſſimum hoc, in cyſtide fellea taurorum & boum atque etiam vaccarum bilioſa concrementa, molliora tamen pleraque reperiri ut confricari poſſint. Non multum admirationis hæc nobis præbent, quia facile intelligitur, quomodo bilis concreſcere poſſit. Sed figuræ quorundam lapillorum ſi ſic vocare liceat, admirationem merentur. Habemus plures, inter quos elegantiſſimi

 ſunt,

ſunt, perfecte globoſus unus, & alter triquetrus, tam affabre efformatus, ut nemo Mathematicorum perfectiorem figuram delineaturus ſit. Æqualia enim latera undique & æquales angulos habet. Sed omnium pulcherrimus & rariſſimus nobis videtur durus nonnihil nigricans, & lapidem orientalem Badzahardicum exacte repræſentans, pro quo etiam ab inſciis haberi queat. Obiter etiam circa Taurolithi nomen obſervandum monet Velſchius, eſſe etiam quosdam taurorumque lapides, non e fellis conceptaculo, ſed aliis partibus deſumptos. Talis eſt lapis ex corde tauri montani vetuli, qui bucardias animalis dici poſſet, ad mineralis diſcrimen ſive ſaxei per generationem, quia etiam alius per transmutationem repertus eſt. Rariſſimus Cardiolithus Philippo Heinhofero dictus, & Celſiſſimo Principi Duci Pomeraniæ oblatus, ex tauri corde in lapidem converſo, qui Auguſtæ mactatus olim fuit. Bulithum inſignem in omaſo vaccæ repertum Domino Johanni Hardero lanius dono dedit, uti refert *Diſſert. de Rupicapr. in M. N. C. Dec. II. An. 1. App. B. 2. b.* In calculo magno ex tauri felle olim extracto donoque ſibi miſſo putamina diverſa obſervavit Robertus Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experim. Part. II. Exercit. 2. §. 18. p. m. 133.* Et §. *20. p. 140.* hunc calculum e tauri felle erutum juglandis molem exceſſiſſe ait. Particulam calculi vaccini inſtar auri foliorum fulgidi ſe poſſidere ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 246. p. 439.* Calculum etiam e rene bovis extractum atque figuram ſingularem præ ſe ferentem, dum ocream, parte ſuperiore multum expanſam, ſatis exacte repræſentabat, habuiſſe refert Lucas Schrœckius *ibidem An. 4. & 5. Obſ. 65. p. 224.* Pilas magnas nigras, inſtar pugni, æqualiter orbiculatas, ſine ſutura, pilis parvis mollibus arctiſſime infartas, ex boum juniorum ſanorum, lanienæ deſtinatorum, ventriculo &

inteſtinis

inteſtinis exemptas, aliquot annis penes ſe habuiſſe refert Johannes Wierus *Oper. Part. IV. cap. 17. p. m. 317. ſq.* Plurimos calculos in vaccæ cujusdam veſica urinaria, cujus tunica interior facta erat lapidea, repertos reperimus in Freder. Ruyſch. *Theſaur. anat. IV. p. 23.* In taurorum folliculo fellis calculos reperiri, ſcribit Caſparus Schwenckfeld *Theriotroph. Sileſ. pag. 64.* Et *pag.* 72. inquiens, lapilli in folliculo fellis naſcuntur, quandoque crocei coloris, friabiles; poti veſicæ calculos comminuunt. Et juxta Petr. Andr. Matthiol. *in Dioſcorid. Lib. II. cap. 71. fol. m. 308.* gignitur in bubulo felle lapis quidam nonnunquam ovi magnitudine croceo colore facileque friabilis. Inquit etiam Gabriel Clauderus: Videmus, quot diebus tantum-non laniones noſtros capſulæ bilariæ bovinæ extrahere & nobis lucelli cauſa offerre calculos, utplurimum triangulos, a bile coagulata & incraſſata. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 78. pag. 175.* Refert etiam Philippus Jacobus Sachſius a Lewenheimb, ſe a lanionibus accepiſſe binos lapides, e veſicula fellea e duobus bobus exciſos, quorum major colore & figura pomum aurantium ordinariæ magnitudinis æmularetur, & pondere unciam unam & drachmas duas excederet, licet jam optime eſſet ſiccatus; alter minor drachmarum ſex, qui ex parte fructus varios exhiberet cortices, & in meditullio rotundum quaſi nucleum incluſum pruni magnitudine ex flavo-rubeſcente colore, vid. *M. N. C. Dec. I. Obſ. 44. Schol. p. 136.* quo loco etiam ait: in bove communiter lapides felleos in forma cicerum inveniri, notat Johannes Daniel Major, major tamen eſt ab eodem deſcriptus colore cereo ferrugineo ac ſplendente, ovi gallinacei, ponderis drachmarum ſex medicarum, quem poſſidet Henricus Vollgnadius. Lapides e veſica bovilli fellis cumprimis in Saxonia longe frequentiſſimos ſe vidiſſe ſcribit Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 10. Append. 51.* ubi

etiam lanionis cujusdam meminit, qui haud procul Lipſia eorum pollinem ictericis admirando cum effectu vendebat. De Bulithis copioſe in veſica repertis hanc Obſervationem refert Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 146. pag. 297.* In veſica ſcilicet recens mactati bovis ingens numerus ſplendentium ac metallum æmulantium globoſorum calculorum, majorum, mediocrium, minorum & etiam minimorum, inventus fuit; majores magnitudine piſa communia æquabant, nonnulli etiam ſuperabant, minores & minimi, quorum infinitus erat numerus ſemina minutiſſima papaveris & majoranæ referebant. Color non omnibus unus idemque erat, nonnulli enim aureo & fulvo ſplendore coruſcabant, alii fuſco & obſcuriori colore præditi erant, non pauci gemmæ turcoidis colorem aliquo modo æmulari videbantur &c. De Silice in muſculo bovino, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. II. Hiſt. 3. p. m. 151.* Cum hactenus etiam licet improprie aliquoties pilarum vel ovorum in boum ventriculis repertorum mentionem fecerim, paucis adhuc de ejusmodi globis vitulinis Henrici Volgnad Obſervationem *ex M. N. C. Dec. I. Ann. 2. Obſ. 110. p. 181.* Et annotationem ad eandem ibidem *p. 398.* allegare voluimus. Ejusmodi pilam ſeu tophum pugni magnitudine, ex ventriculo ſecundo bovis exemptum, habuit etiam Olaus Wormius. Leviſſimus autem fuit hic tophus, exterius cortice lævi nigricante tectus, cujus portio aliqua adhuc reſtitit. Sub exteriore alia erat fuſco cinerea, etiam lubrica & ſplendens; reliquum vero corpus totum ex pilis conflatum; quod facto foramine exploravit Olaus Wormius v. ejusd. *Muſæi Lib. 1. Sect. 2. cap. 8. fol. m. 60.* ubi, non in juvencis ſolum, verum in equis, bobus, arietibus, ovibus, ejusmodi pilas reperiri, addit. De pila in ventriculo vituli, vid. Caſp. Bauhin. *de Lapid. Bezoar. c. 12. p. 64. ſeq.* Et Chr. Fr. Garmann. *de Mirac. Mort. p. 1121.*

§. 4.

§. 4.

In equis etiam calculos naſci, qui Hippolithi vocantur, teſtatur Caſparus Schwenckfeld *Theriotroph. Sileſ. p. m. 91.* inquiens: Ante annos paucos civis & vir conſularis, Ghilianus Othmannus, Vratislaviæ aluit equum, qui per receſſum plures lapides læves, ac ſi politi eſſent, bezoardicis Indicis non diſſimiles, reddidit; tandem equo mortuo ſingularis reliquis major & pulchrior inteſtino inhæſit, cujus magnitudo Limonii mali, non exacte rotundus, ſed adeo lævis, ac ſi arte expolitus eſſet, lapidem bezoar dictum fere repræſentans. Hunc Magnificus ac Nobiliſſimus Dominus Abrahamus a Jenckwiz, Capitaneus Vratislavienſis mihi cum bezoar Perſico pulcerrimo & maximi valoris aliisque gemmis Cratonianis oſtendit. Equum quendam tophos duriſſimos, leviſſimos, ſtercoris facie, rotundos egeſſiſſe, horumque ſe unum habere, refert Julius Cæſar Scaliger *de Subtilitat. Exercit. 125. pag. m. 422.* Modo dictorum Hippolithorum Hottomannianorum, majoris & minoris effigiem communicat Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Cap. 14. pag. 301.* qui eosdem calculos Anno 1664. ipſemet aliquoties manibus palpavit & ponderavit; major autem ponderis civilis viginti novem lotones, & minor duas & dimidiam drachmam continuit; Color illis fuit Alabaſtrinus, ubi cortex pauliſper deraſus, color ſubfuſcus cum venulos in cortice. Adjuncta quoque calculo fuit ſequens ſchedula pergameno inſcripta: Anno 1567. 22 Aug. *iſt Hr.* Kilian Ultermann *von Schmolz auf Roſenthal und Lambsfeld ein braun Roſs umbgefallen, welches er hat laſſen aufhauen, und iſt dieſer runde Stein im Maſtdarm, welchen ganz davon zerſprungen, gefunden worden; ſonſt iſt das Roſs inwendig friſch und geſund gewesen. Es ſind zwey Jahr zuvor im Auguſt, wenn es Wegwart geſſen kleine Steinlein auf dieſe Art, wie der*

In Equis.

kleine iſt, von ihm kommen, derſelbigen hat er ins Reich Fürſtlichen Perſonen, vvie auch dem alten Herzog Georgen zu Ligniz, und vielen andern zum Wunder geſchicket. Den groſſen hat er nicht vvollen vveggeben, ſondern als ein liebes Kleinod vor ſich behalten. In equi Neapolitani ventriculo repertus eſt lapis ovi ferme anſerini magnitudine, lamellis conflatus, pilis quoque refertus, ſcaber tamen, neque ſplendens, dupondii pondere, quem Rudolphus Hungariæ Rex inter ſua rariora ſepoſuit. vid. Caſp. Bauhin *de Lapid. Bezoar. Cap. 14. p. m. 71.* Hunc equum Neapolitanum, qui pilas lapideas excrevit Oenopotam fuiſſe refert Andreas Libavius in Joh. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 65. ſq. p. 182. ſq.* Calculum ex equi alvo progreſſum ſe aſſervare ſcribit Felix Platerus *Prax. Tom. III. cap. 15. pag. 818.* Hippolithum e geneoſiſſimo cujusdam militiæ Ducis equo rejectum habuit Johannes Michael Fehr uti refert *Tract. de Scorzon. pag. 143.* Lapidem ingentis magnitudinis non procul ab urbe Francofurtenſi in equo hiſpanico diſſecto repertum, ſe apud Comitem de Stolberg vidiſſe, ſcribit Johannes Schrœderus *Pharmacop. Lib. V. pag. m. 824.* Calculos quosdam, colore bezoardicos fere æquantes, læves, duriuſculos, angulis aliquot obtuſioribus inſtructos, non adeo magnos, ab equo cum aliis excrementis, rejectos, mercator quidam Vito Riedlino monſtravit, talesque plures quam viginti ſervum collegiſſe dixit. vid. Vit. Riedlin. *Curar. medic. Millenar. Obſ. 294. pag. m. 174.* quo loco etiam inſignis calculi duosque pugnos magnitudine æquantis, inſtar uvæ inæqualis in equi inteſtinis poſt mortem reperti; item alius, ovum columbinum magnitudine referentis meminit. Hippolithos geminos Auguſtæ equorum inteſtinis exemptos, oppido elegantes, ſplendentes, glabros ac nitidos, colore, ſubſtantia, teſtarum ſive cruſtarum inductione, & reliquis omnibus

accidentibus, præterquam magnitudine badzahardicis omnino pares ſe vidiſſe ſcribit Georgius Hieronymus Velſchius *de Ægagropil. Diſſert. II. p. 12.* Ulmæ in equo diſſecto lapides leves & læves, coloris ſubaquili cineritio & flavo remiſti ad pugni magnitudinem inventi fuerunt, uti ex liberis Georgii Franci refert Roſinus Lentilius *Miſcell. med. pract. Part. I. p. 216.* Waſungiæ, quod oppidum eſt Hennebergiæ, repertus eſt calculus in equi inteſtino, qui cum exſcinderetur, viſus eſt quaſi tenui mucilagine, ſeu membranula, inſtar humoris cryſtallini in oculo, obductus, tactu mollis, quæ multoties dehinc ob äere ambiente in elegantiſſimam & lævigatiſſimam, ac ſi ab arte inducta eſſet, ceſſit glabritiem; ſuit enim inſtar ceparum tunicatus, ejusque colore ex pallore candicans. Pondus ipſius fuit ℔ ¾ ℥j. ʒv. gr. jv. &c. ſecundum Obſervationem Georgi Wolffgangi Wedelii *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 246. p. 438.* Lapides politos equum Illuſtris cujusdam Baronis Auguſtæ quotannis per ventrem excreviſſe refert Raymundus Mindererus *de Peſtilent. cap. 15. p. m. 221.* Calculos aliquot equinos per alvum excretos communicat atque delineat Fredericus Ruyſchius *Theſaur. anat. II. pag. 82. ſeq. & pag. 90.* Hippolithum pondus 90. lotonum Colonienſium adæquantem, & alium minorem ad 25 lotones aſcendentem reperimus in *Muſæo Brackenhoferiano pag. m. 13.* Veronæ Anno 1639. equam cito alvi turbine calculorum quartarium cinerei coloris, ciceris forma reddidiſſe refert Johannes Rhodius *Obſerv. med. Cent. II. Obſerv. 74. p. m. 92.* Intervallo trium ſeptimanarum duos lapides, priorem ℔j, poſteriorem ¾℔. ponderis ab equo per alvum excretos delineat Sigismundus Snitzer in Epiſt. ad Andr. Libavium in Joh. Hornung. *Ciſt. medic. Epiſtol. 64. p. m. 180. ſeq.* De undecim calculis in inteſtino colo cujusdam equi reperti hanc Ob-

ſervationem, recenſet Ambroſius Stegmannus; *M. N.-C. Dec. III. An. 4. Obſ. 111. pag. 230.* Habuit Illuſtris Dominus a Phul equum Turcicum generoſum maximi pretii, qui quoties alvi excrementa (ſemper cremoris vel pulveris ad inſtar exſiccata) depoſuit, toties fere furioſus ſive rabioſus extitit. Hinc pertæſus illius prædictus Heros excoriatori ad exenterandum reliquit, in cujus inteſtino colo undecim lapides, unus alterum in peculiari cellula & membranula quivis obvolutus, ſequentes, ad magnitudinem ovi gallinacei firme accedentes, & ut lapides bezoardici lævigati apparuerunt, qui adhuc in Gazophylacio Electorali Saxonico aſſervati, magni habentur. Fuit inteſtinum colon valde extenſum & inflatum, in medio vero ita occluſum, ut excrementa per utrasque ejus extremitates exire ſolum coacta ſint, ob cujus ſpatia anguſta exſiccata ſemper ſic prodierunt excrementa, & excludenda equo dolorem conciliarunt exquiſitiſſimum. Lapidem prædurum, magnitudinis effatu dignæ ovumque exſuperantis altera parte depreſſum Patritii Veronenſis equum per alvum ejeciſſe & Calceolario ſeniori donatum in ipſius Muſæo aſſervari refert Andreas Chioccus *Muſ. Calceolar. Sect. III. fol. m. 404.* Reperitur etiam lapis, qui a Luſitanis magni æſtimatur atque ſub nomine lapidis de Bombaco vel Mombaza venire ſolet, in animali quodam & ſecundum quorundam relationem in equo fero, magnitudine ad ovum columbinum fere accedens, ſumma duritie, colore cinereo, externe aliquantulum ad flavedinem vergens, eleganter concretus & inſtar lapidis bezoar cruſtulatim compactus. In centro ſubpiloſus eſt, dein aliqualiter calciformis & poſtea ſequitur durities. Nomen habere dicitur a loco, in quo invenitur, juxta relationem Hermanni Nicolai Grimmii *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 149. p. 368.* ubi depictum reperies. Vidit etiam Academia Regia Pariſi-

enſis in manibus Domini Lemery calculum in veſica equæ repertum 23. unciarum cum 7 drachmis pondere. Magnitudine peponem mediocrem æquat, tegiturque ſpecie quadam cutis lævis & ſplendidæ. Subſtantia ejus coloris cinerei eſt, duritiorque evaſit, ex quo ex animali extractus eſt, licet ſemper admodum friabilis exiſtat. Dum explicata eſt, odorem etiam fortem urinoſum, quem ab initio ſpargebat, amiſit. vid. *Hiſtor. Acad. reg. Scient. An. 1700. p. m. 280.* Aliquot etiam Hippolithos annotavit Lucas Schrœckius, *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 167. pag. 216.* quorum primum ſibi locum vindicat, quem Auguſtæ apud celebrem Mercatorem & Materialiſtam ipſi videre contigit, cui ſtupenda obtigit moles, quam vel ex eo divinare licet, dum integras quatuor libras medicas dimidiamque inſuper unciam pondere æquat. Immo multo ponderoſiorem fuiſſe eundem, neceſſe eſt, cum non exigua ejus pars, laminæ imprimis exterioris ſatis craſſæ, ablata conſpiciatur. Figura ad rotunditatem coloreque ad cinereum accedit, laminatim cohæret, compactus inſuper glaber & levis exiſtit. Nonnullos etiam diverſæ magnitudinis equus ruffi coloris, qui pro Xenodochii uſu alebatur, Anno 1662 per alvum egeſſit, absque ullo prægreſſo vel concomitante equi incommodo. Horum calculorum unus non quidem magnitudine conſpicuus, ſtructura tamen commendabilis erat. Lævigatiſſima enim ejus erat glabrities, ac ſi ab arte inducta eſſet, inſtar ceparum inſuper tuniculatus, ſive lamellis ſibi ſuperimpoſitis præditus, coloris ex pallore candicantis, eleganter compactus, non ſabuloſus, non tartareus, friabilisve, ſed durus, raſilis tamen & pulveriſabilis, figura nonnihil oblongus, ſex tamen angulis, uno ſuperiore, inferiore, anteriore & poſteriore, duobusque lateralibus ſibi oppoſitis inſtructus, pondere ſaltem drachmas tres & grana viginti quinque continebat.

Diffractus exiguum in centro ſilicem cum laminarum pulchra ſtructura, coloremque paululum obſcuriorem illo, qui in ſuperficie conſpiciebatur, non minus tamen ſplendidum oculis exhibebat. Item ſpadiceo colore præditus cujusdam Mercatoris equus tres calculos per guttur inferius depoſuit ſubrotundos, cinerei coloris, nitidos politosque, horum major unciam unam, drachmas tres ac viginti quinque grana, medius unciam unam cum undecim granulis, minor ſex drachmas & grana ſeptendecim ponderabant. Tandem Civis Auguſtani equus ſpadicei coloris, inſignes aliquot Hippolithos diverſis vicibus per alvum, non ſine dolore, quem ſcilicet fortis calcitratio, quæ excluſionem comitabatur, indicabat, emiſit, figura rotundi æmula, colore cinereo conſpicuos. Horum unus octo uncias, drachmam unam, ſcrupulos duos & grana quatuor, alter uncias itidem octo ſcrupulosque duos cum dimidio, tertius novem uncias atque ſex drachmas ponderabant, ultimus hic ſtudio a poſſeſſore diffractus parvulum intus ſilicem exhibuit, fundamentum præbentem ſubcreſcentibus ſibi lamellis, quæ eleganti ordine, in medio cumprimis calculi, diſpoſitæ conſpiciebantur. Colorem intus oſtendebat nonnihil obſcuriorem, ac in exteriore parte apparebat; ſubſtantiæ erat homogeneæ, nullis viſui ſe offerentibus ſcybalis, aut heterogenea re alia; ſplendore inſuper radians, odorem, dum particulæ ab eo decutiebantur, urinoſum exhalans, ſtercoracei tamen quid admixtum habentem, eoque ipſo de ſuo natali teſtantem. Urinoſum etiam ſpirabat, cum in pulverem tritus vivo carboni inſpargeretur. Præfatus autem equus, poſtquam novem menſium decurſu lapideos iſtos fœtus diverſis vicibus edidiſſet, concidit tandem, exenteratusque poſt mortem, ingentis molis lapidem, una cum minore alio, in inteſtinorum aliquo, ea parte, cui lapis inhærebat,

nigreſcen-

nigreſcente, mortis autorem exhibuit. Qui ſtatera examinatus libram unam ponderis civilis, drachmas tres, ſcrupulum unum pendere obſervatus fuit &c. Omnes tamen hactenus allegatos Hippolithos absque dubio ſuperat ille, cujus in Ephemeridibus Gallicis Friderici Nitzſchii *Anno 1668. Menſ. April. pag. 845.* mentio fit. In corpore ſcilicet equi cujusdam Hiſpanici caſtrati, tredecim aut quatuordecim annorum repertus fuit calculus, cujus pondus erat quatuor librarum, cum quatuor unciis & dimidia, figura rotunda & aliquantulum plana; Craſſities ſecundum diametrum maximam quinque, ſecundum vero minimam quatuor digitorum erat. Olivæ colorem habebat, ad fuſcum nonnihil tendentem, maculis nonnullis, ſangvinis coagulati rubedinem referentibus, interſperſis, venis etiam & undulis albicantibus pariter atque nigricantibus circulariter radiabat, & tandem adeo politus, ut objectorum reflecteret imaginem. De hoc calculo equino vid. etiam *Act. Erudit. Lipſ. An. 1682. Menſ. Nov. p. 344.* Et *Journal des Scavans Ann. 1668. Tom. II. pag. 55.* Caſp. Th. Bierling. *Theſaur. Obſ. III. p. 29.* Balthaſar Conradinus in diſſecti ſæpius ægrotantis equi ventriculo vidit globum lapideum capitis magnitudine, pulcherrimum Alabaſtrum æmulantem. v. Phil. Jacob Sachſ. *de mirand. Lapid. Natur. p. m. 95. item Gammarolog. Lib. I. cap. 14. p. 299. ſeq.* Lapidem bezoardicum Moguntiæ in generoſo equo ſua ætate inventum eſſe, ait Johannes Daniel Horſtius *Phyſ. Hippocrat. Diſſert. VII. §. 8. p. 48. ſeq.*

§. 5.

In Ducatu Wirtembergico inſignis magnitudinis lapidem in aſino fuiſſe repertum, refert Caſparus Bauhinus *de Lapid. Bezoar. Cap. 14. pag. 72.* Calculum etiam fibroſo circumdatum reticulo, e muli ventriculo, extractum, qui haud aliter ac bezoardici lapides e lamellis ſibi invicem *In Aſino*

impoſitis

impoſitis & accretis erat conflatus, ſe vidiſſe recordatur Michael Bernhardus Valentini *Polychreſt. Exotic. Diſp. III. §. 5. p. 34.*

§. 6.

In Cervo

Calculos etiam in variis cervorum partibus repertos communicant Autores; in ſtomacho enim cervino duos lapides quorum quilibet uncias duas pendebat, ex Sylva Thuringica, ſe vidiſſe ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius, *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſerv. 246. pag. 439.* quo loco etiam alium calculum majorem pondere unciarum duarum cum dimidia Anno 1665 Heldburgii inventum fuiſſe addit. De lapide in cervæ ſtomacho reperto ſequentem obſervationem refert Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. Ann. 3. Obſervat. 78. pag. 174. ſeq.* Lapidem vel tartarum lapidoſum, ovum gallinaceum figura & magnitudine æquantem & drachmas ſex ponderantem, in cervæ globulo ferreo transfoſſæ ventriculo repertum, poſſideo e manu liberali ſylvarum Præfecti, Dn. a Frieſen. Rarum atque miratu dignum eſt, illud præprimis, quod fuerit ſacculo membranoſo vel veſicæ coriaceæ a natura incluſus, adeo quidem ut primo intuitu huncce juraſſes ſacculum caſtoreum officinale continentem. E corde cervino exemptos lapides vidiſſe Thomam Jordanum, ex ipſo allegat Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 87. p. m. 1118.* De lapide in corde cervi reperto inquit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. VI. Hiſt. 93. p. 365.* Nuper ex Norwegia lapidem ſecum attulit Illuſtris Vir, Dn. Owenius Bielcke, Regni Norwegiæ Cancellarius, quem Regio Muſæo ſubjectiſſime dicavit, ex corde cervi exſectum, globoſum, ſatis magnum & ponderoſum. Quantum vero conjectura aſſequor, pergit Bartholinus, globulum plumbeum in corde excepit cervus, & cruſtam tractu temporis calore & humorum viſciditate

lapideam

lapideam induxit, &c. vid. etiam ejusdem Bartholini *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt. 8. pag. 41.* De corde lapideo in cervi corde, vel potius ventriculo reperto, hiſtoriam refert David Reichius *M. N. C. Dec. II. An. 10. App. p. 73.* corculum ſcilicet ſaxeum, auriculis ab utroque latere, vel, ut ajunt, corona dotatum, in corde cervi repertum creditur, & quidem referente beate defuncto Domino Libero Barone Gotthofredo Albrecht de Zedliz, Hæreditario Caſtelli Polckenhain. Enim vero lapidem hunc in cavitate cordis cervini, prout prælaudato Baroni nunciatum fuit, repertum fuiſſe, vix eſt credendum. Primo enim ſubſtantia ejus communi lapidi rubeo fluviatili penitus eſt ſimilis, adeoque majorem fidem merens, ipſum in ventriculo cervi potius inventum eſſe, utpote in quem facile in prato ab eſuriente bruto deglutiendo potuit ingeri. Secundo, magnitudo ejus, ut ex ſchemate patet, cor cervi ferme adæquat, ita ut magis ipſum cor cervi lapideſcere debuiſſet, quam illum in altero ventriculorum ſuorum abſcondere, quorum prius omnem fidem ſuperat in foro phyſico. Calculum e cervi ventriculo, pugni majoris magnitudine, ſed cineritii coloris ſibi videre licuiſſe ait Michael Bernhardus Valentini *Polychreſt. Exoticor. Diſput. III. p. 34.* Non immerito huc etiam referenda videtur Hiſtoria de Ophilito ſeu de ſerpentis in cervi ventriculo petrefactione, cujus ex Athanaſii Kircheri Mundo ſubterraneo ex Phil. Jac. Sachſii *Gammarolog. Lib. 1. Cap. 8. §. 16. p. 177.* meminit. Audio, inquit Kircherus, Comitem Hanovienſem lapidem tenere ſerpentis in ſpiras convoluti formam exprimentem, intra cervi ſtomachum a venatoribus repertum, quod facile ſibi perſuadebit, qui cervum in ſerpentibus venandis naturam non ignorarit. Deinde addit laudatus Sachſius, quid de hoc ophilito audiverit. Retulerat ſcilicet ipſi per literas Martinus Chriſtophorus Mezgerus, Anno 1662 ſeſe a Lu-

berto Erbenio, Proto-Medico Exercituum Cæſareanorum inaudiſſe, Hanovienſem Comitem inveniſſe in transfoſſi cervi ventriculo ſerpentem petrefactum. Quam hiſtoriam cum Johanni Danieli Majori, rerum naturalium ſcientia flagrantiſſimo communicaſſem, Diſſertationem ſuam de Cancris & Serpentibus petrefactis edidit. Poſtea vero Salomon Reiſelius Archiater Comitis Hanovienſis, ſequentes circumſtantias Sachſio aperuit literis. Nimirum cervus ille Anno 1660 d. 8 Octobris, ab Illuſtriſſimo Comite Hanovienſi ſecundogenito Comite Johanne Philippo confoſſus, poſtquam in illius urbe Bobenhauſen, per aliquot annos in pomœrio & foſſa detentus fuerat, ubi ſæpiuscule ſerpentes prærepere viſi ſunt. Venationi & exenterationi cervi præſentes Comiti fuerunt Locumtenens Brunnerus & tres venatores, Georgius Asmannus Spergerus, Johannes Lachmundus, & tertii nomen ignoratur, qui viſum hunc ophilitum abalienare conatus fuerat. Delatus tandem in Muſæum Friderici Caſimiri, Comitis Hanovienſis, ob raritatem maximo æſtimatur pretio &c. Ibidem etiam *p. 179. ſeq.* Joſephi Burrhi judicium & Johannis Wolffgangi Cranzii ſententia de hac petrefactione, Videatur inſuper *Cap. 14. p. 299.* quo loco etiam lapidum in cervæ ventriculo & inteſtinis, item in vulva repertorum meminit. Dubia autem aliquot circa hanc Hiſtoriam cum Reſponſionibus ad eadem reperimus in Joh. Daniel. Majoris *Diſſert. Epiſtol. ad Sachſ. de Cancr. & Serpent. petrefact. p. 11. ſeq.* De lapide in cervæ vulva reperto ſcribit Plinius, quod partum cuſtodiat, vid. Thom. Bartholin. *de Inſolit. Partus Viis cap. 4. p. 31.* vid. etiam Conr. Gesner. *de Quadruped. fol. 386.*

§. 7.

Lacrymæ cervi an lapides?

Huc etiam referendæ videntur lacrymæ cervi ſive calculi illi parvi, nitidi atque læviſſimi, qui in nonnullis pharma-

pharmacopoliis loco dictarum lacrymarum proſtant, atque in cervorum angulis oculorum magnis poſt certum & quidem centum annorum defluxum ex materia quadam molli, inſtar ceræ vel ceruminis, aliis Autoribus lacrymæ dicta, in lapides indureſcere vulgo creduntur; Quam ſententiam imprimis defendit Julius Cæſar Scaliger *de Subtilit. ad Hieron. Cardan. Exercit. CXII. pag. m. 404.* inquiens: Cervi lacrymam, rem fortaſſe minus tibi notam, in noſtris Muſæorum theſauris habemus cariſſimam. Ante centeſimum annum in cervo nulla eſt, poſt eam ætatem accreſcit ad oculi canthum, ipſis oſſibus, atque in os protuberans concreſcit ea duritia, qua cornu ſuperet. Qua parte prominet, rotunda eſt, inſigni nitore, coloris fulvi, non ſine veſtigiis atriorum venularum; tanta lævitate, ut pene tactum effugiat; ita enim ſeſe ſubtrahit, ut propemodum ſe ipſum movere videatur. Alii has lacrymas in nucis juglandis magnitudinem procreſcere ſcribunt; referente enim Johanne Andrea Graba *Elaphograph. cap. 16. p. 217.* autumat Petrus Hiſpanus, quod cervus bibat tantum de aqua, quo caro ejus infletur & extendatur, a qua continui ſolutione ſuam ſenectutem renovet, novasque vires acquirat. Ab eo poſtmodum oculi illius lacrymis lente ſtillant, quæ in canthis oculorum ſtagnantes (nonnullis in humum delapſis) viſcedine ſua ab externo aëre coagulantur & in lapidem nucis juglandis magnitudine coaleſcunt. Poſtea ut cervus viſus impedimentum abſtergat, oculos arboribus affricat, deciduumque quærunt homines, cumprimis venatores, lapidemque bezoar appellant, quo medici deinceps, in venenorum expulſione, lapidis bezoardici loco multo precio, magno cum fructu aſſolent uti. Juxta Claudii Deodati *Panth. hygiaſtic. Lib. I. cap. 8. pag. 70.* Cervus ſentiens ſe ſenecta gravari, ſpiritu ſuo e terræ cavernis elicitos angves pedibus conculcatos & enervatos devorat atque

 inde

inde juveneſcit. Et ne illorum virus ipſis ſubſit, ad fontes aquarum accelerant, quibus ad labrum usque ſe immergunt, tunc oculis lacrymæ lente deſtillant, quæ viſcedine ſua in oculorum angulis coagulatæ, in lapidem nucis juglandis magnitudine coaleſcunt, quo medici in venenorum & febrium contagioſarum expulſione utuntur. Et *cap. 12. pag. 114.* inquit: Superius adduximus, cervos poſt abſorptos ſerpentes fontes fluminaque petere, quibus ſeſe capitetenus immergunt, donec obortis lacrymis virus illud e corpore discutiatur, lacrymæ autem oculorum canthis concretæ & quaſi lapideſcentes, temporis progreſſu, vel ad arbores affrictu, decidunt, &c. Inquit etiam Conradus Gesnerus *de Quadruped. fol. 385.* Lapidis bezahar origo hujusmodi eſt: Cervus poſtquam cum ſerpentibus congreſſus, eas devoravit, ſiti correptus, præſertim in regionibus orientem verſus, ubi prægrandes reperiri conſtat: mox ſtagnum aut flumen aliquot quærit, in quod ſe immergat. Inde tamen in mediis ſitiens fluctibus non bibit: nam ſtatim concideret mortuus, ſi quid aquæ deguſtaret. Erumpunt autem interim lacrymæ ex oculis, quæ paulatim craſſeſcunt, coguntur & coagulantur, atque in caſtaneæ magnitudinem excreſcunt. Quas, poſtquam ex aquis evaſit cervus deciduas, homines obſervant & colligunt. Vel juxta verba Cardinalis Ferdinandi Ponzetti, experientia cognitus eſt ad omnia venenorum genera pollens lapis, quem vocant Kemne ſeu Bezar, colore citri ſplendens, odore vini; natus ex lacrymis cervorum. Infirmi enim ætate flumen quoddam ingrediuntur in oriente & ſtant in eo immerſi usque ad caput, donec emittant lacrymas, quæ frigiditate aquæ & aëris coagulatæ vertuntur in lapidem magnitudine avellanæ, qui exeuntibus a flumine decidit &c. vid. etiam Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Quæſt.* 67. p. 919. ſqq. Henr. Salmuth. in *Panciroll. Lib. II. p. 117.*

§. 8.

§. 8.

Aliis autem Autoribus ſola materia illa mollis, & viſcida pilisque intermixta, quam venatores noſtri ex interfectorum cervorum oculis colligunt, lacrymarum cervinarum nomine venire atque pro eodem ſcopo, ſcilicet contra venena adhiberi ſolet, ſiquidem contra ſerpentum ictus morſusque Scribonius Largus *Compoſit. medic. cap. 42. p. 89.* inter cognita ſibi remedia has lacrymas commendat, inquiens, ne cui ſerpentes noceant, habere incinctum oportet peucedanum vel cervi, quum captus eſt, in oculi angulo, qui eſt ad nares verſus, quæ inveniuntur ſordes viroſi odoris; Has Siciliæ venatores diligenter colligunt & habent in cincto propter ante dictam cauſam. Has ſordes ex patulis infra cervorum oculos foraminibus eruiſſe, & in ſolo papyri involucro bene olentes per ſeptennium illibatas ſervaſſe, inquit Johannes Langius *Epiſt. medic. Lib. II. Ep. 24. p. 597. ſeq.* Juxta Johannis Schrœderi *Pharmacop. med. Chym. Lib. V. Claſſ. 1. p. m. 821.* lacrymæ ſeu ſordes, quæ in oculorum angulis reperiuntur, velut cera indurata, odoris aliquantulum gravis, tandem fragrantis (lapis vulgo dicitur) ſiccant, adſtringunt, corroborant, ſudorem cient, ideoque adverſus venena, morbosque contagioſos quam ſumme celebrantur, ut vel cum lapide bezoar viribus certare dicantur. Lacrymarum harum aliquot fruſtula colore obſcure fuſca, conſiſtentia cerea, pilis immixtis referta dono liberali mihi impertita eſt Illuſtriſſima Saxoniæ Princeps, Sophia Eleonora, Celſiſſimi Principis ac Landgravii Haſſiæ Conjux. Et Johannes Andr. Graba *Sect. III. Cap. 5. p. 114.* Cervis, inquit, ſicuti bimis in capite cornua, ita & antiquioribus (juxta communem ſententiam) in oculorum angulis lacrymæ, *die Hirſch-Thränen*, ſeu ſordes, ut vocantur Scribonio, reperiuntur, velut cera aut gummis indurata odoris in principio aliquantulum gra-

Negatur

vis, tandem fragrantis, quæ ſucceſſu temporis ea duritie, qua cornua vincit, concretæ indureſcunt & quaſi lapideſcunt, unde quoque lapis vulgo dicitur, *der Bezoar oder Biſem des Hirſches.* Idem Graba etiam *pag. ſeq.* tales lacrymas non lapidefactas, cervo in Sileſia in Comitatu Pleſnenſi detrectas, qui cervus ante aliquot annos a Generoſiſſimo Comite Promnizio, ejus loci Domino captus fuerat, poſſediſſe Philippum Jacobum Sachſium a Lewenheim; aliasque lacrymas cervinas in Muſæo ſuo aſſervaſſe Johannem Michaëlem Fehrium, annectit.

Obſervatio Ante aliquot annos integra ſcatula ejusmodi lacrymis, e cervorum, in venationibus occiſorum, oculis, imprimis eorundem oculorum angulis majoribus a venatoribus ſucceſſive collectis plena, ab amico mihi donabatur, tanquam certiſſimum contra epilepſiam venatoribus familiare remedium, cujus effectum etiam aliquoties felici ſucceſſu expertus ſum. Sententiam autem de lacrymis in cervorum oculis in lapideam ſubſtantiam coagulatis alii quoque Autores ſuſpectam judicant; hinc Petrus Andreas Matthiolus *Comment. in Dioſcorid. Lib. V. Cap. 73. fol. m. 940.* ſcribit: Ajunt nonnulli in Orientali plaga cervos longo ſenio confectos ſerpentes devorare, quorum eſu (ſi vera ſcribunt) rejuveneſcunt. At veneni ſuperandi cauſa, ſerpentibus devoratis, in fluviorum aquis cervos illos mergi tradunt, capite tantum extra aquas exerto. Iis autem ſic permanentibus, humorem quendam lentum ab eorum oculis defluere, qui tandem ſolis ardoribus in lapillos inibi concreſcit, glandis imaginem referentes. Hic itaque lapis ipſis e fluminibus egredientibus, ab eorum oculis (ut ajunt) ſtatim decidit in humum, ubi ab iis facile reperitur, qui rem omni diligentia obſervarunt. Sed an hæc hiſtoria vel fabula dici mereatur, rerum naturalium ſtudioſis & peritioribus judicandum relinquimus. vid. etiam Jacob.

Primeroſ.

Primeroſ. *de Vulg. Errorib. Lib. IV. Cap. 36. p. 445.* & Paul. Amman. *Manuduct. ad Mater. medic. Sect. III. cap. 4. §. 4. p. 182.* Ita ſentit etiam Caſparus Bauhinus *de Lapid. Bezoar Cap. 7. p. 46.* lacrymas ſeu ſordes obſervari ad angulos oculorum, in cervis captis, certum eſt, venatorum teſtimonio edoctus, & oculis propriis fidem facientibus. An vero ratione motus & curſus in venatione id contingat, dubito. Poſſe quoque progreſſu temporis illas lacrymas in ſæpius perſecutis, & non captis cervis, vel etiam ex devoratis ſerpentibus & lacrymis, vi veneni protruſis condenſari non negarim, tot fide dignis atteſtantibus &c; quo loco plurima de his lacrymis adducit, *Capite* vero *8. p. 50.* ita pergit: Etſi lacrymas vel ſordes in cervorum oculorum angulis inſtar ſordium aurium conglobatas, inſtar ceræ induratas & viroſi odoris ſæpius obſervarim, attamen in lapidis duritiem concretas hactenus videre non licuit &c. Quamvis etiam materiam illam ceream vel ceruminoſam, in cervorum oculorum canthis ſub nomine lacrymarum a venatoribus repertam, quandoque inſpiſſatam, duram & quaſi lapideam deprehendi, vel etiam calculi arenoſi in eadem inveniri poſſe concedamus, minime tamen tales ſordes illam a Scaligero deſcriptam rotunditatem, nitorem, colorem & lævitatem acquirent. Imo licet etiam juxta dicti Scaligeri ſententiam ejusmodi lacrymæ non niſi poſt centeſimum ætatis annum in cervis generentur, minime tamen omnes a venatoribus reperiri poſſent; unde quæſo! tanta ſic dictarum lacrymarum cervinarum, quales Scaligeri deſcriptioni accurate reſpondentes, in unico pharmacopolio noſtrate, loco verarum lacrymarum cervi, quantitas aliquot millium numerum aſcendens, per totum mundum colligi potuiſſent? Quapropter Scaligeri talismodi deſcriptas cervi lacrymas equidem lapides, non autem lacrymas lapidefactas eſſe

concedo

concedo. Plura de lacrymis cervorum vid. in Guidon. Panciroll. *Rer. memorabil. Part. poſter. Tit. III. p. 115. ſq.*

§. 9.

In Ariete Islandico

In arietis islandici ventriculo quinquaginta calculos ſeu tophos, ovo columbino æquales fuiſſe repertos, teſtatur, atque horum aliquot in Pinacotheca ſua ſe ſervare ad Johannem Danielem Horſtium perſcripſit Thomas Bartholinus *Epiſt. med. Cent. III. Epiſt. 8. p. 36.*

§. 10.

In Capreolis

In capreoli, a Theodorico a Marwiz in venatione capti & exenterati corde calculus ſat magnus fuit repertus, quem depictum communicat *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 133. p. 336.* Inquit etiam Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 97. pag. 1126.* Silices quandoque in brutorum ventriculis videas eosque genuinos, quos non ibidem generatos, ſed cum potu deglutitos credere par eſt. Talem vidi in capreæ rumine animadverſum.

§. 11.

In Damis

In rupicapris ſeu capris alpinis, vulgo damæ dictis, præſertim in earum ventriculis, pilæ potius ſeu globi, quam lapides naſcuntur, qui etiam Ægagropili vel aliis Ægagropilæ audiunt, de quibus vid. Caſpar Bauhinus *de Lapid. Bezoar cap. 13. p. 67.* ubi inquit: in capris alpinis & quæ in Rhætorum & Valeſianorum rupibus vivunt, frequenter pila reperitur, verum in maribus tantum. Duas de his Ægagropilis conſcriptas Diſſertationes cum figuris æneis edidit Georgius Hieronymus Velſchius. Item ſuccinctam Diſſertationem de rupicaprarum interaneis & Ægagropilis ſcripſit Johannes Jacobus Harderus. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Append.* Juxta Olai Worm. *Muſæi Lib. 1. cap.*

Ægagropili

cap. 8. fol. 61. circa Novembrem in maſculorum ventriculis reperitur pila forma oblonga & compreſſa, trium transverſorum digitorum longitudinem vix ſuperans, aliquando cute coriacea nigra ſplendente, rugoſa obducta; aliquæ caſtaneæ colore, aliæ ſubcineritiæ, odore grato, aromatico, quia ex herbis odoratiſſimis depaſtis conflatæ, conſtantes maſſa ex herbarum depaſtarum fibris, pilos referentibus, pondere leves. Refert etiam idem Wormius, ſibi unam harum pilarum a Chriſtiano Legard dono datam eſſe, quam Oeniſponto adduxerit, magnitudine mediocris ovi gallinacei, figuræ oblongæ ovalis, cruſta caſtanei coloris rugoſa obductam, internam maſſam ochræ fuiſſe coloris, fibris refertiſſimam, odore grato, levem admodum & fungoſam, non niſi drachmas tres cum ſcrupulo uno pendentem, licet longitudine fuerit, unciarum duarum cum ſemiſſe & craſſitie unciæ unius ſemis. Licet etiam Ægagropilæ revera lapides non ſint, ſed minus accurate ita vocentur, hinc etiam Germanis non *Gemſenſteine*, ſed *Gemſenkugeln* audiant, lapidibus tamen easdem quoque annumerari poſſe, defendit Georgius Hieronymus Velſchius *de Ægagrop. Diſſert. I. pag. 4. ſeqq.* Hinc etiam Lucas Schrœckius *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 173. p. 339. ſeq.* easdem lapides nominat, quam varia, inquiens, corpora contineant hi lapides, paſſim ex Autorum conſtat relatione; & ipſe plura, eaque inter carbones, lapillos varios dactylorum nucleos, &c. ex præſtantioris notæ lapidibus collegi. Scilicet cervicapræ cum alimentis varia ſi deglutiant, ventriculi actionem & concoctionem eludentia, vel difficilius ſubeuntia, ſicque moram inibi aliquam hæc trahant, a chylo lapideſcente facile incruſtari poterant. Singulare imprimis eſt, quod nuper in hujusmodi lapide inveni, Ægagropila nempe, ſive concrementum vegetabile fibrillarum craſſiorum & tenuiſſimarum

ac pappoſarum, non mediocri tamen pilorum fuſci coloris intermixta quantitate; cujus odor aromaticus noſtras Europæas exacte æmulatur. Et hanc pilam, loco cruſtæ chyloſæ, in plurimis aliis Ægagropilis reperiundæ, lapidoſus ille cortex, ex aliquot lamellis conſtans, badzahardicas undique incingit; qui ipſe magnitudine & figura anacardinum fructum fere repræſentat, pondere ſcrupulos quatuor æquat, e nigro vireſcit, inque parvas protuberantias coagulatus eſt, totidem quaſi glandulas conglomeratas exhibens. Hunc vero meum lapillum, pergit Schrœckius, eſſe genuinum, tum ejusdem in lamellas concretio, tum color virideſcens, quo cretam chartæ ſuperinductam fricando tingit, perſvadere poſſe, mihi videtur; ut taceam, minus credibile eſſe, tale corpus non minus pretioſum, Ægagropilam nempe, a deceptoribus ad fraudem peragendam adhibitum iri. Præter hos autem damarum globulos calculi etiam in damæ cerebro reperti meminit Chriſtianus Menzelius *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 33. p. 76.* inquiens: exhibuit mihi Johannes Henricus Tonnenbinderus calculum in cerebro damæ repertum, quem ante ſex vel ſeptem annos ex Ungaria miſerat Berolinum David Spilenberg, fabam majorem craſſitie, magnitudine & figura ferme referentem. Totus ille candicat & tenui cuticula eſt inveſtitus, altera extremitate parum aſper, parvis nempe tuberculis obſitus; intus ſubſtantia penitus eſt alba inſtar cretæ aut gypſi, cujus naturam habere videtur &c. Tales quoque calculi ſive colliquamenta quaſi cretacea, juxta Lucæ Schrœckii *Schol. in eandem Obſervat. p. 77.* nonnunquam in rupicaprarum ventriculo reperiuntur, ſi venatoribus, illisve, qui Ægagropilas ad nos quandoque adferre ſolent, Alpium incolis fides eſt adhibenda, qualem lapillum ſe ex amici dono poſſidere addit. Calculum etiam durum & quodammodo oſſeum, ſolidum,

nec ulla cavitate præditum ex rupicapræ omento exciſum delineat Gregorius Hieronymus Velſchius *de Ægagropil. Diſſert. II. p. m. 12.* Et idem Schrœckius *l. a.* duos quoque calculos, itidem ex omento rupicapræ exciſos inter curioſa ſua ſervare ait, unum ſcilicet rotundum, pellucidum, glabrum, flavedine paululum tinctum, grana tria pondere parum ſuperantem; alterum itidem rotundum, ejusdem cum præcedente coloris, non ejusdem tamen pelluciditatis, ex laminulis laxius cohærentibus compoſitum, & undecim grana ponderantem.

§. 12.

In porcis, & quidem utplurimum in illorum veſica, interdum etiam in umbilico & aliis partibus, reperiri calculos teſtantur laniones. Talem calculum in porci veſica repertum, oblongum, ſcabrum, pondere ſex unciarum cum quinque drachmis, ſe a Sereniſſima ſua Principe Magdalena Sibylla accepiſſe, ait Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 246. pag. 438.* quo loco etiam calculi ovalis figuræ & magnitudinis a Præfecto Schwarzwaldenſi in porci cujusdam umbilico reperti, pondere unciæ unius & ſcrupulorum duorum meminit, qui ſpongioſus eſt & rarioris texturæ, facile friabilis, compagem tamen eleganter ſervans. De lapide e ſuis veſica exempto, lamina gryſea vel ſubviridi amicto, vid. Joh. Michael. Fehr *de Scorzoner. pag. m. 142.* Tales binos lapides, tam candidum, quam flavum in binis porcis in una ſeptimana Anno 1665 lanio in porcis caſtratis invenit Vratislaviæ, teſte Philippo Jacobo Sachſio a Lewenheimb *Gammarolog. Lib. I. cap. 14. §. 6. p. 295.* Pariter etiam in exitu veſicæ apri ſylveſtris, nonunquam etiam porci domeſtici caſtrati, ex urina coagulatum inveniri, lapidem flavum & ſubpallidum, magnitudine fabæ, a venatore quodam & coquo principis demonſtratum, vidiſſe Encelium, ibidem refert

In Porcis.

refert Sachſius. Binos equidem lapides porcinos poſſidet pharmacopœus noſter Palæo Dresdenſis, nomine Dn. Knochenwebelius, alterum ſiliceum, oblongum, albiſſimum, & fere oviforme, unciarum duarum cum duobus ſcrupulis, Ottranti a lanione, Chriſtiano Pauſt dicto, die 20 Martii Anno 1712 in magni nimisque pingvis porci, per aliquod tempus extraordinarium & inſolitum vicinisque timorem injicientem grunnitum vel clamorem edentis veſica reperit; alterum vero ad pollicis articuli primi magnitudinem longum & latum, triangularem, ſubalbidum, non autem ſiliceum; ſed quaſi tartareum, & drachmas duas cum ſcrupulo dimidio pendentem e porci umbilico deſumptum. Item in ductu urinario porci lapidem quendam, magnitudinem caſtaneæ fere adæquantem, repertum inter rariora ſua ſe reſervaſſe, ſcribit Guilielmus Fabricius Hildanus *Obſerv. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 24. fol. m. 308.* Lapidem etiam figura & magnitudine columbinum ovum referentem, colore griſeum aut cinereum, ſabulisque parvis ac pellucentibus interpunctum Jacobo Vercellono Anno 1710 obtulit Philippus Antonius Caſtinellus, qui eundem in veſica ſuis domeſtici repertum ajebat. Villicus autem, a quo lapis ille provenerat, Vercellono retulit, reperiſſe ſe eum in veſica ſuis rugoſa, quoad externam faciem, ſecundum internam autem plana, cæterum autem valde extenuata; ideo vero ad animal hoc mactandum ante præſtitutum tempus, compulſum ſe fuiſſe, quod indies magis magisque graciIeſceret, & metuendum fuerit, ne pro larido aridum adipiſceretur. De lapide dactyliformi ponderis drachmæ unius ſemis in vulva ſuilla atque per microſcopium inſtar gemmarum ſplendente, vid. Sylveſtr. Boccon. *Curioſe Anmerkung. pag. m. 448.* De calculis porcinis amnion perforantibus, vid. Vit. Riedlin. *Millenar. Curar. Med. 656. p. 408.*

§. 13.

§. 13.

De illo autem lapide porcino, qui vulgo Mercatorum Pedro Porco, Piedra Porcas, Pedra de Porcas, Pedra del Porco, Luſitanis Piedra del Puerco, item juxta Garz. ab Hort. *Hiſtor. Aromat. Lib. 1. cap. 46.* in Carol. Cluſ. *Exotic. fol. m. 217.* Pietra di Malaca ſeu Lapis Malacenſis audit; de quo allegatus Autor ſcribit: hunc lapidem unice venenis reſiſtentem in Malaca inveniri tradunt: ſaltem in Pam Regni Malacenſis provincia. Sciendum autem, hunc lapidem non tam ex ſuibus & porcis noſtratibus, vel apris ſylveſtribus, quam ex Hiſtrice, quæ erinaceis magis ſimilis eſt, atque a nonnullis porcus marinus, item porcus ſpinoſus, Hiſpanis, juxta Caſp. a Reis *Camp. Elyſ. jucund. quæſt. 67. n. 37. p. m. 919.* Puerco Spin, Germanis *Stachel-Schwein* vocatur, deſumi ſolere. Varia autem circa hunc lapidem conſideranda veniunt, exempli gratia, locus generationis, color, ſapor, virtutes & pretium, uti ex Autorum verbis liquet. Inquit etiam Garzias ab Horto *l. a.* invenitur hic lapis in Regni Malacenſis provincia Pam, in felle Hiſtricis: ſed tanta eſt in æſtimatione apud ipſos indigenas, ob raritatem, ut e duobus, qui ſimul reperti meo tempore fuerunt, alter pro ingenti munere miſſus ſit ei, qui pro Rege Luſitaniæ Indiam gubernat. Et licet iſthic frequens lapis bezoar inveniatur, hunc tamen longe præferunt incolæ. Unum duntaxat vidiſſe memini, cujus color dilutioris videbatur purpuræ, guſtu amaro, tangenti lævis & lubricus, quemadmodum Gallicus Sapo. Idem refert etiam Joannes Fragoſus *Medicam. Indic. Hiſtor. cap. 10. pag. m. 14. b.* Invenitur, inquiens, in Malaca lapis venenis reſiſtens, qui tanta eſt in æſtimatione, ut e duobus, qui ſimul reperti fuerunt, alter pro ingenti munere miſſus ſit Pro-Regi Luſitaniæ. Naſcitur in felle Hyſtricis, cujus color vergit ad purpureum. In felle porci lapidem iſtum reperiri, unde

Lapis porcinus in hiſtrice

& Luſitanis vernacula lingua Petra di Porco, id eſt, porci lapidem dici, ſcribit Johannes Hugo Linſchot *in Navigat. in Indiam Orient.* ubi etiam, quod dictus lapis lubricus ſit, & Gallico ſmegmati ſimilis, idem aſſerit. Etenim uſu ita exigente, inquit, lapidem in aquæ pelvim injiciunt: quo poſt aliquot tempus exempto, aqua amaritudinem contrahit, omnemque veneni vim tollit, ut experimentis eſt cognitum. Juxta Nicol. Tulpii *Obſerv. med. Lib. IV. Cap. 51. p. 383.* lapis porcinus ſive Malacenſis, quem in Hyſtrice ac apro inveniri aſſerit Jacobus Bontius, quantum forma ac colore bezoardico inferior eſt, tantum uſu eundem exſuperat. Quicquid enim emolumenti pulvis bezoardicus ſemel duntaxat, id ipſum lapis porcinus plus centies corpori impertitur. Quoties enim liquori alicui per horam ſolummodo immaceratur, toties eandem vim illi communicatum it, idque cum tam exiguo ponderis decremento, ut vix animadvertas ipſum imminui a frequenti uſu. Liquor autem ipſius licet aliquantum amaricet, ingratus tamen nequaquam eſt, daturque facillime potui delicatis corporibus ac teneræ puerorum ætati, convenitque maximopere febri malignæ, morbo comitiali ac variolis, cum ob ſudorem, quem elicit, tum quod malignitati adprime adverſetur. De ejus virtute in febribus malignis, vid. Freder. Dekkers *Exercit. pract. cap. VII. p. 591.* contra anxietatem præcordiorum *ib. Cap. VIII. p. 668.* v. etiam Caſp. a Reies *l. a.* Andr. Cæſalpin. *de Metallic. Lib. II. cap. 46. p. 136.* De hoc lapide ſequentia recenſet Engelbertus Kæmpfferus *Amœnitat. exoticar. Faſcicul. II. pag. m. 393.* Pedra de Porco, ſive lapis hyſtricus coagulum eſt biliofum, rotundum, compactum, utplurimum nucis myriſticæ vel juglandis magnitudine leve, coloris rufi, ſubſtantiæ quodammodo unguinoſæ, ſaporis ſubtiliſſime amareſcentis. Reperitur in veſicula biliaria hyſtricum, terræ Malaicæ, unde a Gar-

cia

cia ab Horto ſub titulo lapidis Malacenſis deſcribitur. Tales a Sylvatico Maſatios, ab aliis Acherones vocari teſtatur Aldrovandus. Hoc coagulum bovino longe ſui pretio ac virtutibus antecellit, prout bezoar orientalis occidentali dicto, vel aurum cupro præſtat. Rarius enim generari accidit; quod ipſum, imprimis, præter eximias & præſentiſſimas facultates, pretium ejus extollit, ut in ditiorum duntaxat & principum Nigritarum manibus verſetur, qui illud ſphæris aureis argenteisve armari curant, adnexa ex eodem metallo catenula, cujus adminiculo tractari valeat. Uſus ejus eſt, ut ſuſpendatur per horas aliquot, vel una alteraque vice agitetur in hauſtu aquæ communis; quem, vix grani pondere imminutus, amarore imbuit. Hauſtus, ita præparatus, habetur ſumme cordialis & alexipharmacus, tum in ictero, febribus putridis malignisque & in quibuscunque viſcerum obſtructionibus medicamentum efficaciſſimum. Novi Bataviæ, qui, poſthabitis medicis, quicquid ſibi ægritudinis accidebat, hoc ſolo eliminare remedio ſatagebant. Hyſtricem hanc, utut in multis aliis Aſiæ regionibus, in Africa etiam, & in his Caucaſiis montibus invenerim, in ipſa tamen reperiri lapidem nunquam cognovi. Ruſticus Buguno a me venatum dimiſſus, cum ab hyſtrice ſura vulneratus rediret, pinnum, quem in ipſum beſtia exploſerat, mihi offerens, a præſente patre edentulo ac grandævo monebatur, nullam impoſterum negligeret hyſtricem, quin ſectione prius exploraverit, an lapidem ferret; quem noſſet aliquando hic inventum fuiſſe incredibilis pretii. Ibidem etiam adjecta Tabula exhibet allegatus Kæmpfferus lapidem Malacenſem, qui cinctu liberatus, pendet aureos quinque cum dimidio, emptus a poſſeſſore (Ill. Dn. Generali de Camphuys) trecentis Joachimicis. De hujus lapidis pretio ſcribit etiam Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog.*

Lib. I.

Lib. I. cap. 14. §. 7. p. 296. hodie in Belgio & Viennæ, ubi Pietra di Porco dicitur, aliquot centenariis florenorum æſtimatur.

§. 14.

Semmedi verba

Prolixe etiam de hoc lapide hyſtricis, Pedra de Porco dicto, agit Joannes Curvus Semmedus *Hiſtor. varior. ſimplic. Exoticor. pag. m. 12. ſeq.* in quo cum varia notatu digna occurrant, pace Domini Autoris & Translatoris, ipſius verba hic inſeram, ſcilicet lapis hyſtricis verus eſt unus ex optimis antidotis, quæ ex India veniunt, uti docent partim effectus, quos edit, optimi, partim pretium, quo venit, maximum, quoniam unusquisque horum lapidum, magnitudine olivæ mediocris, conſtat minimum mille reis. Inter virtutes, quas dictus lapis poſſidet, præcipua eſt, quod ſit egregium antidotum contra febres malignas; ſignum, quo cognoſcimus, eundem eſſe verum & genuinum, eſt, quando idem immiſſus aquæ per horæ quadrantem, eam reddit extreme amaram; & quo magis aqua ab eo fit amara, tanto excellentior eſt lapis. Exhibentur illius infuſi tria vel quatuor cochlearia pro doſi. Notandum autem, quod aqua, cum qua fit infuſio, debeat eſſe pura, nec infuſum hoc cum alia aqua miſceri. Solent quidem chirurgi aliique imperitiores, per errorem, infuſum illud diluere affuſa nova aqua, ad moderandum ejus calorem & amaritiem, cauſam interſerentes, lapidem, ob naturam ſuam calidam, talem temperaturam requirere. At illi miſeri, & in luce meridiana cœcutientes homines non advertunt, quod ea proportione, qua deſtruunt amaritiem, debilitent atque tollant virtutem hujus infuſi. Inde autem fieri ſolet, ut, quum ægris vitam ſervare ac vim febris vincere potuiſſent, ſi infuſum hoc purum, integra virtute & amaritie præditum, exhibuiſſent, fruſtratos ſe ſentiant, ægrosque morte captos, dato, dilutiore. Non tamen

hi

hi tantum errant, qui temperant infuſum lapidis porcini, ad imminuendam amaritiem, & naturam ejus calidam corrigendam; ſed alium inſuper committunt errorem, longe pejorem ii, qui, perterriti auſteritate hujus infuſi, ob quam lapis porcinus naturæ eſt calidioris, non audent dare plus, quam unicum cochleare ejus infuſi pro doſi. Non attendunt illi, quod quantitas illa exigua ſit remedium prorſus inſufficiens ad vincendos morbos adeo exitioſos, quales ſunt febres malignæ. Ego propterea nunquam propino minus, quam quatuor cochlearia hujus infuſi, pro doſi; & novi plures, ad quos, febre maligna laborantes, vocatus ſum eo tempore, quo jam tum inuncti & in agone conſtituti fuerunt, quos, exhibitis tribus unciis hujus infuſi, a morte liberavi &c. Hunc lapidem etiam Paulus Barbette *Tract. de Peſte p. m. 238.* in dicto malo commendat, valde, inquiens, in cordis anxietate prodeſt lapillus ille, qui ex orientali India advehitur Pedro Porco dictus. Qui eum in ordinario potu parum temporis detinent, multum præſtabunt: nam valde ſudorem expellit, & cor reficit. Lapis hic, ni fallor, in veſica fellea porcina generatur, inſigni enim amarore præditus eſt, durus equidem, ſed quavis vice aliquid ſubſtantiæ amittit, quod etiam color indicare videtur.

§. 15.

Ad hunc autem Pauli Barbette locum Johannes Jacobus Mangetus in Notis ſuis ita ſcribit. Lapis porcinus, de quo Barbette loquitur, non tantum reperitur in veſiculis fellis porcorum Malacenſium, ſed etiam in ventriculis eorum, qui pinnas oblongas & acutiſſimas habent, qui altiſſima ſcandunt & herbis ſingularibus veſcuntur. Lapis hic eapropter peſti convenit, quod ſit medicamentum diaphoreticum inſigne; injicitur ſcilicet aquæ, vino, cereviſiæ &c. per horulæ ſpatium, & ſic infuſus liquor bibi- *In Ventric il*

tur, qui quo amarior, eo etiam potentior exiſtit. Prægnantibus non bene datur, nam abortum provocare certum eſt, adeo ut fœminæ Malicæ, ſi quando menſtrua purgatio non bene procedat, dicant, ſi ſaltem hunc lapidem manu geſtent, juvamentum ſe inde ſentire. Valde autem pretioſus eſt, ſinguli veniunt centum, imo ducentorum interdum imperialium & etiam ultra, ratione magnitudinis. Inquit etiam Mauritius van Reverhorſt *Diſſert. de Motu Bilis circular. §.57.pag. m. 48.* ſe non facile adduci ut credat, Petram del Porco ex veſica fellea aprina oriri, utpote in aquam projecta minime eidem ſupernatet, ſed fundum petat, cum contra calculi ex veſica fellea orti, igni admoti, flammam non tantum concipiant, ſed & in aquam projecti minime fundum petant, ſed eidem ſupernatent propter bilis particulas oleoſas, hos lapillos componentes. In Henr. Oldenburg. *Act. Philoſophic. Anglican. An. 1666. Menſ. Mart. pag. 337.* ventilatur etiam Quæſtio: Utrum in Malacca creſcat aliquando lapis in ſtomacho peculiaris cujusdam ſpeciei Porcupini, dictus Piedro Porco, qui propter ſuam corroborantem virtutem lapidi bezoar antefertur. Pro hac ſententia, ſcilicet talem lapidem in hyſtricis ventriculo generari poſſe, pugnare etiam videtur, quod, ſecundum hactenus adducta exempla in variorum quoque brutorum, v. g. taurorum & vaccarum, equorum, mulorum, cervorum, arietum, caprearum, damarum item porcorum communium &c. ventriculis, varii lapides reperti fuerint. Cum autem ſimul in horum animalium veſiculis felleis ſæpius calculi deprehendantur, & quidem interdum talismodi, qui in aqua non ſupernatarunt, ſed ad fundum deſcenderunt, ut adeo exinde nullum certum ſignum peti poſſit, potius hoc in paſſu & circa hanc petram porcinam, amarities, tanquam verum lapidum felleorum, ſeu in veſicula bilis

generato-

generatorum, ſignum, obſervanda erit. Unde etiam Michael Bernhardus Valentini *Polychreſt. exoticor. Disput. III. de Lap. porcin. §. 5. p. 34.* ad Mauritii Reverhorſt argumentum de non ſupernatatu lapidis ita reſpondet: Probabile equidem videtur eſſe, & lapidem porcinum in ſtomacho magis, quam felleo folliculo generari. Aſt aliud docet manifeſta illa amarities, quam & ipſe lapis & infuſio ejus præ ſe ferunt, quæ eundem e bile, quocunque demum modo, coagulata & cum aliis particulis volatilibus in calculum indurata, generatum eſſe adſtruit. Neque enim proba illa, qua, an calculi revera ex veſicula fellea prognati ſint, inquirit Reverhorſtius, perpetua videtur eſſe, cum mihi ad manus ſit calculus, e fellea veſicula mulieris cujusdam Offenbachii Anno 1656 extractus & a Sebaſtiano Scheffero in *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. in Analect. ad An. 3. p. 284.* in figura æïnea depictus & deſcriptus, qui pariter aquæ non ſupernatat. Econtra maſſæ hujusmodi in aliis viſceribus generantur, quæ aquæ innatant, ut Ægagropilæ ad oculum oſtendunt. Ut taceam duplicem reperiri lapidem porcinum, verum & ſpongioſum, qui aquæ ſemper ſupernatat, & ſpurium graviorem, qualem Francofurti haud ita pridem penes Dn. Vitum Haſſum, ex India orientali nuper reducem, obſervare licuit, in quem forte incidit Mauritius Reverhorſt. Vera ergo Petra porcina eſt lapis ſpongioſus in veſica fellea generatus, carnei vel potius parenchymati hepatis haud abſimilis coloris, ſaporis amariſſimi, tactui lubricus, ſaponis inſtar, occurrens, licet quaſi ſquamatus ſeu potius foveolis quibusdam inſtar veſtigiorum a variolis relictorum, præditus. Hic veſicula quadam ſeu tunica exteriori, dum primum ex India & in ſpecie ex Pam Regni Malacenſis adfertur, eſt obductus, quæ nihil aliud eſt, quam folium tenuiſſimum, glutine quodam artificioſiſſime adhærens, quod

infuſione aut maceratione, in aqua ſimplici, aut alia deſtillata calefacta, diſſolvitur & ab eo ſeparatur, ſicut id curioſe adhuc ſibi ſervat Fridericus Deckerus, Practicus Lugdunenſis, qui non ſine fœnore eo quotidie utitur: pro unica enim ejus infuſione duo nummi unciales ſunt ſolvendi, ut Mercator quidam in literis die 28 Martii Anno 1698 e Batavia ad Dn. Scipionem, pharmacopœum Giſſenſem, datis, refert, quæ in vernacula ita ſe habent: Petra Porcas *iſt ein ſpongioſer Stein, wird in wenigen Oſt-Indianiſchen Schweinen gefunden: Sind von Gröſſe, als eine dicke Nuſs; In Gold laſſen ſie hieſige Droguiſten faſſen, vor iede 24 Stunden auszulehnen, nehmen ſie ein Ducat: Wird von groſſen Kauffleuten gebraucht.* De ſpuria petra de Porco ita ſcribit Engelbertus Kæmpfferus *Amœnitat. exoticar. Faſcic. II. p. 395.* in hoc genus coaguli in Ceylana incidi, priori quodammodo ſimile, ſed nigrius, informe & pilis permixtum; de quo easdem prædicabant virtutes, ſed debiliores, tametſi majori doſi propinetur. Dicebatur inveniri in hyſtricum ſuæ terræ ventriculis, prodereque beſtiam crebro ructu ac vomitione latitantem lapidem. Ex quo conjecturare liceat: expreſſam bilem, dum in ventriculum redit, a lana illic hoſpitante & vomitum concitante imbibi & cum ea concreſcere. Porcum ſpinoſum etiam in capite lapidem bezoardicum habere, refert Johannes Tavernier *Itinerar. Indiæ Lib. 2. c. 24. fol. m. 143.* Paria de lapide in felle hiſtricis ejusque ſuſpectis virtutibus. vid. Otton. Tachen. *Clav. c. 9. p. 205.*

§. 16.

In Leone Referre huc etiam placet pilas ſive coagulum leonis, ſcilicet quemadmodum in ventriculo vaccarum quarundam & aliorum brutorum generatur maſſa magnitudine mali aurantiorum exigui; ita ſecundum Joannis Curvi Semmedi *Hiſtor. Simplic. exotic. pag. 47.* in ventriculo quo-

rundam

rundam leonum reperitur globulus ſive concretum, magnitudine ovi. Infuſum hujusmodi globi, cum aqua vel vino paratum, vel etiam pauxillum pulveris iſtius, mulieribus in partu difficili datum, partum in momento cum ſecundinis pellit, provocatque pariter efficaciſſime fluxum menſium.

§. 17.

In ventriculis etiam elephantum annoſiorum ſæpius reperiuntur maſſæ aut globi, magnitudine ovi gallinacei, qui lapis aut potius coagulum non minoris eſt efficaciæ, quam excellentiſſimus bezoar, quem India nobis dare poteſt, uti refert modo allegatus Autor *l. c. p. 47. ſeq.* ubi pergit: diſſimulari non debet, eundem lapidem inſignem habere amaritiem, at ea ipſa eſt ſignum bonitatis. Doſis ejus, qua propinatur, eſt ſcrupulus ſemis, ad grana ſedecim, miſtus cum unciis quatuor aquæ carduibenedicti, vel papaveris; quo aſſumpto æger diſponat ſe ad ſudorem: Probatiſſimum eſt remedium in torminibus ventris, febribus, doloribus hypochondriorum & hepatis obſtructionibus. De lapidibus ex dentibus elephantis hanc Obſervationem recenſet Georgius Hieronymus Velſchius *Obſerv. phyſ. medic. Hecatoſt. I. Obſ. 3. p. 5.* Catarrhum in dente elephantis lapideſcentem Johannes Zecchius Ulyſſi Aldrovando dono dedit, qui ſatis longus in Muſæi ornamentum repoſitus nullum hucusque uſum habere compertus eſt. An aliquem habere poſſit, dubitare præterea licet. Excrementa enim ſanguinis ſunt quæ catarrhos producunt. Habuit tamen Johannes Ludovicus Guetius rotundiorem lapidem, non a catarrho, ſed alia quacunque cauſa genitum, quem magni æſtimabat, variisque affectibus ebore ipſo longe præſtantiorem credebat &c.

In Elephantibus.

§. 18.

In Agno In agno & lupo, ſummis adverſariis lapides reperiri, teſtantur Autores; Silices enim & bene multos, & ſatis grandes ex ventriculo agni exemptos ſe habuiſſe refert Thomas Bartholinus *Epiſtol. med. Cent. III. Epiſt. 8. pag. 37.* *In Ovibus* De lapide ſeu globulo magnitudine nucis juglandis in ovis ventriculo reperto, vid. Muſ. Wolffian. *p. 64.*

§. 19.

In Caſtore In caſtoris teſticulo repertum lapidem, forma lapidis bezoardici, pondere drachmarum trium & dimidiæ, in pharmacopæi Wittebergenſis Godofredi Nicolai Muſæo curioſo annotavit Chriſtianus Warlizius *A. 2.* Item de calculo avellanæ magnitudine in caſtoris teſticulo reperto vid. *Muſ. Wolffian. p. 64.* Anno 1647 menſe Majo, cum Theriacæ Andromachi & Mithridatii compoſitionem in ædibus Eſaiæ Fleſcheri, Pharmacopæi Hafnienſis primarii, adornaremus, atque inter reliqua caſtoreum depromeret miniſter, in ipſius caſtorei ſubſtantia & meditullio inventus eſt lapis planus, rotundus ferme, quamvis inæqualis, colore luteo, pondere drachmæ unius cum ſemiſſe, ſubſtantiæ gypſeæ, non admodum duræ, ſcribit Olaus Wormius *Libr. I. Sect. 2. cap. 11. fol. 73.* atque hunc calculum ex improviſo fractum lapidem caſtoris nuncupavit; & quia tales lapides in caſtoreo antea nec ipſe, nec alii præſentes Medici unquam obſervarant, inſtar rari alicujus inter reliqua aſſervandum putavit.

§. 20.

In Urſo De lapide urſino ibidem ita ſcribit dictus Autor: Huc referre licet lapillum mihi ex Norwegia transmiſſum a Nobiliſſimo Regni Cancellario, Jano Bielke. Hunc, dum urſum excoriarent, inter pellem & carnem repertum refert. Unde & urſinum voco lapidem. Durus eſt, ſolidus, ſaxeus, colore cinereo, maculis quibusdam flavis dotatus,

tatus, figura ovali hæmiſphærica, in altera parte in rotunditatem exuberans, ab altera planus & nonnihil concavus, magnitudine unguis pollicularis. An lapis hic in urſo generatus, an aliunde translatus dubitatum: In urſo generatum non eſſe, vel inde quis colligat, quod ejus generis in eo nunquam repertos apud Autores legamus; tum quod ſaxeæ ſit ſubſtantiæ & duritiei, cum plerique lapides in animalibus geniti tophacei ſint, aut tartarei. Glandem aut globulum ſclopeti plumbeum in lapidem converſum arbitratus Nobiliſſimus Bielkius. Sed nec globi habet figuram, cum altera parte non globoſus, ſed planus & compreſſus ſit, nec unquam obſervatum plumbum in lapidem converſum, ſive in animalibus, ſive extra. Arbitror vero, pergit Wormius, in defectu glandis plumbeæ, quendam invento hoc lapillo uſum fuiſſe in bombarda, ac eo urſum ita proſternere tentaſſe; ſed vel ob levitatem, vel figuram minus aptam, ad interiora penetrare non potuiſſe, in ſuperficie inter cutim & carnem hæſiſſe, ſine magno feræ incommodo, unde temporis progreſſu conſolidatum vulnus, & jam demum majori impetu proſtrato urſo, inventum inter cutim & carnem fuiſſe.

§. 21.

In ſimiorum ventriculis natos lapides teretes ac longitudinem digiti, aliquando excedentes, omniumque lapidum præſtantiſſimos, vidiſſe Jacobum Bontium, ex ipſius Tractatu de Medicin. Ind. refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 89. p. 1120.* Et Johannes Baptiſta Tavernier *Itiner. Ind. Lib. II. cap. 24. fol. m. 143.* inquit, tales lapides eſſe rariſſimos, atque in iis præſertim ſimiis, qui in Inſula Macaſſar vivunt, reperiri, obque virtutes ſuas magno ſæpe pretio vendi, quod quandoque pro lapide nucis magnitudinem æquante, centum Imperiales transſcendat. *In Simiis*

§. 22.

§. 22.

In Cane In canis veſica calculum libræ unius & dimidiæ pondere, figura caſei vulgaris ruſticani, jam ſupra *Cap. 3. §. 34.* ex Roſini Lentilii *Jatromnemat. pag.* 22. & *M. N. C. Dec. II. An.* 7. *Obſ. 136. p. 263.* Item *Dec. III. An. 5. & 6. Append. p. 99.* adduximus. Miniſtri cujusdam aulici canis fœminini ſexus, ex eorum genere, qui ſimos habent naſos, male habens ejulando quiritandoque corporis indiſpoſitionem prodidit. Sollicití hoſpites obſervant, ipſum in angulo cum dolore mingere, & hinc melius habet. In urina autem miſſa reperiebatur calculus una excretus, piſi magnitudine; hinc propinato ſæpius oleo lini, plures variæ magnitudinis fuerunt ſubſecuti, teſte Georgio Wolffgango Wedelio, qui illorum ultra quinquaginta, omnes fere ſiliceos, angulis obtuſis, & inter hos quinque majores, & maximum, ſcrupulum unum pendentem, reliquos grana octodecim, ſedecim, &c. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 23. pag. 40. ſeq.* Anno 1702 e veſica canis maſculi minimi, novem annorum, ſæpe cum doloribus & vehementi ejulatu urinam reddentis, poſt mortem extractus eſt calculus notabilis magnitudinis & ponderis tres fere uncias pendentis; exacte ſcilicet ad ſtateram examinatus æquabatur uncias duas, drachmas decem, ſcrupulum unum & grana duo. Subſtantia ejus dura ſatis, & compacta erat, color autem ſpadiceus ſeu cineritio-albus. Quoad externam figuram ovum gallinaceum magnum referebat, ovalis quippe ſeu elliptica forma ejus exiſtebat, cum obtuſioribus ac rotundioribus angulis ſeu extremitatibus. Longitudo pollicis inſtar extenſa, latitudo autem duorum pollicum transverſorum erat, profunditas ſesquipollicem transverſum æquabat. Superficies ex minutis lapillis invicem compactis ac coadunatis conſtans, aſpera & inæqualis minusque lævigata, inſtar cutis canis carchariæ ſeu

potius

potius Rajæ, ex qua manubria cultrorum confici ſolent, exiſtebat, referente Johanne Henrico Starckio *M. N.C. Dec.III. An. 9. & 10. Obſ.170. pag.301.* Calculi veſicæ canis reperiuntur etiam annotati in Muſæo Fuireniano in Thom. Bartholin. *Dom. anatom. p. 43.* De lapide catellii, magnitudine ultra quam nucis juglandis, formæ nec rotundæ, nec oblongæ, ſed utriusque, vid. Joh. Jacob. Leibniz. *Memorabil. Bibliothec. Norimberg. pag. m. 16.* ubi ejus delineationem reperies. In canis, qui magno cum dolore moriebatur, aperto cadavere, tota veſica calculis repleta & collum ipſius totum ab iis obſtructum fuit, vid. Chriſt. Franc. Paullin. *Cynograph. Curioſ. Sect. I. cap. 3. pag. 49. ſeq.* Ibidem etiam dictus Autor catellæ vetulæ meminit, quæ, notante Daniele Ludovici, per plures annos Gothæ lapides, & quidem ſæpe una vice pluſculos excrevit. De calculo e cane exſecto, inſtar renis fabricati tantæque ſoliditatis ac renitentiæ ut & malleo cedere recuſaret, vid. Gothofr. Stein. *Lithograph. curioſ. §. 13. p. 10.* Ex canis venatorii rene ſiniſtro calculum tophaceum, anguloſum magnum, unciam unam & ultra pendentem ex Aug. Henric. Faſchii *Diſput. de Calcul. hum.* refert Caſpar Theoph. Bierlingius *Theſaur. theor. pract. Caſ. III. Schol. §. 4. pag. 30.*

§. 23.

Lapis, qui in veſica lupi naſcitur, Syrites audit, juxta Plin. *Hiſtor. Nat. Lib. II. cap. 37.* De lapide Lithargilo, in ventriculo lupi invento, undecim uncias pendente, gyris & plicis intorto, & ſine dubio ex argilla, quam inediæ tempore fame & rabie impulſi vorant, genito. vid. Joh. Georg. Schenck. *Hiſtor. Monſtror. pag. 130.* *In Lupo:*

§. 24.

Medicus Ulmenſis, nomine Francus murem exenteravit, in cujus diſſecto corpore ovula tria invenit ſplendentia & quaſi diaphana, corculum cuneiforme erat, cujus *In Mure.*

palpitationem tres horas poſt apertionem adhuc ſenſit; Uteri cornua recta erant, & veſica oblonga, in qua reperti ſunt lapilli magnitudine ſeminis ſinapi majoris, qui applicato ovulo cryſtallino lanuginoſi apparebant. vid. Roſin. Lentil. *Miſcell. med. pract. p. 215. ſeq.* In Gliris veſica urinaria calculum reperit Fredericus Ruyſchius, *Theſaur. Anatom. IV. p. 31.*

§. 25.

In Crocodilo. In crocodili, qui vulgo Caymanus vocatur, ventriculo etiam calculi generari dicuntur, contra febres, imprimis quartanas utiles. Inquit enim Paulus Caſatus *Diſſert. phyſic. de Igne Diſſert. 6. pag. m. 168.* virtute calidos nemo temere pronunciaverit lapides in Caymani prægrandis lacerti ventriculo ortos, fluviorum calculis ſimiles, quos Indi & Hiſpani ad exterminandam febrem quartanam temporibus febrientis alligant. Ex hujusmodi nimirum lapide excitati ſpiritus prodeunt, qui arteriam penetrantes ſanguini decurrenti ſubinde commiſcentur illiusque particulas agitando demum ſanguineos ſpiritus a ſalium captivitate liberant, ipſasque ſalinas particulas interjecti disjungunt, & ſuppeditatis ex melius concocto alimento novis ſpiritibus, ſanguinis dulcedo redintegratur, ac demum quartana depellitur. De hoc lapide Caymanum ita ſcribit Nicolaus Monardus *Hiſtor. Medicam. ſimpl. Cap. 33. in Carol. Cluſ. Exotic. fol. m. 326. ſq.* Ex Nomine Dei, Carthagine aliisque continentis oris, lapides interdum adferuntur calculis fluviatilibus ſimiles, qui in ventriculis prægrandium lacertorum (Caymanes appellant) inveniuntur, tanta interdum quantitate, ut magnam corbem explere queant: Hos lapides colligunt Indi & Hiſpani atque adeo ſibi ſervant ad quartanam tollendam utile remedium, ſiquidem bini eorum temporibus utrinque alligati, in quartanarum paroxyſmo, illas tollere, aut earum calorem mani-

feſto

feſto infringere traduntur. Bis enim lapidem temporibus cujusdam puellæ, quæ quartana laborabat, adhibui, & certe febris calorem nonnihil remiſiſſe animadverti; an vero febrem omnino tollet, ignoro. Gomara etiam occiſi crocodili meminit, qui centum pedes longitudine æquavit, in cujus ventriculo multi calculi reperti ſint. Et Joannes Fragoſus *Hiſtor. Med. Ind. cap. 10. p. m. 15. b.* inquit: Ex Nombre di Dios & Carthagine afferuntur lapides quidam, ut ſaxula fluvii. Inveniuntur in ventriculo magni alicujus lacerti, vocati Caimanes & ſunt amphibii. Alleviant & quandoque tollunt quartanas, ſi unus iſtorum applicetur unicuique temporum ægri, quod occulta quadam ratione fit. In hunc autem lapidem, qui eſt in ſtomacho crocodili, inquiſivit quidam Medicus curioſus, nomine Stubbes, & comperit per inquiſitionem curioſi Nobilis, eum non eſſe, niſi congeriem plurium lapidum, deglutitorum iſti animali ad digeſtionem. Ex quodam excipiebat fruſtum rupis, magnitudine caput ejus æquans: ex aliis exceperat ſedecim vel viginti lapides minores. Nemo illos ibi multum obſervat, quicquid dicat Monardus. vid. Henr. Oldenburg. *Act. philoſ. Anglican. p. 581.* Et Franciſcus Redus *Experiment. natural. p. m. 88. ſeq.* ait: Si Monardes ſuam de puella hiſtoriam continuare, vel veritatem ſcribere voluiſſet, putaverim, eundem etiam potuiſſe referre vanitatem illius medicamenti, a me ſæpius nullo cum fructu adhibiti, idque non in quartanis modo febribus, ſed in renum etiam calculo, utut Franciſcus Ximenes referat, illud ſingulare in hoc affectu remedium eſſe; maxime ſi fluviales illi calculi eximantur ex ſtomacho illorum crocodilorum, quos Jacare vocant. Potuit fieri, ut ego deceptus ſim, & ut loco calculorum crocodili mihi dono dati ſint lapilli fluviorum Arni & Minionis: quicquid tamen ſit, non muto ſententiam, nec credo, hos calculos ex eo acquiſiviſſe vir-

tutem illam, quod a ſerpentibus deglutiti ſunt. Autor vero Antinſularum Dominus de Rochefort *Cap. 21. pag. m. 348. 352.* quo loco de crocodilis agit, nullam calculorum in crocodili ſtomacho mentionem facit, ſed quorundam tantum lapillorum, in capite repertorum, quos pulveriſatos calculoſis prodeſſe ait.

§. 26.

In Igvana. In Inſula Cuba, Mexico & Braſilia, variisque Americæ ſeptentrionalibus meridionalibusque locis, fœdum atque importunum aliquod genus lacertarum aquaticarum invenitur, Iguane vulgo dictum, quæ lacertæ, referente Guilelmo Piſone, lapidem minus durum ſtomacho gerunt, ovi gallinacei magnitudine; alii tamen affirmant, eundem in cerebro generari, vid. Franciſc. Redi *Epherim. natural. p. m. 81.* & ex hoc Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 101. pag. 129.* Circa quem locum admonendum venit, hujus animalis, Igvanæ, non tam in Guilelmo Piſone de Medicina Braſilienſi, quam in Georgii Marggravii Hiſtoria rerum naturalium Braſiliæ, priori Piſoni ſub titulo Hiſtoriæ naturalis Braſiliæ annexa, & quidem *Lib. VI. cap. 11. fol. m. 236.* mentionem fieri.

§. 27.

In Serpentibus. Utrum in capite certi ſerpentis reperiatur lapis, qui impoſitus vulneri cujusdam venenatæ creaturæ, ei firmiter adhæreat & abſtrahat omne venenum; deinde lacti injectus veneno ſe exoneret, & lac eo ipſo cœruleum reddat; tandem rurſus vulneri applicatus reſiduum veneni extrahat, quod forte remanſit, donec vulnus perfecte purgatum fuerit? quæritur in Henr. Oldenburg. *Act. Philoſophic. Anglic.* inter quæſtiones concernentes Surattam aliasque partes Indiæ orientalis *p. m. 334. 337. ſeq.* Huic quæſtioni fortaſſe occaſionem dederunt Patres quidam Franciſcani, quorum meminit Franciſcus Redus *Experim.*

natural.

natural. p. m. 3. ſeq. Anno 1662 ſub finem veris reduces ex India orientali, in Aulam Hetruriæ, tunc Piſis venationibus occupatam venerunt tres Patres, venerabilis ordinis S. Franciſci, vulgo Zoccolanti dicti, qui ex illis regionibus multas res curioſas adferentes, id honoris obtinuerunt, ut inſpiciendi copiam darent Sereniſſimo Magno Duci Ferdinando ſecundo. Inter alia non ſine pompa oſtentarunt nonnullos lapides, quos affirmabant reperiri in capite quorundam, ſerpentum a Garzia ab Horto deſcriptorum, & a Luſitanis Cobras de Cabelo dictorum, eosque per omnem regionem Indoſtan, & vaſtiſſimas duas Peninſulam intra & extra Gangen, ſed ſpecialiter in regno Quamſy, ceu probatæ Dei experimentum, certiſſimi antidoti loco inſervire, ſi imponantur morſui viperarum, aſpidum, ceraſtum, & quorumcunque aliorum animalium, quæ morſu vel pungendo inficiunt: nec non ſi imponantur quibuscunque vulneribus, a ſagittis vel alio aliquo armorum veneno infectorum genere recens inflictis. Præterea dicebant dicti Patres, talem & tantam & usque adeo miram eſſe ſympathiam horum lapidum cum veneno, ut ſtatim vulneri admoti cucurbitularum inſtar ſe eidem tenaciſſime applicarent, nec ante loco moverentur, quam omne venenum ſugendo imbibiſſent, quo facto ſua ſponte in terram caderent, relicto animali ſano & immuni a mortifero, quo opprimebatur, morbo: atque hinc, ut ab imbibito veneno purgarentur, affirmabant boni illi Patres, neceſſe eſſe, lavare illos in lacte recens mulcto in eoque macerare tantisper, donec omne venenum in lac evomuiſſent &c. Et *p. 8. ſeq.* reperies aliquot experimenta cum oleo tabaci, ceu potentiſſimo veneno &c. De hoc lapide, videantur iterum Henr. Oldenburg. *l. a. An. 1665. p. 77.* ſequentia: Abhinc aliquo tempore miſſus fuit per Philebertum Vernattum ex Java majore, ibi com-

morantem ad Dominum Robertum Morajum peculiaris lapis, quem affirmat Vernattus reperiri in capite ſerpentis, eundem impoſitum vulneri inflicto a beſtia quavis venenata, illi inhærere & attrahere omne venenum; & deinde injectum lacti, in id evomere venenum, & eo cœruleum reddere; quo modo adhibendus eſt lapis tamdiu, donec vulnus prorſus ſit expurgatum. Ibidem etiam ex Thevenoto ſequentia recenſentur: In India orientali, inque regno Quamſy China reperitur lapis in capitibus peculiarium ſerpentum (quos appellant nomine ſignificativo ſerpentes piloſos) ſanans eorundem ſerpentum morſus, qui alias mortem inferrent nichthimeri ſpatio. Lapis ille rotundus eſt, albus in medio, & circa extremitates cœruleus vel ſubviridis. Applicatus vulneri ſponte ſua illi adhæret, nec prius decidit, quam venenum exſuxerit. Tum illum lavant lacte, in quo aliquandiu detinetur, donec ſtatui ſuo naturali reddatur. Rarus eſt lapis, nam ſi ſecunda vice admotus vulneri ei adhæreat, planum eſt, non exhauſiſſe omne venenum prima vice applicationis; ſi non maneat affixus, certum eſt, omne venenum prima vice fuiſſe extractum. De hoc lapide ſerpentino ſive magnete venenorum addito experimento, ita ſcribit Andreas Cnœffelius *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Append. pag. 28.* Hic lapis a natura ſibi inſitum magnetismum habet, ut a venenoſo animali prius inflicto vulneri appoſitus protinus tenaciſſime, ſangviſugæ ad inſtar adhæreat hæreatque tam diu, donec omni veneno, quod ſerpens, aut quodvis venenoſum animal diffuderat, exſucto ac jam veluti ſatur ſuapte ſponte decidat, ſaturæ hirudinis inſtar. Experimentum hujus ſumpſit Athanaſius Kircherus, in vulnere a vipera venenoſa cani inflicto, ubi hic lapis vulneri adeo tenaciter adhæſit, ut vix amplius diſtrahi potuerit, manebatque tam diu affixus vulneri, donec exſucto omni veneno

neno ſponte ſua decideret, quo peracto canis brevi poſt priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. vid. etiam Joh. Bapt. Taverniers *Indian.Reiſen Lib.II.cap.24.fol.m.144.*

§. 28.

Lapides ſerpentini uſus. Quandoque etiam hi lapides poſt propinatum venenum brachiis applicari ſolent absque tamen ſperato ſucceſſu, quale exemplum recenſet Thomas Bartholinus *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 11. p.28.ſeq.* Virgo ſcilicet Nobilis in familia Illuſtris Comitis degens, neſcio quorum inſtinctu, Arſenicum heræ exhibere decreverat. Arſenicum a vetula emit, præparat, miſcet potioni cereviſiariæ, quam hera haurire debebat, aquis cordialibus, ad quas ſubinde hera valetudinaria recurrere ſolita eſt, ſucceſſit virgini conſilium. Cum potione cereviſiaria haurit Comes venenum, ſed Dei & naturæ beneficio innoxium. Oborto enim vomitu violento rejecit ſumptum pharmacum, in terra ebulliens. Male tamen habuit Comes, & alexipharmacis imminentia mala, quantum poſſibile avertit, diu vel metu pharmaci, vel veneni indole anxiam vitam inter querelas traxit, donec ſenſim convaleſceret. Inter alia alexipharmaca etiam lapidem ex India allatum, quem Cobras de Cabelo vocant, brachiis appoſuit, quibus adhæſit velut venenum attracturus. Addit tamen ibidem dictus Bartholinus, ſe credere, quod etiam corpori ſine veneni ſuspicione appoſitus lapis adhæreat ſpongioſa ſua natura. Finem autem proceſſus judicialis hujus virginis veneno heram extinguere conantis ibidem reperies. Dubium autem ſuum de horum lapidum virtute alexipharmaca Thomas Bartholinus *l. a.* etiam Franciſci Redi autoritate confirmat: Negari, inquiens, non poteſt, quod dicti lapides vulneribus venenatis adhæreant; ſed hoc addatur neceſſe eſt, illos quibusque vulneribus non venenoſis atque adeo cuicunque parti corporis adhærere, quæ quidem molles ſunt, & ſangui-

ne

ne vel quo alio liquore madent, eadem ratione, qua exigui illi panes terræ ſigillatæ, & omnes aliæ bolorum ſpecies. Hunc tamen lapidem tantummodo vulneribus venenatis quaſi agglutinari ejusque adhæſionis modum ſequenti modo defendit Juſtus Veſti *Diſput. de Magnetiſm. Macro- & Microcoſm. Cap. 1. §. 17. p. 13.* his verbis: Prædictus lapis non movetur atque adhæret niſi in vulneribus venenatis, ibidem enim venenum, ut in corpore vivo ſpirituoſum redditum, in extenſis bullulis impulſivum ſive elaſticum conatum adipiſcitur, quem exercet contra ſimilem ætherem lapidi ſerpentino inſitum, utpote inæqualiter plenum, indeque aptum, ut ſpirituoſam materiam recipiat, usque in menſuram æquilibrii. Quatenus autem bullulæ lapidis implentur cum quodam impetu, fit ut materia ſpirituoſa in evacuatos poros venenati vulneris ſic ultro citroque revertatur, & quædam circulatio fiat. Lapis autem tam diu adhæret, usque ſpirituoſa in utramque poſt repetitas hinc inde factas undulationes ſeſe in æquilibrium ſtiterit. Et hæc ſympatheticarum actionum regimina ad quandam inſenſilem fermentationem refert dictus Veſti, in qua particulæ ſpirituoſæ inſtar lucis perniciſſime motæ in quadantenus evacuatas congrui ætheris bullulas impulſum exerceant. Æther autem congruus iſte dicitur, qui ejusdem vel analogi ſpiritus quandam particulam in ſe continet, & ille eſt, qui movetur & influit. Hos autem lapides non veros lapides eſſe, ſed potius artefactum quid atque mixturam quandam, ex combuſtis radicibus cum certa terræ ſpecie mixtis atque in maſſam redactis conſtantem, juxta Thevenot. *Itiner. Ind. Lib. 1. cap. 18. p. m. 63. ſeq.* vid. etiam Joh. Bapt. Tavernier. *Ind. Reiſ. Lib. II. c. 24. p. 144.* et Sylv. Boccon. *Anmerckung. n. 16. pag. 356.* Similem calculum artefactum vid. *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. App. p. 29.* Inquit etiam Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. III.*

Obſ.

Obſ. 20. p. 43. de ſerpentini lapidis, Pietra de Cobra dicti, virtute veneno reſiſtente, illudque debellante, atque ex corpore educente, ante non plures annos, ſat magna ubique fama percrebuit, cui eo major fides eſſet adhibenda, ſi non conſtaret, plurimos ejusmodi lapides fuiſſe factitios, nec ſemper & ubique effectus ſperatos edidiſſe. Ad Athanaſium Kircherum hujus Petræ virtutes nimis defendentem ita ſcribit Franciſcus Redus *Experiment. natur. pag. m. 67.* obnixe te rogo precorque, lapidis tui ſerpentini Cobra de Gabelo naturam & vires denuo in aliis beſtiis, quas viperæ momorderint, experiaris: Etenim ſi poſt multa experimenta accurate facta deprehenderis, illum revera pollere virtute ſanandi punctus & morſus venenoſorum animalium, ingenue fatear, neceſſe eſt, me hactenus deceptum, & lapidem tuum bonum & genuinum, meos vero falſos & ſpurios eſſe. Quodſi econtra inveneris, nihil in lapide tuo virtutis eſſe, gaudebimus utrique, inventam a nobis veritatem, & detectum eſſe mendacium, quod hoc vel illo caſu occaſionem mortis ſuppeditare poterat homini ingenuo, qui morſu a vipera vel cane rabida petitus, recuſatis omnibus aliis medicamentis, omnem ſuam ſpem in hujus unius lapidis virtute collocaret, quod genus lapidum, ut dicam, quod ſentio, adulterinum & factitium eſt &c. Plures inſuper dantur lapides ejusmodi, v. g. lapides Igvanæ, lapis e capite ſerpentis de Pate, quem vulgo vocant de Mombaço, vel lapis in capite, vel ventre ſerpentis cujusdam Africani in Mombaza, Zanguebaris regione productus, ad partum difficilem; lapis ſerpentis de Dio, cujus uſus præcipuus eſt contra morſum viperarum, quos tamen lapides non nativos, ſed factitios eſſe, refert Johannes Curvus Semmedus *Hiſtor. ſimplic. exotic. p. 22. ſeqq.* Franc. Redi *Experim. natural. p. 81. ſeq.* Ex ſententia Hermanni Nicolai Grimmii hic Lapis de

Bombaco, vel Mombaza, qui magni æſtimatur a Luſitanis, reperitur in animali quodam, & ſecundum relationem quorundam, in equo fero, magnitudine ad ovum columbinum fere accedens; ſumma duritie, colore cinereo, externe aliquantulum ad flavedinem vergens, eleganter concretus, &, inſtar lapidis, bezoar, cruſtulatim compactus. In centro ſubpiloſus eſt, deinde aliqualiter calciformis, & poſtea ſequitur durities. Nomen habet a loco, in quo invenitur. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 149. p. 368.*

§. 29.

In Bufonibus Vulgo etiam notus eſt lapis bufonis, bufonites, chelonites, batrachites, vel etiam a Gallico vocabulo Crapaud, bufo, crapaudina, dictus, quia in bufonibus generari nonnullis creditur. Scribit enim Levinus Lemnius *de occult. Natur. Miracul. Lib. II. cap. 30. p. m. 212.* Proferunt rubetæ, ſeu bufones lapidem, qui nonnunquam ejus animantis imaginem repræſentat, verum annoſæ ſunt diuque in arundinetis, vel inter rubos ſentesque ac vepres delituerunt, antequam lapis in capite concreſcat, aut aliquam magnitudinem aſſequatur; vel tales lapillos in capite bufonis, præcipue in ea ſpecie, quæ in Gallia & Hiſpania frequens, cornuta, maculis croceis & nigris liventibus reperiri quidam ſtatuunt, & quidem in annoſioribus ſaltem rubetis, quæ dudum in arundinibus delituerint. Plerique talem lapidem bufonium in capite procreſcere ſtatuunt, ſiquidem ſecundum Caſpar. Schwenkfeld *Theriotroph. de Reptilib. p. 162.* ſit ne os an lapis magno ſtudio inter doctos controvertitur. Gemmarii & plebeji bufonis capiti innaſci arbitrantur, & juxta verba Caſpari Bauhini *de Lapid. Bezoar. cap. 3. p. 18.* in bufonis capite lapis (uti volunt) reperitur, quem cum chelonite nonnulli perperam confundunt, qui in nuper natis, aut etiam annotinis, ſeu ranis rubetis,

rubetis, ſive bufonibus vix inveniri poteſt, ſed annoſioribus, qui dudum in arundinibus rubetisve inter ſentes ac vepres delituere: cujus materia haud dubie alia non eſt, quam ea, quam indies e terra, dum illam hinc inde circumlambunt, contrahunt. Ibidem etiam Bauhinus ex Libavio refert, tubercula, quæ bufones in capite geſtant, ut videantur cornuti, quæque preſſæ humorem lacteum fundunt, iſtud lac in ſenibus bufonibus, in locis calidioribus in nodos concreſcere lapideos. Lapidem Bufonium etiam defendere videtur Franciſcus Baconus de Verulamio *Sylv. Sylvar. Cent. X. Experim. 967. pag. m. 533.* Lapis, inquiens, hæmatites geſtatus ſangvinem e naribus fluentem ſiſtit, procul dubio ex adſtrictione & ſpirituum refrigeratione. Inquire, num lapis ex bufonum capite non probet ſe virtute pari, cum bufo umbra delectetur & frigore. Lapidem ex bufone ad hunc modum nonnullos elicere ſcribit Antonius Mizaldus: Bufo in quampiam caveolam cum panno puniceo detruditur, ſoli ardentiſſimo dies aliquot exponitur, ibique tantiſper retorretur, ac ſiti excruciatur, donec onus capitis per os deponere & evomere cogatur, quod per medium caveæ foramen, vaſculo ſuppoſito, excipi debet, vel aliter detrahi, idque celeriter, ne ab eo reſorbeatur. Sunt qui paulo tutius ac facilius rem eam exequuntur, bufonem pertuſo multis locis fictili immittendo & formicis depaſcendum in myrmecia exponendo. Sic enim fit, ut exeſa ejus carne lapis ille cum oſſibus relinquatur, ſicuti frequenter a nobis & aliis pleriſque expertum fuit. v. Mizald. rediviv. *Memorab. Arcan. Cent. IV. §. 397. p. 166.* Franc. Joelis *Oper. Tom. V. Lib. 2. Sect. 4. p. m. 142.*

§. 30.

Quicquid autem hactenus de hoc lapide bufonio dictum ſcriptumque ſit, aliis Autoribus non omni dubio *Non datur*

carere videtur, qui hunc lapidem non æque pro lapidefacto, quam pro minerali ſilice agnoſcunt. Inquit enim Johannes Schrœderus *Pharmacop. med. chym. Lib. V. pag. m. 810.* Lapis bufonites gemma eſt bullæ inſtar, altera parte cava, altera convexa, coloris ex fuſco pallentis aliquantum fuſci, interdum nigri, albi, (qui melior) viridis verſicoloris. Reperiuntur hi lapides in agris; affirmant tamen alii, eos in annoſiorum, ac qui diu in arundinetis, inter rubos ſentesque delituerint, bufonum capitibus generari, cui ut fidem adhibeam, diſſuadet quorundam magnitudo. Olaus Wormius in Muſæo *Lib. II. cap. 18. fol. m. 107. 417.* Bufonius lapis, ab aliis Chelonitis, Batrachites & Crapaudina vocatur, Germanis *Krotenſtein*, quia fama fert ab antiquis bufonibus eructari, quod experientia falſum eſſe docuit Anshelmo Boëtio a Boot. Hic verus lapis bufonius raro unguem digiti ſuperat, coloris utplurimum eſt gryſei, ad rubedinem quandoque tendens, oculi modo convexus, quandoque oblongus, quandoque rotundus, altera parte planus aut concavus. Naſcitur fungi inſtar in ſaxis & petris, non vero in capitibus bufonum, ut vulgo credunt. Commendatur, pergit Wormius ad tumores & inflationes a venenatis animalibus illatas, quas contactu & affrictu discutit, cujus exemplum in contubernali vidi, qui cum inter alias plantas eſulam majorem collegiſſet, ac inter eradicandum ſuccus ejus digitis adhæſiſſet, quibus incaute faciem fricuit, ſubito intumuit ad miraculum usque, ſed petito annulo ab adſtante, qui lapidem hunc tenebat, & loco tumido aliquoties affricto, intra horam detumuit inflatio &c. Juxta Aug. Quirin. Rivin. *Cenſur. Med. officin. cap. IV. §. 4. p. 29.* fabulantur non pauci, lapidem bufonitem in capite bufonis annoſi naſci; aſt nemo inibi eum reperire unquam potuit. Inquit etiam Johannes Baptiſta Porta *Magiæ natural. Lib. VIII. cap. 9. p. m. 348.* Chelonitten

ten ſive crapodinam inveniri ajunt Medici in capite bufonis ſenis & magni, quem ſi quis, eo vivo detraxerit, contra venena valere dicunt. Ajunt, eximi viventibus puniceo in panno, cujus colore plurimum oblectantur, atque dum ipſi feriendo relaxant ſe, capitis onus deponunt, id mox in ſubjectam ciſtam e medio foramine collabitur, alioquin eum reſorbet. Sed quis eum extraxerit, neminem veridicum reperi, nec, cum multos dilaniaſſem, reperire unquam potui. Id tamen pro vero affirmo, quos e rubeto extractos dicunt, minerale eſſe: memini enim Romæ vidiſſe lapidis fructum magnum, quod ex multis aliis lapillis conſtabat adhærebatque dorſo, ut lapides ſcopulis, diverſæ quantitatis, parvi & magni &c. Ridiculum ſane eſt, quod nonnulli, juxta Friderici Hoffmanni, Parentis, *Clav. Schrœd. Lib. V. pag. 646.* ſtatuunt, talem lapidem a viſcoſitate ſpumæ oriri, quam bufones vere congregati in caput alicujus eximii, quaſi regis bufonis eructent. Impoſſibile etiam videtur, quod bufonites Grætterianus dictus, a Berchtholdo Grættero Anno 1473 in valle Dipachiana inventus, pondere quinque librarum medicinalium & unciarum trium, minus dimidiæ drachmæ in bufonis capite prognatus fuerit, qualem poſt pugnam ſerpentum cum bufonibus fuiſſe repertam ex Cruſii Annal. Svevic. recenſet Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Lib. I. cap. 14. p. 298.* vid. etiam Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract. Caſ. III. Schol. p. 32.* ubi etiam ſequentem Hiſtoriam tanquam veriſſimam recenſet. Maxime reverendus Dn. Mareſchallus, membrum Capituli ſummi, quod Magdeburgi eſt ſpectatiſſimum, lapidem magnitudine nucis juglandis excorticatæ ſuprema parte faſtigiatum, altera vero latum, mihi monſtravit, qui in circumferentia quatuor canales vel excavationes ſecundum longitudinem habebat, ut in iis ligamenta, quibus

bufoni alligatus erat, quiſcere potuerint. Inventus vero hic lapis non in capite, ſed ventre prægrandis & antiqui bufonis, & quidem ſequenti modo: Uni ex ſuis ſubditis in Comitatu Mansfeldico, ubi ſua prædia habet, ex ruris laboribus domum redeunti in tranſitu magnus occurrit bufo, quem bipalio in manu detento transfodit, magno tamen cum labore & renitentia. Unde re peracta ad inquirendam reſiſtentiæ cauſam bipali cuſpide perfoſſum bufonem examinavit. Igitur poſt longam inquiſitionem invenit prædictum ad medium bufonis ventrem alligatum lapidem, quem poſtea ulterius a bufonis cadavere liberavit, & curioſitatis novitatisque gratia ſuo Domino exhibuit. Hunc lapidem Nobiliſſimi vidua poſtea poſſedit.

§. 31.

in Gallina In variis etiam volucribus hinc inde calculi ſeu lapides reperti leguntur, e. g. Johanni Jacobo Hardero ab amico exhibitus fuit lapillus haud parvus, ſilicis figura & duritie, quem in cerebro gallinæ reperit: per quos meatus commode hic eo delatus ſit, difficile eſt. vid. Pæonis & Pythagoræ ſive Harderi & Peieri *Exercit. anat. med. 26. pag. 146.* cui Johannes Conradus Peyerus *ibid. p. 147.* ita reſpondet: Calculum, quem in cerebro gallinæ repertum fuiſſe aſſeris, aliunde illatum potius, quam in capite genitum exiſtimo, etiamſi tranſitus a ventriculo & inteſtinis ſit perquam difficilis mihi impenetrabilis. De variis lapidibus in gallorum & gallinarum ventriculis repertis, v. Franciſc. Redi *Experiment. natural. pag. 110. ſeq.* In gallinaceorum ventriculis lapidem quendam, Alectorium dictum, cryſtallina ſpecie in modum fabæ inveniri, inquit Julius Solinus *Collectan. Rer. memor. Cap. 4. §. 95. p. m. 20.* Gallinam, quæ ſubito corruit, pinguem ſatis Joh. Jacobus Harderus cultro ſubjecit, cujus interiora omnia quaſi pellicula

gypſea

gypſea obtecta erant, ren ſiniſter deerat, protuberabat hujus loco ureter maximus ſero viſcido & coagulato perquam diſtentus, cujus medio circiter arcte adhærebat calculus fabæ minoris figura & magnitudine: E rene dextro calculos exemit tres non ſine admiratione: Veſicula bilaria materia ſabuloſa itidem erat referta. vid. Pæon. & Pythagor. *Exercitat. 49. p. 274.* De hac Obſervatione Hardero Johannes Conradus Peierus *ibidem pag. 276. ſeq.* ita reſpondet: gallinæ mirum fatum mihi narras, proclive tamen eſt calculos innaſci animalibus glaream e trivio devorantibus. Cæterum in renibus gallinarum aliarumque id genus volucrium præter ſerum, quod lotium conſtituit, ſeparatur etiam materia quædam gypſo vel calci dilutæ ſimilis, e qua putamina ovorum ſimiliter conſtare mihi videntur: quanquam haud ignorem, gallorum renes ejusmodi craſſamentum lapideſcens itidem ſecernere, quibus tamen ad teſtas ovorum formandas eo non eſt opus. Fieri itaque potuit, ut materies illa reſtagnans renem corrumperet, ac poſtea exundans vicinas partes inficeret.

§. 32.

De lapide corvino ſequentem Obſervationem annotavit Georgius Sebaſtianus Jungius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 107. p. 109. ſeq.* quo loco lapidem delineatum ſiſtit in ventriculo corvi a Barone Franciſco Ignatio de Kirchberg propriis manibus ſclopeto trajecti & exenterati repertum, quem dicti Jungii Bibliothecæ Dominus Baro aſſervandum concredidit. Figura lapidis hujus fuit ovalis, color ferrugineus, pondus unciæ dimidiæ cum duobus ſcrupulis, ſapor nullus, durities ſilicis & lapidi lydio affrictus mineram quandam quaſi martialem prodidit &c. quo loco etiam alia, vana tamen reperies. *In Corvo*

§. 33.

§. 33.

In Ciconia In ciconia calculum ſe reperiſſe ſcribit Chriſtianus Mentzelius *de Lapid. Bononienſ. Sect. II. cap. 2. M. N. C. Cent. I. An. 4. & 5. Append. p. 201.* Contigerat mihi, inquiens, aliquando, ciconiam ex nido deſumptam, cultello anatomico diſſecuiſſe, in cujus ventriculo inter reliquos calculos ſilicem quoque adamanteum exemi optimæ notæ, qui deinde expolitus Bohemicum præſtantia longe ſuperabat.

§. 34.

Varia Plura de lapillis tam in animalibus quadrupedibus, quam avibus, ſerpentibus & piſcibus varii generis repertis congeſta reperies in Philip. Jacob. Sachſ. *Gammarolog. Lib. 1. cap. 14. pag. 293. ſeqq.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. III. Tit. 3. §. 84. ſeqq. p. 1115. ſeqq.* De lapide hirundinum vid. Marc. Anton. Zimaræ *Antr. Magic. med. Part. II. Lib. 1. pag. 92. ſeq.* Levin. Lemn. *de Mirac. occult. Nat. Lib. II. cap. 30. p. 212.* Matthiæ Tiling. *Obſ. de Sal. Hirund. volat. M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 70. Schol. p. 155. ſeq.* De lapillis ex limacum capite, vid. Anton. Mizald. *Memorabil. ſive Mizald. rediv. Cent. IV. §. 372. p. m. 155. ſeq.* Marc. Aurel. Severin. *Zootom. Part. IV. p. m. 330.* Joh. Georg. Volckamer. *Obſervatio M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 249. p. 465. ſeqq.*

§. 35.

Lapis Bezoar Cum etiam aliquoties hactenus lapidis bezoardici, & variorum animalium, in quibus ille generari ſcribitur, mentio facta fuerit, pauca adhuc de eodem annectenda reſtant. Duplex ſcilicet habetur, orientalis & occidentalis, ratione loci natalitii, cum ejusmodi lapides in regionibus orientalibus & occidentalibus reperiantur; Orientales enim utplurimum ex India & Perſia, occidentales vero ex Americæ Provincia Peru, & alii ex Hiſpaniola ad nos apportantur. vid. Caſp. Bauhin. *de Lapid. Bezoar. Cap. 2. p. 16. & cap. 18. p. 100. ſeq.* quo ultimo Capite de loco, ubi hoc

hoc animal reperitur, prolixe agit, huncque lapidem Bezoar, ſecundum pleroſque Autores, ex ventriculo cujusdam animalis, capræ hircove ſimilis extrahi ait. Idem Autor etiam ibidem *cap. 17. p. 95. ſeqq.* de hujus animalis nomine & forma, locisque natalitiis pluribus agit, hocque animal cervo valde ſimile, cum magnitudine, tum agilitate & aliis notis eſſe, refert, exceptis quibusdam partibus, quibus cum capra magis conveniat: Quare etiam, cum partes quasdam habeat cum cervo & capra communes, commodius illud cervicapram vocari per ſe ſtatuit. Inquit etiam Caſparus Hoffmannus *Paraleipomen. officinal. Sect. III. cap. 36. p. m. 525.* Dicitur hic lapis capi ex animali ruminante, quod alii cervo comparant, alii capræ, alii conjungentes, cervicapram vocant, Perſiæ & vicinis regionibus proprium. Et Garzias ab Horto *Hiſtor. Aromat. Lib. I. cap. 45. fol. m. 216.* inquit: Eſt in Coraſone & Perſia hirci quoddam genus, quod Pazam lingua Perſica vocant, rufi, aut alterius coloris (ego rufum & prægrandem Goæ vidi) mediocri altitudine, in cujus ventriculo fit hic lapis bezar, circa tenuiſſimam quandam paleam ſemper augeſcens. Ceterum non ſolum generatur hic lapis in Perſia, ſed etiam nonnullis Malacæ locis & in Inſula, quæ a vaccis nomen ſumpſit, haud procul a Promontorio Comorim. Nam cum in exercitus annonam mactarentur iſtic multi prægrandes hirci, in eorum ventriculis magna ex parte hi lapides reperti ſunt. Hinc factum eſt, ut, quotquot ab eo tempore in hanc Inſulam appellunt, hircos obtruncent lapidesque ex iis tollant. Juxta Chriſtoph. a Coſta *de Aromat. cap. 36. f. 279.* generatur hic lapis in ventriculis animalium hirco fere ſimilium, arietis prægrandis magnitudine, colore rufo, ut cervi propemodum, agili & acutiſſimi auditus, a Perſis Pazan appellato, quod variis Indiæ Provinciis, uti in Promontorio Comorim, & nonnullis

Malacæ locis, tum etiam in Perſia & Coraſone &c. Secundum verba Andreæ Cæſalpini *de Metallic. Lib. II. c. 46. p. 135.* ferunt Luſitani, qui Indiam incolunt, capras eſſe ſylveſtres magnitudine & figura cervis ſimiles, cornibus hirci. In eorum ventriculo reperiri lapides, quos Arabes extollunt adverſus venena. Concreſcit hic lapis, ut referunt, in eorum ventriculo prope meatum, unde pabulum ruminatum in alterum vehiculum tranſmittitur. Reperti poſt ſunt etiam in India occidentali magna copia in ſimili animali, ſed caret cornibus, degit in locis frigidis in montibus Peru. Varia de capris, in quarum ventribus & inteſtinis lapis bezoar generari dicitur, refert Johannes Bapt. Tavernier *Itiner. Indic. Lib. II. cap. 24. fol. m. 142. ſeq.* vid. etiam Henric. Salmuth. *Comment. in Guidon. Panciroll. Rer. memorab. ſive deperdit. Lib. II. Tit. 3. p. 115. ſeqq.* Jacob. Primeroſ. *de Vulgi Errorib. Lib. IV. cap. 36. pag. m. 444. ſeqq.* v. etiam Frider. Hoffmann. *Clav. Schrœder. p. 650.* Joh. v. Bewerwieck. *Arzney Tom. II. Part. 1. caſ. 18. f. 65. ſeq.* Scribit etiam Paulus Ammannus *Manuduct. ad Mater. med. Sect. III. cap. 4. p. m. 180.* Bezoar lapis fama omnibus eſt notus, re paucis. Capræ Indicæ vel Perſicæ, in quarum marſupio iſti lapides non ſine dolore geſtantur & inveniuntur, non abſimiles valde ſunt Europæis, niſi quod habeant erecta & longiora cornua & verſicolores ſint inſtar tigridum. Locus, ubi degunt, communiter eſt in Perſia, Lara, quæ eſt emporium in occidentalibus montibus Regni Peruviani. Et Joh. Helffr. Juncken *Lexic. Pharmaceut. App. pag. 13. ſeq.* inquit: Lapis hic in cervicapræ orientalis ſtomacho concretus, in quo continetur folliculus piloſa carne conſtans ſpithamæ longitudine, in quo lapides ordine inſtar parvorum nodulorum in tunica teſſelatim comprehenduntur. Hæc capra prout parvum aut magnum gerit lapidem vel unum aut plures, eo tardius vel citius incedit, id quod

Perſis & Armenis bene notum eſt. Caprarum dictarum copia paſcitur in campis Perſiæ trium dierum itinere ſupra civitatem Laar, in quibus campis naſcitur herba croco ac hermodactylis non abſimilis, ex cujus, ut & aliarum ſalutiferarum herbarum eſu in ventriculis caprarum concreſcere creditur lapis hic. Cervos quosdam & Dorcades in Nova Hiſpania hunc lapidem generare; reperiri etiam in ovibus Peruinis, cornuum expertibus, quas Bicuinas vocant, præterea in Teuthl Lalmac, ame, quæ caprarum mediocrium paulove majori conſtant magnitudine. Deinde in quodam damarum genere, quas Marcatl Chichiltie, aut Tema mac ame appellant, nec non in Ibicibus, & omnium fere cervorum caprarumque generibus tales lapides reperiri, ex aliis Autoribus refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 88. p. 1119.* In ventriculo capreoli Perſici lapidem Bahalzehar concreſcere, inquit Joannes Bodinus *Theatr. univerſ. Natur. Lib. II. pag. m. 241.* Sequentia etiam Petrus de Osma in *Epiſtola ad Nicolaum de Monardis* ſcribit: Jam ſunt plures, quam viginti octo anni, quod militiam ſequens per has Indias peregrinos in quibus non ſolum, quæ a te deſcripta ſunt, naſcuntur, ſed etiam alia, quorum fama nondum ad nos pervenit. Formam animalis, ex quo lapis bezoar extrahitur in tuo libro deſcribis. Ea diligentius perpenſa animalium genus quoddam in iſtis montibus frequens invenimus, valde ſimile iis hircis (niſi quod cornibus orbum eſt) quos in Orientali India reperiri tradis. Ruffi ſunt coloris magna ex parte & herbas ſalutiferas depaſcuntur, (quarum magna eſt copia in montibus, ubi iſta animalia degunt) ita fugacia, ut ſolo tormentorum æneorum ictu adſequi poſſemus. Decima quinta Junii hujus anni 1568 ego cum aliquot amicis ad venationem profecti ſumus in hujus regionis montes: In eam

quinque dies inſumſimus, & aliquot ex his, quæ dixi, animalibus confecimus. Cumque eorum cauſa venationem ſuscepiſſemus, librum tuum contuleramus. Aperto itaque maximo & provectioris ætatis animali, neque in ventriculo, neque in alia parte corporis lapides invenimus, quo factum eſt, ut Indicis animalibus ſimilia non eſſe putaremus. Percunctati Indi, quos, ut nobis inſervirent, deduxeramus, qua corporis parte lapides hæc animalia haberent, ſe quidquam de lapidibus ſcire, negabant: (ut ſunt nobis infeſtiſſimi, nec ſua ſecreta nobis innoteſcere volunt.) Indus tamen puer, decem aut duodecim annos natus, cum videret, nos tantopere id ſcire cupere, in animali receptaculum quoddam & veluti marſupium nobis oſtendit, in quod depaſtas herbas recipiunt, donec eas poſtea ruminatas in ventriculum trajiciant. Ibi puerum ilico interficere voluerunt Indi, quod nobis id indicaſſet: Eum tamen poſtea, nobis in venatione occupatis interceperunt, &, ut intelleximus ſacrificarunt. Illud autem admiratione non caret, hoc animal per totas Indias occidentales non reperiri, præterquam in montibus iſtis Regni Peruani. Nam ego omnia Mexicana Regna, Provincias & Inſulas Maramnon, Floridam, & multas præterea Occidentalium Indiarum regiones peragravi, attamen nusquam hæc animalia conſpexi, quam in ſolis hujus Regni Peru montibus. Sola etiam, quæ in montibus paſcuntur animalia lapides iſtos præſtantes generare, obſervatum eſt. Nam quæ in planis pabulum ſumunt, ut herbas minus ſalubres depaſcuntur, ſic etiam lapides eorum, tametſi utiles, iis viribus non pollent, quibus præditi ſunt, qui ab animalibus in montibus degentibus eruuntur. Ex animalis igitur, quod ſecuimus burſula novem lapides exemimus, qui naturæ beneficio iſtic creari videntur, ex ſalutiferarum illarum herbarum ſucco, quæ in burſulam

illam congeruntur. Secuimus & alia hujus generis animalia, quæ confeceramus, in quibus omnibus lapides invenimus, plures aut pauciores, pro animalis ætate. vid. Henr. Salmuth *Comment. in Guidon. Panciroll. Rer. memorab. Part. II. Tit. 3. p. m. 118. ſeq.*

§. 36.

Varias vero horum lapidum bezoardicorum, tam ratione figuræ, magnitudinis, ponderis, coloris, virtutis & pretii Autores annotarunt differentias; ſiquidem ſecundum Henr. Salmuth *l. a. p. 116.* alii rotundi ſunt, alii oblongi, dactylorum oſſiculis ſimiles; alii palumbi ovis, alii capreolorum renibus, alii caſtaneas æmulantur, omnes tamen obtuſi, non in cuſpidem deſinentes. Nec minus colore variant, ſiquidem nunc ſpadicei coloris, nunc mellini, magna vero ex parte ex viridi nigreſcentis, ut mala inſana conſpiciuntur; plurimi etiam cinerei obſcurioris, ut qui in felibus eſt zibethum egerentibus. Ut vero differunt figura & colore hi lapides, etiam nonnihil pondere & ſubſtantia variant. Etenim ejusdem magnitudinis videas alios aliis leviores, (ſunt enim, qui duntaxat dimidiam drachmam, ſunt etiam, qui duodecim & quindecim drachmas pendant, nonnullique adhuc majores reperiri ferunt) alios aliis ſolidiores pluribusque aut paucioribus tunicis præditos: nonnullos etiam usque ad centrum continuos; aliquos, in quorum meditullio pulvis quidam reperitur; alios, in quibus aliquid herbæ ſiccæ ſimile, plurimos, in quorum centro paleolam tenuem ſolummodo invenias, circa quam lapidem efformari quidam putant, uti dictus Salmuth ex Chriſtophoro a Coſta refert. Hic autem Autor *Libr. Aromat. cap. 36. fol. m. 279.* ait, ſe lapides ejusmodi quindecim drachmas pendentes conſpexiſſe; Item, pergit ibidem, ſunt rotundi, ut avellanæ, alii oblongiores ovi forma aut columellæ; alii triangulares, alii ſeſſiles una *Differentia*

parte, & gibbi altera, uti caſtaneæ: poſtremo nonnulli ſunt coloris ex viridi nigricantis, alii mali inſani colorem referunt, alii obſcuriores ſunt, alii dilutius virent, & nonnulli etiam flaveſcunt &c. Juxta Jacob. Primeroſ. *de Vulg. Errorib. Lib. IV. Cap. 36. p. m. 448.* quidam lapides bezoar non excedunt avellanæ magnitudinem, quidam vero juglandes, ova columbarum & gallinarum æquant, interdum etiam Malum Arantium. Colore quidam ſunt nigri, alii virides, albi, aurei, griſei, &c. Ex India orientali afferuntur lapides coloris olevacei. Secundum Andr. Cæſalpin. *de Metallic. Lib. II. pag. 136.* concreſcit hic lapis initio juxta paleam quandam tenuiſſimam, ex pabulo ruminato congeſtam, ſucco ambiente in cruſtam friabilem tranſeunte, ſuperficie admodum lævi & ſplendida colore herbaceo nigricante, aut palleſcente, aut cinereo: figura in plerisque oblonga glandis effigie: interdum alia atque alia forma. Supervenit in proceſſu temporis alius atque alius ſuccus, unde lapidis coaugmentatio fit per cruſtas inſtar cepæ. Maximi non excedunt ovi gallinacei amplitudinem: plerique ut ova columbarum & exiliores reperiuntur. Ex ſententia Caſpari Hoffmanni *Paraleipom. officinal. Sect. III. cap. 36. p. 525.* reperitur in ventriculo altero, in folliculo peculiari incluſus aliquando unicus, aliquando plures, inſtar ovorum ſerpentem cohærentes, colore eſt ex viridi cœruleus, cum inſigni lævore; Quantitate inſtar avellanæ, imo usque ad ovum anſerinum. In Bavianis reperiri lapides bezoardicos, magnitudine ovorum columbinorum & gallinaceorum refert Philippus Baldæus *in Beſchreib. der Indiſch. Küſten Malabar und Coromandel Cap. 16. fol. m. 97.* Quo vero majores ſunt hi lapides, eo pretioſiores habentur, magni enim, qui rariores ſunt; juxta Garz. ab Hort. *Hiſtor. Aromat. cap. 45.* in Carol. Cluſ. *Exotic. fol. 216.* a Perſiæ Regionum Illuſtribus Viris expetuntur,

tuntur, quo enim majores ſunt, eo valentioris eſſe facultatis ſibi perſuadent. Memini, pergit idem, unum habuiſſe, qui fere quinque drachmas penderet. Is in Luſitaniam delatus, vix ſexaginta quatuor Luſitanicis aureis (undecim Hungaricis æquipollent) venit, cum tamen aliquanto pluris in Perſia emptus fuiſſet. Refert etiam Philippus Baldæus *l. a.* lapides magnitudine ovi columbini ſex vel ſeptem realibus, & magnitudine ovi gallinacei duodecim Realibus venditos fuiſſe. Naſcuntur etiam lapides bezahar in ventriculis ſimiarum, qui teretes ſunt & digiti longitudinem excedunt, qui omnium præſtantiſſimi cenſentur, uti ex Bontio refert Frid. Hoffmannus *Clav. Schrœd. pag. 651.* Et Johannes Baptiſta Tavernier *Itiner. Indiæ Lib. II. cap. 24. fol. m. 143.* lapidem bezoar ex ſimiis (uti nonnulli putant) deſumtum longe efficaciorem atque rariorem, ideoque etiam multo cariorem eſſe, talemque lapidem nucis circiter magnitudine, quandoque majori quam centum thalerorum pretio vendi ſcribit. Et *fol. 142.* idem Autor de magnitudine & pretio lapidum bezoar ita dicit: *Je gröſſer der Bezoar, ie theurer iſt er auch, und vvird nach Art der Diamanten verſteigert. Denn vvenn fünff oder ſechs Bezoar eine Unze vvägen, vvird die Unze biſs auf 15 oder 18 Francken (fünff oder ſechs Reichsthlr.) kommen. So aber ein einziger Bezoar eine Unze vviegt, vvird die Unze vvohl 100 Francken (33 Reichsthlr. 8 Groſchen) gelten. Ich habe einen von fünffthalb Unzen biſs 2000 verkaufft.* Ibidem etiam lapidum bezoardicorum ex vaccis deſumtorum & quidem tantæ molis meminit, ut nonnulli ſeptendecim vel octodecim unciarum pondus habeant. Plura vid. Caſp. Bauhin. *de Lap. Bezaar cap. 24. p. 128. ſeq. item 132.*

§. 37.

§. 37.

Lapidis Bezoar adulteratio. Licet autem lapis bezoar olim in magno pretio & frequentiſſimo uſu fuerit, non immerito tamen recentioribus, duplici imprimis de cauſa, ratione videlicet adulterationis & virtutum, ſuſpectus eſſe ſolet. De ſuſpecta genuinorum lapidum bezoar multitudine ita ſcribit Auguſtinus Thonerus *Obſ. medicin. Lib. I. Obſ. 2. p. m. 16.* inter Autores magna eſt contentio, utrum in officinis genuinus extet & Franciſcus Valleſius Hiſpanus, Philippi II. Regis Archiater, e centenis vix decem legitimos eſſe, aſſeverare non dubitat. His fidem conciliant Scriptores de Rebus Indicis, quod lapides illi vel in ipſa India rariores, quin ſubditis ſevere, magna conſtituta pœna, injunctum, ſi quos acquiſiverint, traderent ipſi Regi, qui ipſos inter ſua κειμήλια aſſervare & iis tantum donare ſolitus, quos benevolentia & gratia complectitur ſingulari. Cum autem plures Materialiſtæ in Europa comperiantur, quorum ſinguli plures lapides poſſideant, quam in univerſa India inveniantur, ex tanta copia facile apparet, pleroſque adulterinos, proinque valde periculoſum, in morbo ancipiti dubiæ illorum fidei ſe committere. Quod autem hic lapis ſucceſſu temporis majori in pretio habeatur, hanc rationem reddit Garzias ab Horto *Lib. I. Aromat. cap. 45. fol. in Cluſ. 216.* quia neceſſe eſt, nunc omnes ad ejus regionis, in qua generantur, Regem perferri, nec ſine difficultate inde haberi poſſunt. Et Nicolaus Monardus *Hiſtor. Medicam. ſimpl. cap. 34. l. a. fol. 327.* fatetur etiam, ex orientali India tam multos lapides adulterinos advehi, ut e centum vix denos legitimos invenias, quemadmodum ipſimet Indici ſcriptores fateantur, iſthic multos adulterinos conflari. Lapides noſtros utplurimum eſſe adulterinos non minima ſuſpicio eſt, inquit Jacobus Primeroſius *de Vulg. Error. Lib. IV. cap. 36. p. 450.* ideo, quod ex animalibus

malibus eruantur eviſceratis & occiſis, vixque fieri poteſt, ut unica regio tot ſuppeditet animalia, quin tandem rarior fiat ſpecies. Tanta enim iſtorum lapidum quantitas in ſola Anglia reperitur, ut miraculi inſtar mihi eſſe videatur, quod non fiant rariores. Quod ſi reliquas ſimul Europæ regiones conſideremus, ubique pariter abundant. Fatentur tamen medici, qui apud Indos fecerunt medicinam, illic eſſe rariſſimos ejusmodi lapides, & admodum caros, ab Indis ipſis curioſe in proprium uſum aſſervari; unde ergo nobis tanta illorum copia ſuppeditatur, ſi non ſunt adulterini. De ejus ſpuriorum lapidum bezoardicorum ſuppoſitione refert Gabriel Clauderus *Method. balſamand. corpor. human. Cap. IV. p. 90. ſeq.* Johannem Langermannum mercaturæ frequentia & candore celebrem Myropolam Hamburgenſem ſibi Anno 1660 monſtraſſe non unam alteramve drachmam aut unciam, ſed plures libras lapidum bezoar ſpuriorum, fraudulentæ manus beneficio confectorum, a Judæis Luſitanis ſucceſſive inter alios genuinos ipſi communicatorum. Quantum ſumtuum inde fuerit perpeſſus diſpendium, cum falſos aliis non venderet pro nota ſua ingenuitate dictus Langermannus, non difficile eſt hariolari. Sic Hermannus Grube *Tract. de Malo citr. Art. IV. cap. 2. p. 58.* Malum citreum ideo lapidi bezoar multis partibus præfert, quia hic utplurimum adulterinus ſit & inter centeſimum quemque etiam in iis, unde ad nos defertur, locis, vix genuinus detur aliquis aut bonæ notæ. De adulteratione & ſuppoſitione lapidis bezoardici Johannes Zwelfferus *in Pharmacop. Auguſtan. Append. ad Animadverſ. fol. m. 65.* certis rationibus ductus in ſua præconcepta opinione ſe perſeverare dicit, lapidem nimirum bezoar orientalem pro majore parte eſſe adulterinum, factitium, ab Hebræis forte Luſitanis, ſingulari arte & induſtria, ex certis plan-

tarum magiſteriis, corticibus & per juxta appoſitionem conflatum atque perpoliendo ſuo orientali luſtro vel colore ornatum; & quod verus lapis bezoar vix niſi Magnatibus Indiæ, Perſiæ & Regibus noſtris, quibus ab Indis dono mittuntur, in promptu ſit. Lapidem bezoar factitium ab aliquot annis ex Goa afferri cœpiſſe, propterea la Pietra di Goa dictum, ait Marcus Gerbezius *Chronolog. Medico-Pract. Ann. III. §. 52. pag. m. 260.* Inquit etiam Simon Pauli *Quadrip. Botan. Claſſ. I. p. 16.* Se Pariſiis Anno 1629 degente impoſtorem inclaruiſſe a la ruë de Perle, qui tanta ſolertia norat adulterinos bezoar lapides conficere, ut vel Argus genuinos ab illis non poſſet diſcernere. Pharmacopæum Hafnienſem, nomine Beckerum, lapides bezoar factitiis conſtruere potuiſſe, refert Caſparus Kœlichen in Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. V. Obſerv. 130. pag. 327.* Lapidibus factitiis non immerito annumerandus mihi videtur ille, de quo Ferrantes Imperatus, apud Neapolitanos Pharmacopæus Anno 1609, 1 Maji ad Caſparum Bauhinum perſcripſit: Intellexi te ſcribere de bezoari animali Indiæ quadrupete, quare de re profecto admiranda te monere volui: utpote Cardinalem Burgenſem ex Hiſpania ad noſtrum ſummum pontificem miſiſſe lapidem bezoar (ſi ita eum appellare liceat) admirandæ magnitudinis, ponderis decem librarum, naturalem, non factitium, rotundum, cinereum, corticibus donatum, quemadmodum parvi habent. Non credo eſſe ex animali bezaar, quod ſcribunt eſſe magnitudinis capræ, ſed alterius animalis cornigeri multo majoris. Nec exiſtimes, dictum lapidem manu factum & falſum eſſe, quemadmodum reperiuntur aliqui compoſiti ex pulvere veri lapidis bezaar, & radicibus ejus herbæ, quæ ab Hiſpanis vocatur contra Hierna, ſimul junctis cum Gummi Arabico. Viſum ergo fuit de hac re te admonere, cum mihi videatur res rariſſima,

riſſima, nihilominus vera, cujus rei teſtis ſum &c. vid. Caſp. Bauhin. *de Lap. Bez. cap. 24. pag. 128.* Scribit etiam Andreas Chioccus *in Muſæo Calceolar. Sect. III. fol. 336.* ſe verum bezoardicum lapidem, ovi anſerini formam exprimentem contrectaſſe, qui in Braſilia elaboratus tradebatur, cum reſina & fructu Crunacinæ nec non radice Drakenæ quam Luſitani herbam contra herbam vocant: in ſuperficie flaveſcit, intus cinerei eſt coloris, jactant etiam adverſus omnia venena, febres mali moris & peſtilentes unicum eſſe & ſingulare remedium; adeo ars, cum naturam rite imitatur, res admirabiles e ſuo etiam ſinu proferre valet. Hunc lapidem ſibi a Patre Societ. Jeſu donatum Anno 1500 Calceolarius profitetur. Divitem quendam Iudæum, Moyſen Villelam nomine, ex parvis lapidibus bezoardicis magnos duarum & plurium unciarum pondere confeciſſe magnoque pretio vendidiſſe, parvos ſcilicet in pulverem comminutos peculiari quadam glutinoſa aqua, pro ea, qua volebat, magnitudine compingendo, ait Caſparus Bauhinus *l. a. pag. 139.* Quo loco etiam aliam adulterati lapidis bezoar conficiendi modum e Chriſtophoro a Coſta adducit, utpote ex creta, cineribus teſtarum oſtrearum, ſangvine ſicco & lapidibus bezahar minoribus ſubtiliter contuſis, & cum aliquo liquore ſimul diligenter incorporatis, ita ut naturales & veros æmulentur. Item alios nebulones cinabarim, antimonium, argentum vivum, ignis artificio varie compingere, conglutinare, tingere & exſiccare, ut verum bezoar æmuletur. Verum quis quæſo lapides ex creta, calce, oſtrearum teſtis & ſicco ſanguine confectos, taceo ex cinabari, antimonio, argento vivo & ſimilibus conglobatos, nocentiſſimos & lethales eſſe non dixerit? v. etiam Joh. Schrœder. *Pharmacop. Lib. V. pag. 815.*

§. 38.

Signa probitatis.

Cum proinde verus & genuinus lapis bezoar rariſſimus ſit, non immerito medicis, qui ejusdem uſum ſibi neceſſarium credunt, ſedulo invigilandum, ne ab hominibus improbis, qui deſiderio lucri ſæpius unum pro altero vendere ſolent, decipiantur, quapropter etiam tam veteres quam recentiores, pro detegendis fraudibus, quæ in vendendis lapidibus bezoardicis committuntur, in dignoſcendis & eligendis lapidibus Orientalibus, quibus majorem virtutem adſcribunt, ſolliciti certa lapidis bezoar orientalis ſigna, ejusque & occidentalis & artefacti differentiam indagare allaborarunt; quas notas ex variis Autoribus hoc loco inſerere liceat. Scilicet juxta Chriſtiani Marggrav. *Mater. medic. contract. cap. 31. pag. m. 49.* Lapis bezoar legitimus & minime adulteratus levibus, glabris & friabilibus laminis conſtat, ſibi quidem ipſis cæparum inſtar ſtricte adhærentibus, ſed ad viſum conſpicue diſtinctis, & interius quidem externæ laminæ colorem, ſplendorem & ſubſtantiam referentibus. In meditullio concavus, in quo vel pulviſculus, vel parvum cinereum granulum, vel paleæ tenuis fiſtula, vel aliud quippiam ſimile reperitur. Laudatur inter orientales, coloris olivæ. Minor (modo & cæteræ notæ correſpondeant) ac mediocris quoque omnium optimus cenſetur. Inter occidentales autem, & qui ex montibus Peruviæ adferuntur, laudatur, qui laminis contegitur nunc ſubalbidis, modo ſubcinereis, jam obſcure virentibus, interdum flaveſcentis coloris, & qui cruſtas ſeu laminas habet craſſiores & gypſeas, feſtucæ fragmentum in meditullio continens: Is ſatis magnus eſt. Nonnulli quoque ſunt parvi, ſubnigri coloris, quorum laminæ (quodammodo exeſæ) dum franguntur, aureos fulgores, ſeu aureas ſcintillas emittunt; illi quoque præſtantiſſimi. Falſi vero corti-

cibus

cibus deſtituuntur, dentes inficiunt, & dum franguntur, fruſta dura relinquunt, terræ aut gypſi more. Has notas ex aliis Autoribus collectas hinc inde reperies. Juxta Joh. Schrœder. *Pharmacop. Lib. V. p. m. 815:* notæ bonitatis ab Autoribus paſſim notatæ ſunt 1) forma a forma renum aut ovi columbini exterius lævigati diverſa, utpote quæ ſignum lapidis adulterati. 2) Structura laminis multis inſtar cæparum ſeſe invicem incumbentibus, iisque ſingulis glabris, lævibus, ſplendore coruſcantibus: quod tamen alii reprobant. 3) Cavitas (meditullium) expers rei heterogeneæ præter pulverem; quidam malunt incluſam paleam, feſtucam, granum &c. 4) Pondus aliis levius, nonnullis gravius: 5) Commiſtio cum calce, i. e. ſi lapis humectatus, & calci vel muro affrictus, calcem colore viridi tingat: ſi lapis calce viva (cui admiſta aqua) inunctus paulo poſt flaveſcat: ſi lapis chartæ creta oblitæ affrictus viridem inducat lineam: ſi pulvis cum calce viva mixtus colorem ex pallido virentem referat, (quod tamen non de omnibus verum eſſe poteſt.) 6) Friabilitas & diſſolutio in aqua, quæ tamen itidem & falſi lapidis propria eſſe non nequit. 7) Liquatio, i. e. ſi acus candens intrudi poſſit. 8) Diſparitas fragmentorum cum gypſo aut terra cocta (in duritie ſcilicet) 9) Experimentum. Verum enim vero ſumma in dijudicatione lapidis cautio adhibenda eſt, neque absque notarum ſyndrome de bonitate quid certi ſtatuere expedit. Præſtantiſſimus tamen inter cæteros habetur Perſicus, (quoniam in Perſica Contrajerva copioſe creſcit, quam depaſcit capra.) Juxta Frider. Hoffmann. ſen. *Clav. Schrœd. pag. 651.* Lapis bezahar ſemper paleam, vel aliud aliquid intus habet, quod nunquam fallit, niſi in adulterinis, & ſi ſuperficiali tunica abraſa non ſuccedat alter orbis cæparum modo, donec ad paleam iſtam diventum ſit, factitius eſt lapis. Item adulterium ejus nonnulli ſequenti

modo probare volunt: Si lapis fricetur pauca calce, & in loco fricato puniceus appareat color, dicunt, verum eſſe & genuinum. Deinde ſi ponderatum accurate lapidem conjicias in pelvim aqua repletam & poſt duas aut tres horas eundem eximas ac rurſus ponderes, ac nihil de priori pondere aut perdiderit, aut eo gravior factus fuerit, verus eſt lapis bezahar. Verum ſi calce fricatus rimam ducat, aut ſi aquæ exemtus de pondere amiſerit vel eo auctus fuerit, adulterinum eſſe audacter dicat, v. etiam Caſp. a Reies *Quæſtion. 67. pag. 914.* Mauritani, ut adulterinos lapides a legitimis dignoſcant, manibus comprimunt, dein ſpiritu inflant. Nam ſi aër aliquis permeat, adulterini indicium eſt, ſcribit Garzias ab Horto *Cap. 45.* Ad hunc locum ita commentatur Carolus Cluſius *Exotic. fol. 216. ſeq.* Invenitur interdum Ulyſipone venalis lapis bezoar alia atque alia forma, quem licet magno admodum æſtiment mercatores, ea tamen conditione vendere nolunt, ut periculum, an legitimus ſit, faciat emptor. Id autem fit in hunc modum: ducitur cum acu filum per toxicum (herba baleſtera vocant) deinde per canis aut alterius animalis pedem transmittitur, atque filum relinquitur in vulnere. Canis illico ea ſymptomata incipit habere, quæ comitari ſolent eos, qui toxicum biberunt. Cum plane concidit canis atque deſperatus videtur, tum pulverem ab hoc lapide abraſum & aqua dilutum cani in os injiciunt. Si auxilium ſenſerit, legitimi probatio eſt, ſin minus, adulterinum cenſent. Conſtant autem ſinguli ex laminulis miro artificio alia aliam, ut ceparum tunicæ, amplectentibus, ſplendentibusque quaſi politæ eſſent: immo priore lamina dempta, ſubſequens multo ſplendidior invenitur, quod legitimi eſt indicium: ſuntque hæ laminæ aliæ aliis denſiores, pro lapidum magnitudine. Lævis eſt & blandus, ut facile alabaſtri modo abradi poſſit: imo diutius in

aqua hærens liqueſcit. Nullum cor aut matricem habet, ſed in meditullio cavus eſt, & pulveris ejusdem cum lapide ſubſtantiæ plenus, qui maxime commendatur, atque etiam ipſi lapidi præfertur: ſed is pulvis legitimi etiam indicium eſt: etenim, qui adulterati ſunt, neque laminas ſplendentes habent, neque pulverem illum in meditullio continent, ſed granulum aliquot aut ſemen, ſupra quod Indi illum efformarunt. Juxta Andr. Cæſalpin. *Metallic. Lib. II. p. 136.* Lapidis bezoardici occidentalis cruſtæ non ejusdem coloris ſunt intus & extra, ut orientalium: ſed extra utplurimum nigræ ſunt, aut fulvæ, aut cinereæ, minus ſplendidæ, ineſt aliquando veluti aureus pulviſculus ſplendens: intus autem omnes ſubcandidæ ſunt, veluti ex fibris compoſitæ: idcirco minus adulterari poſſunt, quam orientales. Deprehenduntur adulterati, nam calefacti molleſcunt, ſi ferro candente perforentur, ſinceri nequaquam. Præterea adulterati, ſi frangantur, non habent in meditullio cavitatem, neque paleam, ſed aliquid aliud. Melioris lapidis bezoar notas ſequentes ſtatuit Olaus Wormius *Muſ. Lib. I. Sect. 2. cap. 19. fol. 111.* ſi ex capricervis orientalibus, in montanis paſcua habentibus, ſit depromptus, unde Perſicus præfertur Malacenſi: qui ex nigro ſeu varo colore virideſcit, cujusque pulvis ſubviridis eſt: qui ablata cruſta ſuperiore, inferiorem ſplendentem habet, qui in meditullio concavus, aut arenam lapidis ſubſtantiæ ſimilem habet; qui in aqua aut vino liqueſcit, nihil continens arenoſi: ſi calce viva, aqua admiſta, ungatur lapis, ac illa paulo poſt flaveſcant. Quidam chartam creta fricant, deinde ſupra cretam lapidem; ſi frictionis linea viridis appareat, legitimum cenſent. Quidam acu ignita lapidem perforant; ſi fumum de ſe ſpargat, adulteratum credunt. Certior tamen nota non datur, quam ſi venenum animali præbeatur, & oblato

lapidis

lapidis pulvere incolumis canis evadat. Mercator ille Hamburgenſis, cujus paulo ante ex Gabriel. Clauder. *de Balſamat. Cap. IV. p. 90. ſeq.* mentionem feci, nimirum Johannes Langermannus ſimul indicavit, adulterinos lapides a veris nullo, niſi hoc unico dignoſci poſſe ſigno: chartæ albæ affricetur creta & huic aliquoties lapis bezoar; genuinus tingit chartam cretatam colore e nigro-flaveſcente; iſte vero e gypſo & aliis paratus, non item. Secundum Joh. Helffric. Juncken *l. à. p. 15.* laudatur inter orientales lapides ille, qui e nigro vireſcit, olivæ inſtar & mediocris vel minoris eſt magnitudinis; quique in charta, quæ creta prius confricata fuit, fricatus, viridem colorem relinquit. Adulteratus corticibus deſtituitur, ac ſi aliquot horis aquæ immergitur, tunc vero exemptus vel de ſuo pondere quid amiſit, vel eo ponderoſior factus fuit. Occidentalis bezoar ſubcinereum habet colorem, & longe gravior eſt orientali, neque ut hic ſplendet, ſed ſuperficiem obtinet ſcabram ac cruſtas habet craſſiores & gypſeas, quæ fractæ minutas quasdam ſtrias, artificioſo naturæ opificio ſe mutuo complectentes, obtinent; cum econtra adulterini, qui ex paſta quadam efficti ſunt, radios eos haud quaquam contineant. Præfertur a Roderico a Caſtro lapis orientalis, lævis, pellucidus, luminoſus, coloris ex viridi nigri, inſipidus, cujus pulverem ſi calce & aqua miſceas, colorem refert ex pallido viridem, quique ſuper accenſos carbones injectus in auram penitus evaneſcit. vid. Jacob. Primeroſ. *de Vulg. Errorib. Lib. IV cap. 36. p. m. 451.* Philibertus Sarazenus duas lapidis bezoardici incorrupti notas ſtatuit, ſcilicet duritiem inſignem & tincturam levem virideſcentem, quæ affrictu duriuſculo ex linteo molli leviter ſaliva perfuſo contrahitur in linteum. Præterea ſuſpectæ bonitatis ipſi videntur lapides, qui in meditullio nucleum dactylorum aut quippiam ſimile continent. v. Gv. Fabric.

Hild. *Cent. 4. Obſ. 24. Op. p. 309.* Secundum Andr. Cæſalpin. *de Metallic. Lib.* 2. *cap. 46. p. 138.* repertum experientia eſt, ſi lapis bezoar verus eſt & ſyncerus, dentes eorum nigreſcere, qui hauſerint, ideo cavent, cum devorant, ne medicamentum dentes attingat, cochleari intra fauces demiſſo. Juxta Joh. Bapt. Tavernier *Itinerar. Indic. Lib. II. cap. 24.* verſionis Joh. Menudier *fol. m. 142.* *Man kann den Betrug des Bezoar-Steins durch zvvey Mittel erkennen. Das erſte iſt, daſs man den Bezoar vvägen muſs, und ihn etliche Zeit in einem laulichten Waſſer vveichen laſſen; ändert das Waſſer die Farbe nicht, und bleibet der Bezoar ſo gevvichtig als zuvor, ſo iſt er nicht gefälſcht. Das andere Mittel iſt, daſs man ihn an ein glüend-ſpitziges Eiſen halte; brennet das Eiſen durch, und macht, daſs er ſich gleichſam röſtet, iſt es ein gevviſſes Kennzeichen, daſs er vermiſcht und nicht natürlich ſey.* Vel ſecundum Philipp. Baldæi *Beſchreibung von Malabar. und Coromandel. cap. 16. pag. 98.* *Den rechten Bezoar von dem falſchen zu unterſcheiden, muſs man mit einem glüenden Pfriemen hart darauf drücken; Iſt er gerecht ſo vvird er dadurch nicht verletzet vverden. Man kan ihn auch erſt vvägen, und hernach ins Waſſer legen, eine ganze Nacht, ſo alsdenn der Bezoar ſchvverer vviegt, iſt er falſch; Behält er aber ſein erſtes Gevvicht, ſo iſt er gut.* vid. etiam *Cap. 24. fol. 132. ſeq.* Item Johannes van Beverwyck *im Schatz der Ungeſundheit Part. I. cap. 18. fol. m. 65.* inquit: *Den Betrug des verfälſchten Bezoar zu entdecken, vverden uns unzählige Kennzeichen des aufrichtigen vorgeſchrieben: unter denen keines ſo gevvis iſt, als daſſelbe, vvenn man ihn zvviſchen ein glühendes Kucheneiſen kneipet. Dann ſo vvird derſelbe, der durch Kunſt zugerichtet und gebakken iſt, von einander gebrökkelt; da hergegen der aufrichtige Stand hält, und feſt an einander bleibet.* Vel juxta *Memoires concernans les Arts An. 1672. p. m. 318.* le moyen, dont on ſe ſert pour

diſcerner le bezoard veritable du faux, c'eſt de le mettre ſur un fer chaud & rogyau feu; car ſ'il eſt bon, il n'en ſera aucunement endommagé; on bien, on le peze, & on le laiſſe en ſvite douzes heures dans l'eau; ſ'il n'y perd rien de ſon poids, c'eſt ſigne qu'il eſt veritable. Porro de vero lapidis bezoardici orientalis examine per ſolutionem cum ſpiritu nitri in liquorem rubicundiſſimum ſequentem Obſervationem recenſet Caſparus Kœlichen in Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 130. p. 327.* Incidi, inquit, nuper in ſcriptum ex Anglico idiomate in Gallicum translatum, ubi inter alia agitur de lapide bezoardico orientali, quodſi nempe illi affundatur ſpiritus nitri, brevi poſt tantam effervescentiam ibi excitari cum ſpuma ſtrepitu, vapore & elevatione tanta, usque dum illa lapidis bezoardici quantitas tota ſit a ſpiritu nitri diſſoluta & in colorem ſanguineum mutata, id quod veriſſimum eſt: tentavimus enim hoc examen in Pharmacopolio Beckeriano, Drachmæ autem lapidis bezoardici orientalis electi affudit dictus Beckerus præter propter drachmas duas ſpiritus nitri, & vitrum cum contentis admovit prunis, ut paulum incaleſceret, ubi illico tanta ebullitio ſecuta fuit cum ſpuma & efferveſcentia vaporoſa tanta, ut vitrum illud libræ unius ponderis civilis capax vix ſufficeret, ut intra capacitatem ejus contineri poſſent hæc duo prædicta corpora ſibi invicem magno cum fervore repugnantia, ubi tandem poſt abſolutam pugnam liquor rubicundiſſimus in fundo vitri remanſit. Tentavimus etiam hoc in alio lapide bezoar, quem ſciebamus eſſe factitium (ſiquidem Beckerus factitios illos conſtruere novit) ubi nihil efferveſcentiæ ſubortum. Plura de ſignis legitimos lapides bezoardicos cognoſcendi vid. Caſpar. Bauhin. *in Tract. de Lapid. Bez. Cap. 26. p. m. 140. ſq. & cap. 27. p. 154. ſqq.* Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Qv. Camp. Qv. 67. n. 30. p. m. 913. ſq.*

§. 39.

§. 39.

Utrum vero adductis ſignis infallibiliter ſit fidendum, dubitant alii Autores, ſiquidem Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſerv. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 24. fol. m. 307.* admirandas equidem operationes ex ipſo, non ſolum in multis aliis verum etiam in ſemetipſo, vidiſſe fatetur, majorem tamen difficultatem in ipſius cognitione & vera electione ſitam eſſe exiſtimat. Etiamſi enim varia & fere infinita ſigna, quibus cognoſcatur, paſſim ab Autoribus claſſicis tradantur, ſæpiſſime tamen incerta ea eſſe, & fucum detegere non poſſe, auſus eſt affirmare. Sic Lucas Schrœckius Lucæ Filius inquit *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 173. pag. 339.* qui lapides badzahardicos orientales illos tantum genuinos eſſe judicant, quibus aliqua intus eſt cavitas, aut palea concretionis baſis vel principium, atque viciſſim omnes, quibus fundamenti loco aliquid aliud, phaſeolus, ſemen &c. concluditur, rejiciunt, ne decipiantur vereor; iisdem talium lapidum inſtituta cum genuinis iſtis creditis adcuratiore comparatione contradicente, cum & hos colore, lamellis & cæteris notis in genuino lapide requiſitis pollere, quotidiana, ut ita dicam, nos edoceat inſpectio. Quam varia autem corpora contineant hi lapides, paſſim ex Autorum conſtat relatione, & ipſe plura eaque inter carbones, lapillos varios, dactylorum nucleos &c. ex præſtantioris notæ lapidibus collegi. De his ſignis ita ſcribit Caſpar a Reies *l. a.* Garcias ab Horto ſcribit; Mauritanos, an veri ſint lapides, obſervare, manibus primum lapidem calefacientes, deinde ſpiritum exſufflantes, ac, ſi aër permeat, adulterinum inde cognoſcere. Sed ſi hic aliud non ſubeſt, etiam hoc ſignum nil ponderis habere judico; quid enim obſtat tunicas illas ita compactas & compoſitas adhærere poſſe, ut ſpiritum non admittant? Addit præterea aliud, nempe legitimos in centro pro baſi habere aliquid

An his ſignis fidendum

paleæ, aut ſicci folii; Caſtrenſis ait, in uno, quem rupit, nucleum mirobalani inveniſſe; Petrus Texera in alio lapide, e ſimio extracto, ferream ſagittæ cuſpidem pro fundamento inventam vidiſſe ait: omnes enim aliquid in centro habere, ſupra quod formari incipiant, idem teſtatur Autor, ut paleam, herbam, lapillum tenuem, palum, quin & dactyli nucleum aliquando inveniri. Sed ex hoc tantum abeſt, ut veri lapides cognoſci poſſint, & a falſis diſtingui, ut imo ex his ſignis Monardes contrarium judicet, & in uno a ſe aperto granum aut alicujus rei ſemen ait inveniſſe, ſupra quod Indus impoſtor lapidem formaverat. Itaque ſicuti falſos ex hoc cognoſcere non eſt poſſibile, ita nec legitimos, cum hi frequentiſſime tale quidpiam habeant; quod minime ignorantes illi, qui falſos confingunt eodem artificio utuntur, ut naturales æmulentur: quo fit, ut an arte, an natura factus ſit, difficile ex illo ſigno quis aſſequi poſſit; nihil enim ex his eſt, quod adulteratores facillimo negotio non conſequantur. Nec etiam de coloribus, ut aliqui putant, aliquid dari poteſt, quod veris tantum competat, cum illi ab impoſtoribus non difficile pingantur, veri lapidis pulverem in cruſtarum ſuperficie addendo, aut aliter re aliqua, quæ expetitum colorem exhibeat. Ad quæſtionem, quænam ſint veri lapidis bezoar notæ & characteriſmi, quibus a falſis vel adulterinis diſtinguantur? ita reſpondet Paulus Ammannus: Nota exacta, ſi effectum præſcideris, nulla dari poteſt, nec diſcrimen adulterati, vel falſi a naturali: ſiquidem αὐτοψία teſte, adulteratus a vero, ſi ſenſum attendas, differt nihil. Hinc probationes beneficio aquæ & calcis, quas Garzias, & in eum Bontius habet, ſunt fallaces & in factitiis ſæpe veri nota deprehenditur. Pariter characteriſmi, quos habet Olaus Wormius *p. 111.* & Salmuth *in Panciroll. p. 120. 121.* non indubitatæ ſunt veritatis. Tam fallax medicina

dicina eſt lapis bezoar. vid. Paul. Ammann. *Manuduct. ad Mater. medic. Sect. III. cap. 4. §. 3. p. 180. ſeq.*

§. 40.

Denique non ſolum in cervis, hircis & capris vel cervicapris bezoardicis Indiæ orientalis & occidentalis repeniuntur lapides bezoardici, ſed in noſtratibus etiam animalibus variis, imo in ipſo quandoque homine ſæpe occurrunt calculi lapidi bezoar, tam quoad externam, quam internam faciem & virtutem perſimiles; hinc etiam Raymundus Mindererus *de Peſtilent. cap. 15. p. 221.* lapidem bezoar e caprarum Indicarum folliculo felleo, vel ſtomacho erutum facili fere techna lapidum ab equis ſimili plane forma & magnitudine quandoque inſigni prodeuntium æmulatione ſua laude, qua Magnatibus is olim commendatus extiterat, defraudari poſſe ſcribit, ſimulque pergit, conſimiles politos lapides equum Baronis cujusdam quotannis per ventrem excreviſſe, aliosque equos poſt mortem diſſectos tanti pretii lapides bezoar reliquiſſe, ut ſui corporis, virtutis ac agilitatis & æſtimationem & exiſtimationem centuplo lapidis in ſeſe contenti valore videantur recompenſaſſe. Tales quoque lapides, pergit idem, bezoardicis ſimilachro, colore, ſubſtantia ac nitore æquiparandos, Crato & alii quoque viderunt. In vilibus ac parvi momenti rebus fraus locum vix habet, deceptionis enim labor deceptorem non alit, at in magnis ac multæ æſtimationis quæque multo ære comparantur medicamentis omnis nebulonum occupatio & vigilat & laborat ſedulo &c. Hippolithum bezoaris vicem ſuſtinere poſſe, ſtatuit Andreas Libavius in Joh. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 66. p. 184.* Inquit etiam Lucas Schrœckius: ut ludus humanus a recentioribus nonnullis ipſi lapidi bezoardico præfertur, ob inſignes virtutes alexipharmacas, reſolventes, diureticas, præcipitantes, &c. ita nullum dubium eſſe *Lapides Bezoar in noſtris animalibus.*

 ſtatuit

ſtatuit G. W. Wedelius, ipſummet etiam Hippolithum viribus pollere iisdem. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 167. p. 216. & 122.* Plura lapidum equinorum lævium, politorum, & lapidibus bezoardicis Indicis non diſſimilium exempla reperies ſupra *ſ. 4.* Hippolithos geminos Auguſtæ equorum inteſtinis exemptos, admodum elegantes, ſplendentes, glabros ac nitidos, colore, ſubſtantia, teſtarum ſive cruſtarum inductione, & reliquis omnibus accidentibus, præterquam magnitudine bezoardicis lapidibus omnino pares ſe vidiſſe refert Georgius Hieronymus Velſchius *de Ægagropil. Diſſ. II. p. m.* 12. In fero quoque animali lapis, magnitudine ad ovum columbinum fere accedens, ſumma duritie, colore cinereo, externe aliquantulum ad flavedinem vergens eleganter concretus & inſtar lapidis bezoar cruſtulatim compactus, reperitur, Luſitanis ſub nomine lapidis de Bombaco vel Membaza veniens, uti refert Hermannus Nicolaus Grimmius *M. N. C. Dec. II. An 1. Obſ. 149. p. 368.* De lapide quaſi bezoardico in cervæ globulo ferreo transfoſſæ ſtomacho reperto ibique ſacculo membranoſo, vel veſicæ coriaceæ a natura incluſo, adeo quidem, ut primo intuitu huncce juraſſes ſacculum caſtoreum officinale continentem, vide Obſervationem Gabrielis Clauderi *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 78. p. 174. ſeq.* ubi pergit: lapidis bezoardici virtute eundem pollere, facile credet is, qui conſiderat analogiam cervæ cum capra bezoardica earumque cibi ac nutrimenti ex herbis medicamentoſis æqualitatem; præprimis ſi meæ quoque experientiæ teſtimonium addiderim, quod ſcilicet pauxilla hujus grana propinata egregie ſudorem moverint. Ibidem etiam dictus Clauderus ex Athanaſio Kirchero refert, calculum lapidi bezoardico quoad figuram & qualitatem bezoardicam vere ſimilem in Chinæ Provincia Xanting aliquando in vaccarum ſtomacho reperiri.

Credit

Credit autem ipſe Clauderus, non modo in dictæ Chinæ Provincia Xantingi, ſed & in reliquis ejus Provinciis, imo pluribus aliis regnis, & ſimilia & majora repertum iri, modo laborioſa manus mensque curioſe indefeſſa in ſimilia inquireret. In vaccis etiam Regionum tam orientalium, quam occidentalium multos & magnos calculos bezoardicos reperiri, ſcribit Johannes Baptiſta Tavernier *Itinerar. Indic. Lib. II. cap. 24. fol. m. 143.* De lapide bezoardico in vaccæ veſicula fellis reperto, v. Th. Bartholin. *Cent. II. Hiſt. 32. p. m. 195.* De ejusmodi lapide bezoardico vaccario in Urbe Sinenſium Cingchen e ventriculo ovi anſerini magnitudine, quem Nieuhoang nominant, extracto, ita ſcribit Johannes Neuhof *Itinerar. Sinenſ. p. m. 153: In der Gegend der vierdten Hauptſtadt Cingchen, ſo faſt 20 Meylen von der Statt Tuncham gelegen, vvird in dem Magen der Kühe ein Stein gefunden, vvelchen die Sineſer vvegen ſeiner gelben Farbe,* Nieuhoang, *das iſt, Kuhgelbe, nennen: vveil* Nieu *eine Kuhe und* hoang *gelbe bedeutet. Dieſer Stein iſt von unterſchiedlicher Gröſſe, und zum öfftern nicht viel kleiner denn ein Ganſs-Ey. Euſerlich ſcheinet er einer vveichen Materie zu ſeyn, der Kreyden ehnlich, ausgenommen, daſs er gemeiniglich gelber Coleur iſt; maſſen er ſich viel vveicher und mürber, als der Bezoar, befindet, vor vvelchen ihn auch etliche, oder zum vvenigſten vor eine Art und Gattung deſſelben vvollen gehalten haben &c.* De lapidibus bezoardicis in aliis animalibus repertis vide ſupra circa principium hujus Capitis.

§. 41.

Denique etiam in ipſo homine quandoque calculos lapidem bezoar æmulante reperiri probat Johannes Beverovicius Epiſt. ad Lazarum Merſonnerium *Quæſt. Epiſtol. p. 107. ſeq.* de femina quadragenaria, jam quinque & viginti annos doloribus nephriticis miſerrime vexata, quæ *In Homine.*

pluri-

plurimos ſubinde calculos excrevit, diverſi diverſo tempore coloris rubicundos, fuſcos, albidos, nigricantes. Hujus fœminæ renes & ureteres poſtea calculis ejusdem coloris, ſed variæ figuræ & magnitudinis, minoribus & ad glandis molem fuere referti, qui etiam vel ſagacioribus imponere potuiſſent. Nam figura, colore, ſubſtantia, non ficus ficum, ut eſt in proverbio græcorum, magis referunt, ac perfecte exprimunt lapides bezoar orientales, quos itidem ex variis, quam illi laminis, prioribus aliis accreſcentibus, conſtare obſervamus. Idem Beverovicius etiam *in Schatz der Ungeſundheit Part. I. cap. 18. f. m. 65.* inquit: *Gleichvvie der Bezoar eine Zeit nach der andern trukken, und gleich denen Zvviebeln, immer mit neuen Rinden überzogen vvird: Eben auf ſolche Weiſe pflegen auch die Steine in unſerm Leibe gleichſam überſchilbert zu wachſen, und mit mehr und mehr Schalen oder Rinden umbgeben oder überzogen zu werden. Ja ſie gleichen vielmahls dem Bezoar an Geſtalt und Farbe, ſo vvohl, daſs kaum einer von andern kann unterſchieden vverden. Darum pflegen ſie etliche Betrüger bey denen Steinſchneidern aufzuſuchen, und vor Bezoarſteine zuverkauffen.* In Conſulis cujusdam filiola, poſt plurimos cruciatus defunctæ atque cultro anatomico ſubjectæ renibus aliquot parvos quidem calculos, verum & colore & glabritie, imprimis cum lapidibus bezoar adeo convenientes, ut dignoſcere ab iisdem difficile foret, obſervavit Vitus Riedlinus *Linear. medic. An. 1697. Menſ. Decembr. Obſ. 10. p. 847. ſeq.* In veſica ſenatoris cujusdam Amſtelredamenſis, Johannis de With viginti novem calculos, figura & magnitudine inter ſe, ut dispares; ſic forma, glabritie ac lævitate adeo invicem ſimiles, & tam prope convenientes cum lapide bezoardico, quem fert India orientalis, ut facile vel oculatiſſimo impoſuiſſent aromatario. uti refert Nicolaus Tulpius *Obſerv. medic. Lib. III. cap. 4. p. 195.*

pag. 195. Item puero nondum quadrimeſtri calculum ancilla ex pene extraxerat, magnitudine quidem & figura Pilulam Francofurtenſem æquantem, at cetera lapidi bezoar tam ſimilem, ut & pharmacopæus, cui in principio monſtratus erat, ſe, in quo ab illo differret, invenire non poſſe, ſi ſolam magnitudinem excipias, teſtari non dubitaverit. Calculum humanum ingentem ſuperficie æquali & ſplendentem, colore & forma tam accurate lapidem bezoardicum orientalem imitantem, ut difficile foret viſu ea diſcernere, ſiſtit Fredericus Ruyſchius *Theſaur. Anat. III. p. m. 4. Tab. 1.* Inter calculos in corpore humano repertos Olaus Wormius fruſtam tenuit ex quodam, qui ovum gallinaceum; dum integer eſſet, magnitudine ſuperabat. Dimidia hæc pars pondere erat drachmarum ſex; figura ovali præditus fuiſſe videbatur aliquantulum compreſſa. Subſtantiæ erat gypſeæ aut tartareæ, mollis adeo, ut cultro facile aliquid ei abradi poſſet, colore luteo, ex laminis ita coagmentatus, ut lapis bezoar orientalis eſſe ſolet. Ex reſiduo liquido colligere licebat, quomodo una lamina poſt aliam corpori appoſita fuerat, donec in hanc excreverit magnitudinem. Superficies externa lævis fuiſſe videbatur, nullis aſperitatibus rigida. vid. Worm. *Muſæi Lib. I. Sect. 2. cap. 11. fol. 74.* Antonio Nuckio a Matrona quadam oblatus fuit calculus figuræ oblongioris, centro ſuo abſcondens bacillum rotundum, oblongum, ab una fere ad alteram lapidis partem extenſum, cui variæ incruſtationes lapideæ, diverſo colore (flavo potiſſimum, albo & ſangvineo) tinctæ adhærebant. Et quæ omnium extrema, eleganti lævitate conſpicua fuit, colore etiam tali, quali ordinario lapis bezoar orientalis donatus eſſe ſolet, uti ipſe Nuckius refert *Adenograph. cap. 7. pag. 83.* Scribit etiam Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſ. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 24. fol. m. 307. ſeq.* ſe fragmenta lapidis habuiſſe,

quæ ad unciam fere usque ponderarint, quæque ſpeciem lapidis bezoar tam belle præbuerint, ut niſi ipſemet fucum ſciviſſet, pro vero lapide bezoar ipſe cum multis aliis viris doctis judicaſſet. Fuerunt autem dicti lapidis fragmenta cineritii coloris, lævigata & expolita, quemadmodum lapides bezoar orientales. Adhæc ex fragmentis prædictis lapidem ex multis ſquammis compoſitum fuiſſe apparebat, adeo tamen inter ſe cohærentibus, ut unum corpus conſtituerent nulloque modo una ab altera ſeparari poſſent. Dictum autem calculum, cujus fragmenta drachmas ſeptem, ſcrupulos duos, grana ſex ponderantia, quæ a multis variisque doctis & in re medica & pharmacevtica eruditis viris pro genuino bezoar habita judicataque fuere non bezoar, ſed calculum ex veſica hominis exciſum fuiſſe, teſtatur ibidem Fabricius, eumque calculum non in uſum hominis ſe reſervare, ſed ut, quanta ſit in cognitione & electione veri lapidis bezoar difficultas monſtrare probareque poſſet. Item *fol. 309.* inquit Fabricius, occidentales bezoar ex multis tenuiſſimis laminis conſtant, quapropter in illis fucum nullum eſſe, aliquando arbitratus ſum, ſed parum recte. Ante menſes enim duos, cum Daniel Epiſcopus lithotomus excellens & ſenex, Bernæ ultra quinquaginta calculos, quos ille ipſemet ex corporibus humanis extraxerat, mihi monſtraret, inter illos nonnullos obſervavi, qui ex multis tenuiſſimisque laminis conſtabant, & occidentalem bezoar quam eleganter præ ſe ferebant. Quapropter ille ſenex conſtituit & hæredibus ſuis mandavit, ut fato ſuo functo, omnes, quos extraxit ſibique reſervavit, feretro ſuo imponerentur, ne forſan impius aliquis impoſtor impoſturam cum ipſis exerceret. Itaque quibus notis certis & indubitatis lapis ille cognoſci poſſit, nondum video.

§. 42.

Hactenus de lapidis bezoardici adulterationis ſuſpicione egimus, reſtant adhuc pauca de dubia ipſius virtute medica adducenda. Quamvis enim plerique tam veterum, quam recentiorum, hactenus allegatorum Autorum, & omnes fere Medici practici lapidis bezoar virtutes ſummis encomiis contra omnes prope, imprimis malignos morbos atque venena, tanquam univerſale ac unicum quaſi remedium, tam interne quam externe adhibendum, extollant, imprimis autem lapidi bezoardico orientali longe majores virtutes, quam occidentali adſcribant, nonnulli tamen easdem virtutes, quas hoc loco ex aliis Autoribus allegare nolumus, in dubium vocant; ſiquidem Hermannus Grabe *de Malo citreo cap. I. Art. 4. c. 2. pag. 58. ſeq.* dictum malum lapidi bezoardico præfert; citreum noſtrum, inquiens, præprimis ſi totum veniat in uſum lapidibus pretioſis & ipſi etiam bezoar multis ſane partibus præferendum. Non dicam hic de bezoar, quod adulterinus utplurimum ſit, & inter centeſimum quemque etiam in iis, unde ad nos defertur, locis vix genuinus detur aliquis aut bonæ notæ, ſed virtutes tantum bezoar & reliquorum lapidum pretioſorum hic lubet in dubium vocare. Vis enim horum cardiaca Bauhino, Deuſingio & aliis Practicis tantopere celebrata unde ſit arceſſenda, aut arceſſi ſat commode queat, non video, cum ſint ſaporis omnis pariter ac odoris, in quibus vis medica potiſſima (monente id Conringio) quærenda eſt, expertes &c. Quicquid autem præſtant vel bezoar, aut reliqui lapides pretioſi, id figendo, id præcipitando præſtant. Quocirca non citra fructum quidem adhiberi in morbis malignis poſſunt. Sed eundem imo ſæpius uberiorem poſſe fructum obtineri a vilioris pretii pharmacis, ut cornu cervi philoſophice præparato, aut pulvere ex teſtis concharum,

De Lap. Bez. virtute ſuſpecta

aut cochlearum rite concinnato aut aliis ejusdem farinæ, non ſum iturus inficias. Poſt varias contra lapidis bezoar ſinceritatem adductas rationes Auguſtinus Thonerus *Obſ. medic. Lib. 1. Obſ. 2. pag. 17.* ita pergit: Cum igitur tanta ſit incertitudo, quinam legitimus ſit lapis & facultate alexipharmaca inſtructus, proh Deum immortalem! quis tuto illi fidere, & ægris de vita, ob morbos exitium minitantes, periclitantibus, porrigere auſit? niſi quispiam ad manum, cujus per experientiam ſit explorata virtus. Sæpius in animo meo ſuborta eſt admiratio, tam precioſa quibusdam Medicis adeo familiaria, ut ea etiam obtrudant vilioris conditionis ægris; cum paucorum abhinc annorum intercapedine quidam civis Ulmenſis ex ordine mechanico, ſed cui honeſtæ obvenerant facultates, febre continua decubuiſſet, quidam Medicus decem dierum ſpacio, ipſi talia medicamenta præſcripſit, ut ſexaginta florenorum pretium ſuperarint. Decem hauſtus ſudoriferos aſſumpſit, quorum ſinguli conſtabant tribus florenis, lapide bezoardico in ſat larga doſi oblato &c. Annon illa expenſa ſupervacua æſtimanda? cum multa millia hominum, exigui valoris remediis ab illis febribus liberi ac immunes fuerint redditi, majori felicitate, quam ſi ſolus Bezoar ingeſtus. Item Gabriel Clauderus *Method. Balſamand. Cap. IV. pag. 91.* poſt ſupra allegata, de lapidis bezoar adulteratione, verba ita pergit; ex his pateſcit, quam dubius ſit lapidum bezoar uſus medicus; nam quod omnes mercatores & pharmacopæi dicto modo veros a falſis diſcernere noverint, &, ſi noverint, quoque diſcernant nec indifferenter eos venditent, & propinent, ob nummorum ſuorum jacturam, vix affirmare auderem. Scribit etiam Fridericus Slare in Epiſtola ad Johannem Dolæum, famigeratiſſimum illum lapidem bezoardicum orientalem vix dignum eſſe reputandum, ut patienti exhibeatur, cum

appa-

appareat, illum omni virtute deſtitutum, & inſtar capitis mortui cenſendum eſſe, vid. hæc Epiſtola in Joh. Dolæi *Tract. de Furia Podagræ.*

§. 43.

Rationem, cur lapides bezoardici tantas laudes non promereantur, quantæ communiter ipſis ob ſolam raritatem & opinionem hominum, alte ſuſceptam attribuuntur, vide in Obſervatione Johannis Danielis Majoris de Cornu capri bezoardici in *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſerv. 1. pag. 3.* Inquit etiam Simon Pauli *Quadripart. Botanic. Claſſ. II. p. 15.* ego haut ulli facile autor ero & ſvaſor, ut nimis confidat viribus lapidum bezoardicorum, ob Nardi Antonii Rechi autoritatem, qui inter alia inquit: Non omnes hi lapides ſalubres ſunt, tuendæve ſanitati aut morbis profligandis apti, ſed ſoli illi, qui depaſtis herbis ſaluberrimis producuntur, unde non ſolum difficile ſit cenſere, an illæ facultates mirabiles, quæ de eo lapide noſtra tempeſtate jactantur, narrarique & prædicari cœperunt, veræ ſint; ſed etiam quinam ſint eligendi, aut qui utiles aut inutiles offendantur, quibus de rebus certo quid affirmari nequit, &c. ibidem plura reperies; cauſam, cur Caſparus Hoffmannus velit eſſe, cum iis, qui lapide bezoar non utuntur, hanc reddit; D. Saxonia, Præceptor meus aliquando publice dicebat, ſe initio quidem praxeos ſuæ uſurpaſſe: verum didiciſſe poſtea, bezoar, extra omnem adulterii ſuſpicionem, quippe quem Nobiles Veneti ipſi manibus ſuis exemerint e ventriculo animalis ſui, nihil feciſſe. Hæc ratio fuit hactenus mihi, cur nunquam uſurparim, nec poſtea uti velle animus ſit. Sunt etiam nonnulli quidam impoſtores, qui perfricta fronte audent mira polliceri de ejus facultatibus ad promovendam variolarum expulſionem, & ut arabice loquuntur, ad roborandum cor, adverſus tantam malignitatem: ſed quæcunque male

feriati iſti effutiunt, mera ſunt ægrorum ſomnia & plura puta mendacia; neque enim plus poteſt ille lapis in talium morborum curatione, quam calx aut cinis, vid. Caſpar. Hofmann. *Paraleipom. offic. Sect. III. cap. 36. p. m. 525.* vid. etiam Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Qu. 67. pag. 915. ſeq.* Varias hiſtorias eorum, qui lapide bezoar adverſus venena ſine fructu uſi ſunt, item aliorum, qui hunc lapidem non magnifaciunt, ſententias congeſſit Caſparus Bauhinus *de Lapid. Bez. cap. 37. p. 243. ſeqq.* De lapide bezoardico, toties a medicis præſcripto, tantoque pretio ab ægrotis redempto, juxta Robert. Boyl. *de Utilit. Philoſoph. experiment. Exercit. V. cap. 5. p. m. 220. ſeq.* Bontius experimentiſſimus, teſtimonium huic propoſito competens alicubi exhibet, quantum, inquiens, ad hyperbolicas hujus lapidis virtutes & facultates portentoſas, non tantas in eo mille experimentis edoctus inveni. Supra allegatus Hermannus Grube *de Medicament. ſimplic. cognoſc. Sect. VII. Ant. 3. p. 149. ſeq.* ita ſcribit: Pro vi lapidis bezoar diaphoretica multi ſunt, qui acriter pugnant. Sed præter experientiam fallacem potius, quam veram fundamenta video nulla. Vis enim diaphoretica aut ſubſtantiæ debetur tenuitati, aut ſali tam fixo, quam volatili. Neutrum dici poteſt de lapide bezoar. Cum hujus neque fixi neque volatilis ulla in eo dentur veſtigia. Nec illius etiam, cum odore pariter, ac ſapore, tam acri quam amaro, qui ſubſtantiæ tenuis teſtes ſunt, deſtituatur. Inquit etiam Jacobus Primeroſius *de Errorib. Vulg. Lib. IV. cap. 36. pag. 448. ſeq.* his lapidibus bezoar non eſſe admodum fidendum, quia noſtrorum lapidum effectus non reſpondent iis, quos Autores ſcribunt. Volunt enim ſudores potenter movere, interdum quoque & vomitum, quod tamen, ſiquis in noſtris experiatur, non ſemper verum eſſe comperiet. Dedi ſæpiſſime hunc lapidem

variis

variis ægrotantibus, nihilque animadverti illorum, quæ de ipſo perhibentur. Idem obſervarunt quamplurimi recentiores. Hercules Saxonia inter Italos maximæ famæ Practicus, ingenue confitetur, ſe, quamvis etiam lapides illos habuerit, qui præſtantiſſimi Venetiis credebantur, nullum tamen inſignem effectum obſervaſſe. Lapidi bezoar paucam vel nullam alexipharmacam vim in peſte commendabilem, tam quoad internum, quam etiam externum uſum & quidem Autorum quorundam ductu, tribuere Johannem Lazarum Gattierez, refert Jacobus Wolff *Scrutin. Amuletor. medic. Cap. II. Sect. 1. p. 363.* Licet autem in communi lapis bezoar orientalis præferatur, non tamen, juxta Pauli Ammann. *Manuduct. ad mater. medic. Sect. III. cap. 4. §. 3. p. 180. ſq.* Occidentalis prorſus eſt rejiciendus. Is enim quia tam ſæpe non præſcribitur, tam frequenter etiam non adulteratur: & ideo de efficacia ejus non deſperarem ego, inquit Ammannus, qui etiam *pag. ſeq.* pergit, ſibi in uſu frequenti eſſe occidentalem, cum tam carus non ſit atque orientalis, & ratione bonitatis utplurimum cum priori certet.

§. 44.

Quod ſi quis tamen lapidis bezoardici cum fructu contra venena & morbos malignos propinati Obſervationes & exempla deſideret, evolvat Caſpar. Bauhin. *de Lap. Bezoar. Cap. 36. p. 221. ſeqq.* Contra hauſtum napellum lapide bezoar felici admodum ſucceſſu uſum fuiſſe ait Petrus Andreas Matthiolus *in Dioſcorid. Libr. V. Cap. 73. fol. m. 940.* Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. 67. p. 914. ſeq.* inquit, hujusmodi virtutem bezoartico lapidi legitimo & vero denegare, omnesque lapides indiſcriminatim tam orientales, quam occidentales, tanquam meram impoſturam rejicere, ut multi ex his, qui hoc facere non dubitarunt, judicium eſt, imo delirium, a doctis & in arte verſatis minime con- *Exempla.*

firman-

firmandum: Conſtat ſiquidem ex quamplurimis Autorum Obſervationibus & illorum factis experimentis, hunc lapidem inſignem adverſus omnia venena virtutem poſſidere, ut non pauci, tam ex antiquis, quam noſtri ævi medicis atteſtantur. Qualia exempla dictus Reieſius adducit. De lapidis bezoardici contra venena uſu ita ſcribit Pancratius Eunonymus ſive Matthias Tilingius *de Febr. petech. Sect. II. cap. 9. p. 301.* adverſus arſenicum, mercurium ſublimatum & præcipitatum, hunc lapidem nihil conducere, experti ſumus; Venenum rabidum in iis, qui a cane rabido commorſi ſunt, per hunc lapidem extinctum & ſuperatum fuiſſe, hactenus inauditum eſt. Credimus illum forte prodeſſe poſſe adverſus venena ſcorpionum, bufonum, araneorum, viperarum & multa alia ſimilia, ut & adverſus illa venena, quæ ex interna humorum corruptione, in corporibus noſtris generantur, nam aliquoties comperti ſumus, illum prodeſſe in febribus malignis & peſtilentialibus ſine peſte, variolis, morbillis aliisque ſimilibus morbis, quorum venenata malignitas reſultat ex interna humorum corruptione. Sed adverſus venenum peſtilens, quod aërium eſt, nec intus genitum ſed forinſecus corpus ingreditur, hunc lapidem aut parum, aut nihil profuiſſe, in Praxi ſemper obſervavimus &c.

CAPUT X.

De Calculi in veſica ſignis.

§. I.

Calculorum ſigna. Hactenus equidem de lapidibus, in variis humani corporis partibus hinc inde latitantibus, egimus; ſicuti autem aliorum Autorum, Lithologias ſcribentium, primaria intentio ad renum & veſicæ calculos directa eſt, itaque

itaque quoque nos in hoc Capite de iisdem tractabimus: Antequam vero eorum expulſionem vel exſectionem aggrediamur, pauca quædam tam de renum, quam veſicæ calculorum dignotione & ſignis ut præmittamus, neceſſarium judicamus.

§. 2.

Et primo quidem calculi renum ſigna ab Autoribus varia annotata leguntur, v. g. gravitas circa renis affecti regionem; Dolor vehemens in latere affecto circa lumbos, a calculi, ex rene in ureterem deſcendentis, ejusque membranas diſtendentis & lancinantis, quandoque ſucceſſivo motu excitatus; nauſea & vomitus; Urina primo pauca & aquoſa, ab obſtructione viarum urinariarum, & poſtea quandoque, poſt vulnerationem partium, per quas tranſit calculus aſper & acuminatus, cruenta cum arenulis rubris in fundo matulæ vel urinalis ſubſidentibus; Stupor cruris, atque teſticuli ejusdem lateris retractio. vid. Baldaſſ. Tim. a Güldenklee *Caſ. medicin. Lib. III. Caſ. 37. pag. 170.* Vel juxta verba Johannis Bernh. Gladbachii *Prax. medic. pag. 293. ſeq.* qui calculo renum laborant, ſentiunt in regione lumbari dolorem gravativum, acutum, lancinantem, præprimis ſi calculus ex pelvi in ureteres adigitur, remittunt tamen atrociſſimi dolores, ſi ille iterum relabitur. Interdum dolor eſt tenſivus cum inſigni anxietate, ſuperveniunt convulſiones, quas a vertebris lumbaribus ſentiunt aſcendere & caput petere; vomitus, nauſea, anxietates præcordiorum, hypochondriorum tenſiones, familiaria ſunt ſymptomata. Retrahuntur ſæpiſſime teſticuli ad os pubis usque, & in fœminis dolores ſunt atrociſſimi, qui partus doloribus ſunt ſimiliores, quam ovum ovo. Affligit colica convulſiva, ita ut illa non raro hunc morbum mentiatur, qui tamen facile diſtingvitur, ſi aliorum ſymptomatum ſimul affligentium habeatur ratio.

Signa calculi renum.

Hinc adeſt in calculoſis ſtupor crurum, qui oritur ab attritu muſculi Pſoas, renibus ſuccumbentis & in crura deſcendentis: Adeſt ſimul incurvatio corporis & absque notabili cruciatu ſe erigere non poſſunt; fixus quoque manet circa vertebras dolor, qui etſi in colica convulſiva etiam affligat, utplurimum tamen ille vagus eſt. Denique urinæ aliam præ ſe ferunt faciem &c. Jodocus Lommius *Obſerv. medicin. Lib. II. pag. m. 233.* de ſignis calculi renum inquit: acerbiſſimus atque more infixi aculei pungens dolor in renem incumbit eaque ſede ſtabilis inhæreſcit, niſi quod interdum per ilia verſus coxendicem vel ad teſtem proximum excurrit. Nullus foris tumor eſt: ſpina ægre flectitur &c. Cum quis aut in ægram decumbit partem, aut cibo vacuus eſt, dolores leniuntur, cum in contrarium cubat, aut cum ſumptæ epulæ deſcendere jam ad inteſtina incipiunt, omnino exaugentur, &c. ubi varia de ſignis ex urina. vid. etiam Joh. Dolæi *Encyclop. med. Lib. III. cap. 13. p. 578.* Admonet etiam Chriſtianus Johannes Langius *Oper. Part. II. cap. 10. §. 6. fol. 62.* non ex uno aut altero ſymptomate, ſed demum ex ſyndrome illorum haurienda eſſe morbi ſigna; item non omne ſabulum, quod fluctuat in matula, indicare calculum, ſed tantum gaudens compactiore magis ac ſolidiore conſiſtentia, quodque fundum petit ob ponderoſitatem, & nunquam parietibus matulæ accreſcit. Prolixe de calculi ſymptomatibus agit Michael Ettmüllerus *Oper. Tom. II. fol. m. 700.* inter alia de dolore inquiens: quando calculus incipit moveri, oritur dolor acutus, modo ſiniſtrorſum, modo dextrorſum vergens, prout ren dexter vel ſiniſter eſt affectus, ac proin raro dolor punctorius ſentitur, ſed gravativus. Ubi vero movetur calculus ex renum pelvi ampliori in ureteres anguſtos, tunc dolor lancinans, lacerans & moleſtiſſime tenſivus & pungens magis excitatur,

neque

neque ceſſat, donec calculus ex uretere ad veſicæ cavum deſcenderit, aut denuo ad renis cavum remearit, &c. vid. etiam Laurent. Strauſſ. *Palæſtr. medic. Part. III. Gymnaſmat. XV. §. 9. pag. 316. ſeqq.* Joh. Ferdin. Hertod. a T. *Tartaro-Maſtig. Morav. Part. II. cap. 4. p. 228.* Lazar. River. *Prax. Tom. II. Libr. 14. cap. 1. pag. m. 146. ſeq.* Franc. Tolet *de Calcul. cap. 7. p. m. 31. ſeqq.* Nicol. Cheſneau *Obſerv. Lib. III. cap. 9. p. 330. ſeq.* Prattica medicinale di Bernardino Chriſtini *Capitol. 38. Cent. 6. pag. 394. ſeq.* Joſeph de la Charriere *Nouvell. Operat. de Chirurg. cap. 18. p. m. 113. ſeq.*

§. 3.

Hactenus tamen adducta calculi renum ſymptomata, imo nec dolores, in quolibet calculoſo obſervantur, ſed quandoque calculi ſine dolore ſatis diu, uti ex ipſorum magnitudine judicare licet, in renibus occulti latent, demumque poſt mortem, occaſionali quadam ſectione, deprehenduntur, vel per aliquot annos quieti, a medicamentis diureticis, vel etiam ab aliis cauſis, v. g. ab equitatione, cum equo ſuccuſſore facta, vel a lapſu aut motu vehementiore, vel elevatione ponderis gravioris, ex ſede ſua demum verſus ureterem protruſi per dolores, nonnunquam etiam per urinam cruentam præſentiam ſuam detegunt. Quod confirmat etiam Georgius Wolffgangus Wedelius *Exercit. ſemiot. patholog. cap. 52. pag. 141.* In renibus, inquiens, calculus aliquando, ut alibi quoque latitat, occultus, ſilens & quietus, nulla ſui ſigna per aliquot annos edens, ſæpe non niſi poſt mortem deprehenſus; vel ſaltim motu graviori, & ſuccuſſatione laceſſitus, dolore vel mictu etiam cruento ſe prodens, vel ne his quidem adeo, ſi folliculo ſit incluſus, vel profundius renum tubulis inhærens. Et juxta Luc. Schrœck. Sen. verba, rarum admodum eſt, calculorum præſentiam, tantorum alias dolorum ac miſeriarum in tot hominibus *Calculi renum ſine dolore.*

crudeliſſimum autorem; in veſica renibusve nullo modo per totam vitam animadverti. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 18. p. 63.* quo loco addit; ſe mole & eminentiis conſpicuos calculos ante aliquot annos vidiſſe, e renibus Illuſtriſſimi cujusdam Domini, repentina morte defuncti, erutos, qui tamen nullam ei, dum viveret, moleſtiam creaverant. Quod de veſicæ calculo pariter confirmatum dedit Frid. Loſſius *Lib. III. Obſ. 53.* Id quod etiam binis exemplis probat Antonius de Pozzis ibid. *Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 29. p. 30.* de Celſiſſimo quodam Principe ſtaturæ brevis, melancholico, pauciloquo, ſedentariam agente vitam, & deformem dorſo ad inſtar literæ M. ferente gibbum; cujus ren infra hepar latens major fuit capite puelli duorum annorum, ponderans libras duas cum ſemiſſe, in cujus centro calculus trium & dimidiæ unciarum reperrebatur, cujus acumen afficiens parietes ipſius renis gangrænam induxit. Sed quod mirum eſt, toto tempore vitæ dictus Princeps nunquam eſt conqueſtus de doloribus nephriticis, calculis, urinis ſabuloſis, aut difficulter vel diminute fluentibus, multo minus ad renis dextri ingens augmentum femur dextrum torporem eſt perpeſſum. Et *Obſ. 32. p. 33.* calculorum in renibus occultorum idem Autor meminit. Intimus ſcilicet Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, circa annum trigeſimum quintum doloribus arthriticis infeſtatus, impoſitis emplaſtris, a chirurgo oblatis, abutens, poſt annum ardenti correptus febre cum eryſipelate pulmonum, ſuffocatus interiit. In hujus diſſecti utroque rene duo magni calculi inventi fuerunt ponderis ſex unciarum, nullo ſigno præcedente, ſive arenulas, ſive pedum torporem, ſive lumborum gravitatem, ſive urinæ indigentiam conſideres. Nam copioſiores juſto fundebat urinas, ſed aquæ ſimillimas, ſitimque adeo intolerabilem patiebatur, ut nullo potu ea ſedari potuerit. In

Procu-

Procuratoris cujusdam, annum agentis octuageſimum ſine ullis fere renum doloribus, & ſine urinæ ſuppreſſione, poſtquam febre perierat, diſſecti cadavere, ren ſiniſter repertus eſt luto refertus, in dextro vero lapis cineritius obſcurus, ponderis ſeptem unciarum, a Johanne Riverio, Chirurgo, inventus fuit, referente Petro Borello *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Obſ. 62. pag. 162.* Calculos etiam mole & eminentiis conſpicuos e renibus Illuſtriſſimi cujusdam Domini, repentina morte defuncti, erutos, qui tamen nullam ei, dum viveret, moleſtiam creaverant, ſe vidiſſe refert Lucas Schrœckius *l. a.* Gregorii Blaſii avunculus, Nicolaus van Dijck, in fortalitio Crevecœuriano Præfectus ad grande ſenium usque de nullo unquam lumborum dolore, nec aliis nephriticis ſignis, eſt conqueſtus, nequidem, cum extremo ſuo morbo menſibus aliquot detentus lectoque affixus indies deficeret. Cum autem Harlemi ſepeliendum corpus & adverſus putredinem muniendum, aperiretur, caſu renes diſſecti ſunt, in quorum uno lapis, majuſculæ nucis juglandis quantitatem habens, repertus, cum duobus magnis & tuberoſis proceſſibus; in altero duo calculi extabant, quorum prior magnitudine & figura pomi perſici lapidem, alter nucem amygdali, quam dentibus frangere ſolemus, adeo naturaliter referebant, ut ovum ovo vix ſimilius dixiſſes, uti ipſe Gregorius Blaſius ad Johannem Beverovicium perſcripſit, cujus vid. *Spicileg. de Calcul. pag. m. 175.* In Chirurgi Thorunienſis viduæ, gravi lumborum circa dextri renis regionem dolore afflictæ atque poſt ulcus demum defunctæ ſectione, Georgius Segerus eundem renem, dextrum, monſtroſæ magnitudinis, totum cancroſum & fœtido pure refertum ſabuloque hinc inde, parce tamen, conſperſum offendit, ſiniſtro vero rene, naturalis magnitudinis, diviſo, calculus ingens apparuit, qui in parenchymate ſinum pro ſitu ſuo

formaverat, & ita quidem ſubſtantiam detriverat, ut ei ſoli inhæreret, nec pelvim contingeret. Viſo iſto magna Segerum denuo cœpit admiratio, quod, cum toties ægram interrogaverit, utrum non etiam in ſiniſtro latere aliquem ſentiret dolorem, illa autem ſimpliciter negaverit, aut non niſi exiguum & vix perceptibilem ſe ſentire reſponderit. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 227. p. 414.* Inquit etiam Johannes Bohnius *de Officio Medic. duplic. Part. I. pag. 14.* calculos frequentius exhibent cadavera illorum, qui vivi nullam unquam dyſuriam, iſchuriam, lumborum ac inguinum dolorem, nauſeam, vomitum, ſimiliave pathemata nephritica experiebantur: ſicut ex amici calculoſi, quem nephriticum omnes judicabant, in quo tamen nullum unquam per totidem annos, quot diris admodum ſymptomatis cruciabatur, calculi veſicæ ſignum, utut in hæc frequentius inquireretur, comparuit, poſt diuturnos demum circa lumbos & tandem in inguine dextro cruciatus diros, nullos in regione hypogaſtrica defuncti veſica urinaria præter lapides renales diverſæ molis, calculum ponderis aliquot unciarum protraxi.

§. 4.

Signa Calculi Viſica De ſignis calculi veſicæ ita loquitur Jodocus Lommius *Obſerv. medicin. Lib. II. p. 244. ſeq.* Grave imprimis tormentum calculus veſicæ eſt, quod & diu trahit, & quibusdam intervallis ſæpius recurrit. Ubi id autem incubuit, gravitatis ingens ſenſus (ſi gravior calculus ſubeſt) magisque ad motum corporis, vel quædam quaſi titillatio circa pubem & perinæum verſatur. Urina cum mictionis aſſidua cupiditate difficulter redditur, fitque quoddam veluti ſtillicidium, ſic ut vix poſſe cohiberi urina videatur: quæ tamen, ut primum cœpit perrumpere, quam mox tota intercipitur, inciditque hoc modo interciſa mictio. Inter hæc dolor toto colis meatu verſatur, ſæpeque is ſola in glande eſt poſt extremam mictionem graviſſimus.

mus. Id temporis alvus dejici velle videtur; promptius in nonnullis, ſi recti ſunt, quam ſi ſupini cubant, urina exprimitur, utique ſi grandior intus calculus hæret; alii inclinati emingunt colemque contrectando atque extendendo remedium doloris quærunt. Feminæ extrema pudenda manibus crebro ſcabunt, & admoto ad veſicæ cervicem digito, calculum ſubinde ſentiunt. Multi etiam mediis doloribus pedes inter ſe iteratis vicibus implicant. Minor calculus facilius in veſicæ impingit cervicem, urinamque pertinacius retinet, quam is, qui major eſt: hic enim vel apto corporis poſitu, vel intromiſſo inſtrumento inde non difficillime depellitur. Juxta Ludov. Dureti *Schol. in Jacob. Holler. de Morbor. intern. Curat. Lib. I. cap. 46. p. m. 142. b.* Signa calculi veſicæ in pueris ſunt urina aquea, ſimilis lactis ſero, ſedimentum arenoſum & tenſio virgæ, alioqui non conveniens illi ætati. Cum factum eſt, difficultas mejendi, urina ſubcruenta, dolor in ejus excretione, pruritus in præputio, ex motu lapidis & arena, vel etiam lapilli parvi ex attritu. Certiſſimum ſignum, ſi mejendo aliquid egerunt, aut egerendi cupiditate tenentur. Cum ſedent repente, vel ſedendo concutiunt vehementer alterum pedem, dolorem ſentiunt juxta anum, in una parte pudendi. Nonnulli jubent ad certiorem diſtinctionem ægrum equitare, ſaltare, exercerique vehementius. Omnibus tamen certiora ſigna digiti in rectum inteſtinum, cui veſica incumbit, immiſſio & catheter, ſed quæ non ſine dolore adhibentur. vid. etiam Dan. Sennert. *Practic. Medicin. Lib. III. Part. 8. Sect. 1. cap. 2. p. 844.* Georg. Wolffg. Wedel. *Exercit. Semiot. Pathol. Cap. 52. p. 143.* De ſigno calculi veſicæ ex graviſſima dyſuria & ſtranguria, ac majuſculis ſabuli granis in tranſitu per penem nullum cruciatum, ſed demum circa finem excretionis urinæ dolorem excitantibus agit Auguſtinus Thonerus *Obſerv.*

medic.

medic. Lib. III. Obſ. 6. pag. 179. ſeq. item Nicol. Cheſneau *Obſ. Lib. III. cap. 10. p. 348. ſeq. p. 352.* Secundum Joh. Bernh. Gladbach *Prax. med. pag. 295.* Calculo veſicæ laborantes ſequentia habent concomitantia ſymptomata: Sentiunt atroces dolores ante excretionem urinæ, dum calculus ex veſica una cum urina propellitur in collum veſicæ, quod obturat & urinæ excretionem impedit. Penis erigitur ex ſpaſmo muſculorum, erectoriorum vulgo dictorum, qui venam penis comprimendo ſanguinis motum impediunt, dum interim per arteriam novus advehitur ſanguis, qui accumulatus corpora nervoſa diſtendit ſicque erigit. Si erecto corpore urina ſupprimitur, pedibus vero ad os reclinatis ea liberius redditur, certus eſto de calculi præſentia, quanquam nec hoc ſit univerſale: Calculus enim non raro veſicæ adnaſcitur, & communi quaſi membrana involvitur. Interdum ſentiunt in glande titillationem & dolorem atrociſſimum, ut calculum ibidem hærere putent. In conſenſum trahitur anus & teneſmo affligitur, imo interdum inter mejendum. Signa calculi veſicalis ex ſententia Michaelis Bernhardi Valentini *Chirurg. med. Sect. III. Cap. 7. §. 9. pag. 352.* ſunt 1) dolor gravativus in pube & perinæo moleſtus eſt, qui poſt quemvis, præſertim vehementiorem corporis motum intenditur, & continuum graviſſimumque veſicam & alvum exonerandi conatum infert, adeo ut calculoſi tunc egeſturiendo mejant, & mejendo egeſturiant, iteratisque vicibus parum ſemper urinæ excernant, immo ab urgente teneſmo nonnunquam in ætate puerili prolapſum ani patiantur. 2) Pruritus in glande & radice penis, quem pueri præſertim manibus contrectant atque fricant, ob doloris moleſtiam, ſimulque involuntariam ac momentaneam erectionem quandoque ſentiunt. 3) Urina modo tenuis, cruda, aquoſa vel albida, modo turbida, lactea, viſcoſa, ſæpius & parcius cum ardore

&

& difficultate excernitur, repoſita vero ſedimentum album, mucoſum, ſabuloſum & ſubinde raro cruentum, deponit. 4) Urinæ, dum ita emingitur, ſubitanea ſuppreſſio, quæ fit, cum calculus in erectis vel inclinato corpore ſtantibus ad veſicæ collum devolvitur, & ceſſat in ſupine jacentibus. His ſignis addenda 5) Exploratio ipſius calculi, quæ fit a Chirurgo, vel digito indice, prius oleo olivarum imbuto & in anum maſculorum, aut vaginam uterinam mulierum immiſſo, quo calculi præſentia, magnitudo & mobilitas in veſica adjacente per inteſtini recti, vel vaginæ uterinæ tunicam ſolo attactu detegitur; vel cathetere idoneo, itidem oleo oblito & per utriusque ſexus urethram in veſicam adacto, quo mox in omnem partem cavitatis illius verſo inquiritur calculus & forte obvius ex ſonora renitentia cognoſcitur. Ambulationem divaricatis cruribus lapidis magni eſſe ſignum, refert Nicolaus Cheſneau *l. a. p. 353. ſeq.* Plura ſigna vide Guilh. Fabric. Hild. *de Lithotom. Veſic. cap. 3. pag. 33. ſeq.* Cornel. Solingen *Manual. Operation der Chirurg. Part. III. cap. 10. p. m. 175. ſeq.* Joſeph de la Charriere *Nouvell. Operat. de Chirurg. cap. 18. p. m. 116.*

§. 5.

Quam fallacia autem ſint ejusmodi calculorum veſicæ ſigna, iidem & alii Autores variis rationibus prolixe demonſtrant, uti ex ipſorum verbis patet. Inquit enim Godofredus Klaunigius *Noſocom. Charitat. Hiſtor. 19. p. 83.* ſi ad lydium lapidem calculorum in microcoſmo latentium diognoſin revocemus, vix ſcyllam atque charybdim evitare datum eſt; aditu enim ad evidentem eorum cognitionem ubique ferme præcluſo, non poſſumus non, quin ſcrupulis obviis haud raro illidamus. Deberent quidem calculorum in veſica urinaria hoſpitantium ſigna minus eſſe obſcura, cum via ad hanc lapicidinam ipſiſſi- *Sunt fallacia.*

mis inſtrumentis exploratoriis exiſtat ſatis patula; verum quem fugit, etiam in prudenti illorum indagatione ſæpius deceptos fuiſſe medicos pariter atque lithotomos multum exercitatos. Nonne veſica lapide intus obducta, ſcirrhoſa, carnoſis tuberculis inſtructa, vermibus repleta &c. nonnunquam mentita fuit calculum. Et vice verſa, nonne calculo præſente ejus exiſtentiam certo ſtatuere hæſitamus, prout ſæpius apud ægros, quorum veſica pluribus calculis gravida erat, animadverti, cum alius ſcrophum, alius veſicæ ſcabiem, alius cruſtam lapidoſam parietibus adhærentem præſupponeret. Neapoli Monachus calculo laborare putabatur, & pro tali curabatur. At in diſſecto mortuo nullus calculus deprehenſus, ſola urinæ acrimonia dolores cauſante, ſcribit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 57. p. 125. ſeq.* ubi Antonium Santorellum pro teſte allegat. In aliis autem, de dolore circa veſicam, vel alio calculi veſicæ ſigno nunquam conqueſtis, calculi magni poſt mortem deprehenduntur. Michael Ogerus, Medicus octogenario multo major, ſolidæ doctrinæ & experientiæ vir, nunquam de calculo veſicæ conqueſtus, in veſica habuit calculum ovo anſeris majorem, omni ſilice duriorem, vid. Henr. ab Heer. *Obſervat. med. 26. pag. m. 225.* Recordatur etiam Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 185. p. 478.* virum nobilem, nunquam in vita de dolore vel moleſtia a calculo veſicæ oriunda, conquerentem, nihilominus plures & quidem majores, usque ad ovi gallinacei magnitudinem aſcendentes calculos, in veſica aluiſſe, quos poſt fata facta cadaveris apertio demum detexit. Nonnulli medici calculi præſentiam ideo negant, quia ægrotantium urina neque turbida neque ſabuloſa effluxit, nec unquam ſuppreſſa fuit, quale exemplum refert Bartholomæus Euſtachius *Tract. de Renib. cap. 45. pag. 122.* inquiens. Juvenis altero rene

dolvit,

doluit, cruciatusque adeo auctus eſt, ut miſellus brevi vitam cum morte commutarit. Hunc calculo minime laborare, conſtanter affirmabant medici, quia neque urina ſuppreſſa unquam fuerat, neque tenuis, aut turbida, ſeu ſabuloſa apparuerat; his omnibus (multi ſane erant) ſolus ego repugnabam, arbitratus, alterum renem officio ſuo probe fungi, alterum prorſus obſtructum nihil lotii excernere. Contentionem diremit ſectio, quæ, aliter ſe habere quam nos opinaremur, patefecit: lapidem nimirum magnum & oblongum, cruciatus & interitus cauſam fuiſſe, qui cum eſſet medius perforatus, quo minus urina exiret, impedire non poterat.

§. 6.

Varia etiam ejusmodi ſignorum fallacium circa calculi veſicæ tam præſentiam, quam abſentiam, quibus interdum medici atque lithotomi celeberrimi fuere decepti, exempla hinc inde annotarunt autores, quorum aliquot pro meliori diagnoſi ante lithotomiam hoc loco adducere liceat, ubi videbimus, quandoque etiam ſigna a cathetere in veſicam immiſſa eſſe fallacia; ſiquidem calculi in veſica vel muco quodam obducti, vel tunica quadam inveſtiti, vel veſicæ ita adnati ſunt, ut neque durities calculi neque ſonus cathetere ſentiatur, hinc inquit Johannes Crato: ipſi calculi in veſica non ſunt perpetuo infeſti: imo cum pituitoſo humore veſtiuntur, ſæpe ante vitæ exitum vix deprehenduntur. vid. Laurent. Scholz. *Conſil. med. 315. fol. 894.* Secundum Thom. Fien. *Lib. Chirurg. Tract. IX. Cap. 11. p. 73.* Calculi exploratio in viris digitorum in anum immiſſione fieri non poteſt, propterea quod propter partium magnitudinem digiti usque ad collum veſicæ, & locum calculi immitti non poſſunt. Æger ergo in ſede parum altiore collocetur, corpore in poſteriora nonnihil declinato, & ſiniſtra apprehenſo ejus mem- *Exempla plura.*

bro, catheter ſecundum artem in canalem imponatur usque ad veſicam, ibi titillando, & cathetere quoquoverſum moto, exploretur, num in veſica calculus ſit. Partim enim tactu, partim ſono catheteris contra calculum acti, ibi eſſe comprehendetur. Quodſi vero non tangatur, non ideo ſequitur, eum ibi non eſſe: poteſt enim fieri, ut etſi calculus in veſica ſit, tamen a cathetere non percipiatur. Ideo ſi nihilominus ſigna naturalia eum ſequentia, multa & fortia ſint, non ideo debet ſectio omnino omitti. Contigit autem, catheterem non tangere calculum, vel quia multo limo & viſcida pituita eſt obductus, vel quia propriæ membranæ & veſiculæ includitur, ſicut aliquando fit; tum enim catheter non figitur contra calculum, quia eſt rotundus, & etiam, quia catheter eſt parum curvus, ideo aberrat a latere calculi, & qua calculus eſt obductus limo, non ſentitur ejus durities, aut ſonus; Concluſio ergo, quod ſectio facienda. De hac calculi exploratione ita quoque ſcribit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. Lib. 1. Obſ. 2. p. 2. ſeq.* omnibus vel exquiſitiſſimis modis laboratum, quo vere cognoſci poſſit, utrum calculus in veſica ſit nec ne? Et cum nec cruciatibus, nec aliis ſignis ſatis tuto fideretur, uno cathetere arbitro uti libuit, decretumque eſt, ſi cum ſonitu repelleretur immiſſus catheter, calculum eſſe. At ne ſic quidem res ſalva eſt, cum modus ille repulſionis plurimum iterum involvat difficultatis, ſolliciteque diſpiciendum ſit, qua imprimis ratione, quibusque circumſtantiis repulſio illa fiat; hoc enim indicio negligentium ſumto plurimos deceptos eſſe, carneumque & ſcirrhoſum veſicæ tumorem, & alia pro calculo impoſuiſſe, compertum eſt. Et Bernhardus Verzaſcha *Obſervat. 52. p. 109.* monet, quod catheter immiſſus ſæpe calculum indicet, quamvis illud ſemper præſtare non poſſit, præſertim quando calculus a collo veſicæ diſtet

vel

vel glutinoſis humoribus involvatur, aut membrana propria incluſus ſit. Hinc etiam illorum inſcitiam, aut, ſi mavis invidiam improbat, qui ſtatim inflatis buccis proclamant, nullum veſicæ calculum adeſſe, ſi illum lithotomus cathetere non exploraverit. Et licet quidam lithotomus ex immiſſione catheteris nullum in veſica Nobiliſſimi cujusdam Domini calculum deprehenderit, Verzaſcha tamen hanc explorationem catheteris indubitatum calculi abſentis ſignum nequaquam exhibere, ſed calculum in veſica hærere ex ſymptomatibus & ſignis declarat, cum dictus Dominus in collo veſicæ manifeſtum experiatur dolorem, qui circa finem mictionis exaſperatur & ad glandis extremum porrigitur; item cum adſit mingendi difficultas cum micturiendi conatuque urinæ ſtillicidio & ani teneſmo; accedat inter mingendum ſuppreſſio urinæ, quæ in medio curſu intercipitur. Quæ omnia ὀφθαλμοφανερῶς demonſtrent, dicti Domini veſicam calculo laborare. Ibidem adhuc plura reperies.

§. 7.

Catheteri non ſemper eſſe fidendum docet Ludovicus Duretus *Schol. in Jacob. Höller. de Morb. intern. Lib. 1. cap. 46. pag. m. 443. a.* ſequenti Obſervatione: Mercatori cuidam omnia calculi veſicæ ſigna aderant; Cathetere probari non potuit; Mortuo vero duo calculi inventi ſunt ſinguli unciarum duarum & dimidiæ membrana incluſi, utrique ſua. *Item* Lazarus Riverius *Prax. med. Lib. 14. cap. 2. pag. m. 179.* inquit: ultimum difficillimæ diagnoſis ſignum petitur ab exploratione, quæ fit per catheterem, & digiti in anum immiſſionem ad quam tandem confugiendum eſt, ut illa omnino indubia reddatur. Quod etiam intelligendum eſt de iis, quæ utplurimum contingunt, non de iis, quæ ſemper: Aliquando enim calculus ſubſtantia mucoſa vel etiam cyſtide obvolutus eſt, ut certa illius exploratio fieri

non valeat, & lithotomos aliquando in eo decipi videamus; quod tamen de cathetere præcipue audiendum eſt: nam exploratio, quæ fit per immiſſionem digiti in anum, longe certior eſt, & non ſolum calculum adeſſe oſtendit, ſed etiam illius differentias quoad magnitudinem, figuram & numerum patefacit. De lapide in veſica lento humoris involucro circumveſtito Hiſtoriam recenſet Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. IV. cap. 30. pag. m. 513.* Cum Annibal Conſtantius, Equitum Præfectus, lapidem in veſica habere omnium ſignorum conſenſu, a Medicis judicaretur, ut certior efficeretur, cathetere rem tentari voluit, quare accerſiti peritiores chirurgi impoſita ſyringa argentea, ſe nullum lapidem perſentire, conſtanter unanimi conſenſu affirmarunt; Verum nullis præſidiis conferentibus, a Falopio ut curaretur Patavium ſe contulit, qui omnia lapidem atteſtantia ſigna conſpicatus, lapidem in veſica adeſſe teſtatus eſt, at cathetere impoſito ſe calculum perſentire non poſſe pluries miratus eſt. Quare negotio infecto Mantuum reverſus poſt multos cruciatus e vivis deceſſit. Diſſecto cadavere lapis inſignis magnitudinis in veſica adinventus, undique tamen humore multo ac craſſo circumveſtitus inſtar anguillæ pellis involucro circum ambiente. Quo minus igitur ex ſyringæ contactu lapidis ictus perciperetur, a chirurgorum tactu, integumentum illud fuit in cauſa. Medicus quidam Pariſienſis petens quoddam oppidum, inviſendi ægri cauſa, coactus eſt rediens ſæpius equo deſilire ab urinæ difficultate inſolenti. A chirurgo, intromiſſo in veſicam inſtrumento, nullus eſt lapis inventus, unde in poſterum nunquam potuit adduci Medicus, ſe calculo laborare, ſed potius hæmorrhoidibus, ſicque animum obſtinabat, nullum in veſica lapidem ineſſe credens chirurgo, qui nullum invenerat. Tandem frequentibus cruciatibus fractus obiit.

Diſſecto

Diſſecto cadavere inventus eſt lapis in veſica, ovi anſerini quaſi magnitudine; totoque morbi decurſu, qui fuit ſex annorum, nunquam facta eſt urinæ ſuppreſſio, juxta relationem Nicolai Cheſneau *Obſervat. Lib. III. cap. 10. Obſ. 2. p.354.* In Viro quodam nobili omnia calculi ſigna adfuerant, niſi quod cum cathetere per penem in veſicam immiſſo nihil calculoſi deprehendi potuit. Cum tamen tandem obiiſſet, ſcirrhus ſive tumor durus in veſica inventus fuit, qui adeo excreverat, ut totam veſicam impleret, vixque ſpatium, quod urina, ubi in veſicam influit, permeare poſſet, reliquiſſet, uti ex communicatione Slotani refert Guilhelmus Fabricius Hild. *de Lithotom. Veſic. Cap. III. pag. m. 42.* ubi in mulieribus idem ſe obſervaſſe addit.

§. 8.

Interdum etiam id remedii exploratorii genus medicos fallere, quando calculus ſubterfugit & remotiora petit loca, probat Thomas Bartholinus *Hiſt. Cent. IV. Hiſt. 28. pag. 290.* exemplo Johannis Dominici Salæ, qui Venetiis quendam hernioſum novit viditque, cui omnia ſigna calculi veſicæ videbantur adeſſe, nec tamen cathetere aut candela potuit deprehendi. In mortui vero cadavere calculus cum ipſa veſica unam ſcroti partem impleverat, inteſtina omnia tenuia alteram, adeo ut ſemper calculus introrſum in ſcrotum ceſſerit & exploratores ſuos deceperit. In Matrona quadam ſeptuageſimum quintum ætatis annum agente, per longum tempus lumborum dolorem, urinam fere continuo cruentam, cum arenularum, quandoque etiam materiæ craſſæ ac viſcidæ excretione; item urinæ albæ ſatis copioſæ emiſſionem, pudendorum pruritum, mictionis difficultatem, dolorem & frequentiam, teneſmum quoque & ponderis alicujus in pectine ſenſum dies noctesque eandem fatigantem annotavit Luc. Schrœckius, ſenior, atque ex his indiciis, quæ nunquam alias ipſum

in

in ſua praxi quadraginta duorum annorum fefellerant, inductus, veſicæ calculum adeſſe pronunciavit. Quod etiam poſtmodum ipſius collega, Vitus Riedlinus, certiſſimum eſſe, conſenſu ſuo confirmavit. Nihilominus tamen defunctæ veſica aperta tantum copioſam, viſcidam & craſſam atque fere purulentam viſam materiam mox in cavitate ſua exhibuit; qua deterſa, hinc inde lenticulares aliquas, duriuſculas & albidas glandulas ei adnatas exhibuit. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 18. p. 64.* Secundum Michael. Bernh. Valentin verba *Chirurg. Med. Sect. III. c. 7. §. 9. p. 352. ſeq.* calculi veſicæ judicium a cathetere deſumptum, fallax eſt, ſiquidem tumor veſicæ cruſta lapidea obductus, aut interior illius membrana tartarea materia tecta catheterem cum ſonitu repellat, calculus autem tenaci muco vel molli involucro cinctus, aut inter veſicæ tunicas hærens id non faciat, ideo a prudenti Medico & Lithotomo in exploratione calculi, quæ per catheterem fit, probe obſervandum & attendendum eſt, num immiſſus & ad calculum alliſus catheter acutum atque tinnulum ſonum edat, quod fieri ſolet, ſi calculus ſiliceus & nudus in veſica latitat: an vero obſcurum ſaltem, quod tartarei & friabilis concrementi in veſica collecti, vel ejus tumoribus internis adnati eſt indicium. Si veſicæ interior tunica tartaro undique obducta fuerit, difficilius contrahitur, & tunc catheter paulo liberius in omnem illius cavitatem verti poteſt, duriusque impulſus ſonum minus acutum fundit: At ſi calculus inter veſicæ tunicas hæret, aut membrana obvolvitur, durum quidem & inæquale quid catheteri occurrit, ſed nullum reſonitum edit. An autem tumor ſcirrhoſus vel corneus, anne calculus ſuo folliculo incluſus adſit, dijudicatu difficillimum eſt; variat enim in tumoribus illis durities modo major, modo minor, quæ admoto cathetere exacte dignoſci nequit. Magnitudo quidem

dem, aſperitas, mobilitas & numerus calculorum in veſica deliteſcentium ſpecillo quodammodo explorari, nihil tamen certi de illis pronunciari poteſt, quia diutinam iſtam inquiſitionem veſica haud facile ferre ſolet.

§. 9.

Juxta Joann. Riolan. *Anthropograph. Lib. II. cap. 28. fol. m. 150.* hominis veſica interdum intus ſaccum ſive foveam habet, extra capacitatem, inferne protuberantem, in qua ſæpe grandiores lapides nidulantur & latitant, qui immiſſo cathetere detegi ac deprehendi non poſſunt, uti in Iſaaci Caſauboni cadavere obſervatum fuit. De cujus Caſauboni morbo, & ſectione evolvatur etiam *Bibliothec. Anatom. Part. I. fol. 387. ſeqq.* tumorem, qui lapidis mentiebatur duritiem, in veſica urinaria deprehendit Ludovicus von Hammen, cujus hiſtoriam *Diſſertat. de Herniis pag. 107. ſeq.* ad Joh. Nicol. Pechlinum ita perſcribit: Anno 1678. menſe Martio Muliercula urinam mariti in ædibus meis inſpiciendam, qui perverſus noſtratibus mos eſt, tradit, ut judicium ipſi meum atque ſententiam exponerem, vel hariolarer; crediderant enim Primarii in urbe Medici, calculo laborare ſenem veſicæ, adeoque non medicamentis amplius, ſed manu curandum. Urina clara abſque ſedimento ullo, quamvis ab aliquot jam horis illam excreviſſet, neque calculi, neque laborantis præ ſe ferebat ſigna veſicæ, ut vel hinc luculentiſſime appareat, quam fallax illa ſit lotii inſpectio, quam periculoſa, quam denique tot decumbentibus atque ægrotis funeſta. Rogatus itaque cum alio medico & chirurgo, ſenem compello cathetere inſtructus, ut de ſignis redditus certior lapidem veſicæ explorarem, quem immiſſo quoque in veſicam inſtrumento, ſtatim inveniebam. Ægrotus annos natus ſexaginta & ultra, ita bene explorationem illam ferebat, ut admirationi nobis haud immerito fuerit. Neque inveſtigationem tantum

Alia exempla.

admittebat, ſed inciſionem, & calculi extractionem quoque precibus modisque omnibus urgebat. Annuo, & corpore internis æque ac externis medicamentis præparato, dies ſectioni conſtituitur; quo ſenis in tabula collocati manus pedesque ligaturis quam dextre quamque firmiſſime conſtringebantur, ut nec loco movere corpus ulla ratione potuerit. Demum explorato lapide, & facta inciſione, forcipibus extrahere calculum robuſtiſſimis annitor, ſed fruſtra, quippe glandulosa ſubſtantia ex vulnere exſiliens operam omnem eludebat. Deligato autem vulnere, bono eſſe ſenem animo jubeo; & triduo elapſo ſolus cum chirurgo ad decrepitum me confero, quem tabulæ imponere, quem alligare, quem ab hoſte veſicæ urinariæ infeſto liberare omnem lapidem movi. Immiſſo per virgam cathetere, vulnere a ſubligaculis nudato, adnatum veſicæ tumorem, qui lapidis fingebat duritiem, ſuſpicabar. At vero neque deterritus ideo ab opere ceſſavi, ſed anceps potius, quam nullum experiri remedium conſultius exiſtimavi. Tumorem modo in hoc, modo illud latus, ſurſum modo, tum deorſum tamdiu acuto flectere forcipe, atque a veſica ſeparare curæ mihi fuit, donec fruſtulatim totum educere ac miſeri exponere ſenis oculis, vel illæſo ſphinctere veſicæ muſculo licuit, &c. De veſicæ compage craſſa calculi veſicæ ſigna mentiente, vid. Roſin. Lentil. *Iatromnem. Part. II. cap. 1. p. 355. ſeq.*

§. 10.

Quando calculus veſicæ adnatus. Ita etiam calculi veſicæ ſignum per catheterem exploratum fallit, quando calculi peculiari membranæ incluſi, vel uti ſupra dixi, veſicæ annexi ſunt, quo in caſu plerumque ſimul membrana obteguntur, cum inter veſicæ membranas circa ureterum inſertionem latitent atque incrementum ſumant, qualia exempla varii annotarunt autores. Teſte enim Luca Schrœckio Mercator quidam, ætatis

tis ſexaginta novem annorum, cum per quindecim annos calculi veſicæ doloribus ultimo tamen vitæ triennio tolerabilius, ut de calculi præſentia fere dubitare maluerit, laboraſſet, tandem atroces convulſiones accedentes ipſum vita privarunt. In diſſecto cadavere veſica cum incluſo calculo conſiderationem merebatur, in qua pauca urina, paulo major vero ejus quantitas in renis dextri ejusque ureteris cavitate obſervabatur, calculus autem magnus, quaſi pyriformis, ſuperiori nempe parte craſſiore exiſtente, & ſeptem cum dimidia unciarum pondus æquans delituit, veſica admodum craſſa & circa calculum conſtricta comparente, ut difficulter ille inde loco moveri, atque ex pelvi extrahi potuerit, & ita quaſi in medio veſicæ ſuſpenſus hæſerit; cumque talem ille ſitum nactus fuerit, quo minus crebrioribus & urgentioribus doloribus circa ultimos vitæ annos collum veſica atterere & ſtimulare valuerit, hinc ſuſpicionem præbuit, mortem ſubſecutam non tam ipſi, quam alteri alicui minori calculo potiſſimum eſſe imputandam; ſiquidem circa ingreſſum ureteris dextri in veſicam calculus nucis moſchatæ majoris magnitudine arctiſſime inhærere deprehenſus fuit, cum loci illius tumore a fibrarum conſtrictione orta, & calculi extruſionem in ipſam veſicam impediente &c. vid. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. X. Obſ. 100. p. 437.* Plures calculos majores circa veſicæ latera, inter membranas ejusdem, veluti in cyſti concluſos, ſe vidiſſe refert Thomas Williſius *de Urin. Cap. V. p. m. 235. ſeq.* Calculum exiguum in veſicæ ſubſtantia deliteſcentem annotavit Jacobus Cattierius *Obſerv. med. 3. p. 15.* Inter veſicæ tunicas aliquando calculos ſubſiſtere, atque augmentum capere annotavit Dominus Littre vid. *Act. Erudit. Lipſ. An. 1706. Menſ. Jul. pag. 317.* In Viri cujusdam Brabantini calculum membrana involutum obſervavit Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. III. cap. 5.*

pag.197. Guilhelmus Fabricius Hildanus Anno 1620 ad Nobilem quendam vocatus fuit, qui a multis annis calculo atrociter divexabatur; nullus tamen lithotomus unquam calculum in ipſo deprehendere potuit; in quo tamen viro, poſt ipſius obitum calculi aliquot ingentes, peculiari ſacculo ſive veſiculæ, veſicæ innatæ & adnatæ incluſi reperti fuerunt. v. Fabric. Hild. *Lithotom. Veſic. cap.8.p.m.74.* Plura ejusmodi exempla jam ſupra *Cap.II.§.40.* adduximus. Hoc per catheteriſmum exploratum calculi ſignum, uti ſcribit Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. I. cap. 22. pag. 515.* nonnunquam fallere, ex ſequentibus conſtat. Scilicet calculum adeſſe, certos nos credimus, ſi immiſſo in veſicam cathetere alliſionis ad rem duram quidam & repercuſſionis cujusdam ſonus, cum renitentia notabili, percipiatur. Verum quemadmodum non omnis ejusmodi ſolidioris ſubſtantiæ reniſus ſonorus lapidis infallibile argumentum eſt, ita nec, ubi nihil hujus deprehenditur, talem abeſſe, mox inferre convenit. Prioris dubii ratio eſt, quod non ſemel obſervare detur veſicæ faciem internam calloſam ac cruſta lapidea ſeu tartarea obductam aut lapidefactam, cui ſi catheter allidat, ſonora renitentia calculum mentiatur. Poſterius vero, i.e. lapidem ita aliquando in veſica occultari, ut catheter eum minus deprehendere queat, quod una ratione contingit. Aliquando ſcilicet aut mucilagine multa viſcoſa, aut tunica craſſiore ille obvolvitur, aut veſica aliquando conformatione vitioſa & extraordinaria quoque gaudet, v. g. ſi duplex fuerit, aut ſepto membraneo in duas cavitates diſtingvatur. Qualia exempla Johannes Bohnius *l.a.* allegat.

§. 11.

Signa per digitos in anum miſſos fallacia. Neque etiam a digiti Indicis in maſculorum inteſtinum rectum, vel in feminarum vaginam uteri immiſſionem ſemper certum calculi in veſica latentis ſignum peti poteſt,

ſiqui-

ſiquidem calculus non ſemper ſitum ſuum circa veſicæ orificium habet, ſed quandoque veſicæ fundo vel alibi annexus eſt, ut adeo digito attingi non valeat; Et licet etiam digitus his partibus immiſſus aliquam duritiem in veſica attactu ſentiat, non tamen ſemper exinde calculus, ſed interdum quoque, teſtantibus ſupra allegatis autoribus, ſcirrhoſa quædam & indurata excreſcentia, poſt mortem ſectione ibidem deprehenditur. Unde Guilhelmus Fabricius, Hild. *l. a. cap. 3. pag. 41. & Oper. fol. 711.* ſcribit: Quando chirurgus digitum indicem in inteſtinum rectum, quam profunde quidem poteſt, intrudit, ac poſtea aliquantulum contrahit, puta verſus os pubis, communiter duritiem percipit; communiter dico, propterea quod calculus interdum etiam in ſuprema veſicæ parte jacet, nec juxta collum percipitur. Quocirca ægro ante explorationem iſtam injungatur, ut, quantum fieri poteſt, ambulando, currendo ac ſaltando ſe corpusque ſuum exerceat. Infans vero ſi fuerit, ſub axillis præhendatur corpusque valde concutiatur. Neque tamen iſta ad adminiſtrationem lithotomiæ ſufficiunt; duros enim tumores ſcirrhoſos in veſica inveni; qui digitis in anum immiſſis tam duri deprehendebantur, ac ſi fuiſſent calculi. Vel juxta verba Cornelii Solingen *van de Manuale Operatien der Chirurgie Part. III. cap. 10. p. 177. ſeq.* Als den Medicus een of beyde van ſijn beolide Vingeren in den Endeldarm geſtoken hebbende, deſelve na de Krop van de Blaes druckt, voelt een hardigheyd of meer, ſo deer meer ſteenen Zijn: Na dat hy ſoo het ee Kind is, onder de Oxelen ſal hebben genomen, ende opgeligt, ſchielick verſcheyden malen ſal hebben laten op de voeten neder komen: om dat de ſteen beter ſacken ſoude. Edoch al ſchoon men dus: danigh een hardigheyd voelde, ſo ſoude men wel konnen bedrogen worden, door een

ſcirrheus geſwel, ten ware meer van de voorige tékenen daer neffens gingen, gelijck by Hildanus te ſien is. Et juxta Johann. Bohn. *de Offic. Medic. duplic. Part. I. cap. 22. p. 514.* qui digitis ano in maſculis, collo uteri in fœminis, intruſis calculi veſicæ explorationem tentant, conatu operantur minus adæquato, nec cui adeo abſolute fidendum eſt. Dum hac ratione calculum in ſubjectis craſſioribus attingere vel contrectare, ob ſitus hujus profunditatem, iis haud conceditur: quod metuendum pariter, ſi ſummitati veſicæ fundi idem adhæreſcat, quorſum digiti penetrare nequeunt. De inde ſarcomata, tumores ſcirrhoſi ſimiliaque ſub calculi ſpecie eosdem digitos exploratorios decipere poſſunt &c. De his ſignis per catheterem & digitos explorandis ita ſcribit Jean Baptiſte Verduc *dans les Operations de la Chirurg. Tom. 1. cap. II. p. m. 35.* Il n'y a point de ſigne plus certain pour connoitre ſ' il y a une pierre dans la veſſie, que la ſonde & les doigts. On ſ'en aſſure par le doigt, en le mettant: dans l'anus & l'approchant du pubis, & en comprimant l'hypogaſtre, c'eſt ce qu' on fait facilement dans les enfans & dans les femmes on met le doigt dans le vagin. Dans le petites filles on le met dans l'anus, parce qu'elles ont leur parties naturelles trop etroites. Ayant mis le doigt dans le vagin d'une femme, il faut le courber en le tournant en devant pour ſentir la pierre. Ce ſigne nean moins n'eſt pas toujours certain, parce qu'il ſe peut rencontrer des ſchirres ou des excroiſſances de chair dans la veſſie, qui ſe feront ſentir auſſi dures, que des pierres. C'eſt pourquoy, ſoit dans les hommes, dans les enfans, ou dans les femmes, la ſonde eſt le plus ſeur moyens. De his calculi ſignis paulo infra in hoc capite plura reperies.

CAPUT

CAPUT XI.

De Calculi Excretione & ex Urethra exciſione.

§. 1.

Quodſi proinde per hactenus recenſita ſigna tam in renibus, quam veſica, calculi latere dignoſcuntur, Medicis imprimis incumbit, ut ægrotantes ab hoc atroci hoſte pro viribus liberent, quod triplici modo fieri ſolet; dum calculi vel excernuntur aut expelluntur, vel extrahuntur, vel exſcinduntur. *Calculi, excretio*

§. 2.

Calculi equidem excretionem plerumque maximi vel renum & ureterum, vel veſicæ & urethræ concomitantur dolores, quandoque tamen eadem etiam absque ulla fere doloroſa ſenſatione fieri ſolet. Excernuntur quippe calculi non modo minores & ſabulum, ſed interdum etiam majores adeoque magni, ut eorum tranſitus incredibilis fere videatur, quem tamen exempla confirmant. De calculo ſine dolore prodeunte hanc Obſervationem recenſet Johannes Helwigius *Obſervat. medic. phyſic. Obſ. 109. pag. 307.* Anno 1654 Amanuenſis quidam ſæpius ante atrociſſimis cruciatibus nephriticis periculoſe infeſtatus fuerat, e largiore potu vini Rhenani generoſioris in dolores iterum ejusmodi pergraves incidit; auxilium igitur a me petenti dolores remediis idoneis profligati, brevi temporis ſpacio omnino, nullo tamen calculo apparente, deceſſerunt, ipſeque munia ſua libere rurſum obivit. Decendio vero poſthinc calculus grandis, latus, planus, triangularis, ac in uno latere parum ſerratus, improviſo ſine omni fere dolore, cum urina parum ſabuloſa prodiit. Nobilis quidam Vir, a Hatzfeld Vir ſexagenarius, qui incredibilem *Sine Dolore.*

lem calculorum e renibus ſuis per virgam ejectorum, numerum Guilhelmo Fabricio, Hildano, monſtravit, poſtea calculos inſtar piſorum ac fabarum grandiuſcularum, absque ſingulari moleſtia emittere potuit: propterea quod meatus ipſius urinarius a longo tempore multitudine calculorum, ab ipſo rejectorum, dilatati fuerant, uti dictus Fabricius refert *Tract. de Lithotom. Veſic. cap. 26. pag. 179.* Ibidem etiam alius viri ſexagenarii meminit, qui per ſex annos calculos absque ſingulari moleſtia excrevit. Alia exempla calculorum, etiam grandiorum, a viris ſine dolore emiſſorum annotavit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. Phyſic. medic. Lib. 1. Obſ. 9. p. 18. ſeq.* inquiens: Oſtendit mihi Vir Senatorii ordinis, omnis generis lapides, majores, minores, rotundulos, oblongos, glabros, angulosos, papaverinos, cicerinos, ſed & alios rugoſos, intortæque figuræ, nec piperi longo abſimiles, quos ille cum tempore & aliquot annorum decurſu, omnes ſine ullo dolore emiſerat & hodienum emittit. Alius, & ipſe Vir gravis munerisque dignitate conſpicuus, narrabat, nullo ſe unquam renum dolore affectum, ex renum tamen calculo laborare; & pleroſque, quos a longo tempore excreverat, lapides (quamvis jam ſenex eſſet depontanus) neſcio ſibi cum urinis exire, non dolore ſe, at ſono, quem eliſi mitterent, prodentes. Agnovi autem in pyxide, qua plures ejus generis lapides condiderat, aliquos fabis piſisque majores oblongosque. Item nuper adhuc, pergit Pechlinus, arthritico mihi quam familiari poſt aliquot menſium decubitum, cum nullum ante unquam calculi veſtigium notaſſet, lapis in urethram improviſus illabitur, magnus ille & durus, plane formam nuclei mali Perſici, ut cortice veſtitur, referens, neque mora, quin uno impulſu ſine doloris ſenſu ejicitur, & ſic ſatis miſerum ægrotantem prodigii novitate percellit &c. De Puero Dano

lapides,

lapides, juglandis magnitudine, emingente, vid: Thom. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. III. Epiſt. 80. p. 344.* Anno 1624 Cive quodam a Bernenſi, qui a multis annis calculo obnoxius fuerat, æſtate dicti anni, poſtquam octo vel decem circiter dierum ſpatio dolore lumborum gravi affectus fuiſſet, intra paucos dies prope trecenti lapilli e renibus per meatus urinarios ac virgam ipſius nullo ſingulari præcedente lumborum calore, multo minus frigore, aut alio quopiam percepto in corpore incommodo, prodierunt, teſte Guilhelmo Fabricio, Hildano *l. a. Cap. II. p. 27.* lapidem etiam ovi magnitudine ſine dolore in Gambriviis fœmina dejecit, olim etiam non alio, quam gravativi doloris ſenſu cognitum, quem calculum ſe vidiſſe ait Joh. Nic. Pechlinus *l. a.* Cujusdam Sculptoris filiolum, in prima pueritia per lotium ac citra dolorem ſæpe lapides fabæ Romanæ magnitudinis, imo majoris, excreviſſe, refert Nicolaus Blegny *Zodiac. medic. Gallic. Ann. I. April. Obſ. 15. p. 82.* Hanc Obſervationem communicat Johannes Antonius Clozius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 124. p. 205.* Anno 1670 d. 16 Maji venit ad me mulier quinquaginta annorum, quærens, ſe magnum circa inguina, & in emiſſione urinæ ſentire dolorem, urina erat mucilaginoſa. Ego de calculo veſicæ judicare incipio, præſcripſi ipſi lene purgans, pulverem lithontripticum & fomentum externum. Quorum uſum cum per ſex dies continuaſſet, excernit calculum aſperum, &, quod mirum, nullam per excretionem in meatu urinario ſenſit læſionem. Ponderavit hic calculus unciam dimidiam. Fœmina quædam honeſta per viginti quinque annos lithiaſi miſere vexata ea omnia paſſa eſt, quæ huic morbo quando crudeliſſime ſævit, ſunt familiaria; ita ut dies ſine dolorum intermiſſione, noctes ſine ſomno, vitam totam ſine ſpe infeliciter trahens, animo & corpore fracta & vitæ pertæſa unicum a morte expecta-

vit remedium. Sed aliud benignæ viſum eſt naturæ, die enim quodam, cum ad cubitum ſe pararet, & more ſolito urinam reddere vellet ſuppreſſam omnino ſenſit, non mirata rem ſibi valde familiarem, arrepta aqua, ut partes vicinas ablueret, inſolitam ibi percepit duritiem, quid rei eſſet ignara, nec multum ſollicita, ſed ad exonerandam veſicam imprimis intenta, poſt brevem per cubiculum deambulationem rurſus ſe ad matulam compoſuit. Quid fit? dum urinam expellere nititur, ecce eam leviſſimo, imo nullo fere dolore calculum prægrandem cujus pondus viginti octo drachmas medicas cum dimidia æquabat, ejecit &c. uti ex Baile Novellis Reipublicæ literariæ refert Ido Wolffius *Obſerv. medic. Chirurg. Lib. I. Obſ. 47. pag. 155.* Sic Anno 1621 ab anu quadam lapidem fere ovi gallinacei magnitudine e veſica ſponte excretum, ſe vidiſſe refert Daniel Sennertus *Pract. medic. Lib. III. Part. 8. Sect. 1. cap. 2. p. m. 850.* Ante aliquot annos Secretarius quidam ſexagenarius, qui per totam vitam nil quicquam ſabuli vel calculi in urinæ excretione obſervarat, inter ſcribendum ex improviſo ad fecum alvinarum ejectionem ſtimulatus aliqualem urinæ ſuppreſſionem ſimul ſentiebat, paulo tamen poſt urinam cum impetu & quaſi exploſione emittebat. Poſt horæ quadrantem ad matulam provocatus, ſimul cum urina calculum oblongum absque ullo dolore in urinale vitreum expellebat, a cujus ſonoroſa ad vitrum alliſione ipſe quaſi perterritus cauſam ſoni inquirens calculum inſtar nuclei dactylorum oblongum & crenatum in vaſe urinario deprehendebat; quem poſt aliam horæ quadrantem adhuc alius, ejusdem cum priori figuræ & magnitudinis eodemque modo excretus ſequebatur. Dicti autem calculi ſub excretionis momento minime duri, ſed inſtar luti vel argillæ molles erant, poſt paucum vero temporis intervallum indurati & dactyli nucleorum figuram, colorem,

Obſervatio.

rem, magnitudinem atque duritiem referebant: Ipſe autem Secretarius aliquot adhuc annos ſupervivens, poſtmodum per totam vitam ab omni calculi dolore & excretione immunis permanebat. Imo annon prima quoque vice in vehementi urinæ emiſſione ſimilis calculus fuerit excretus, dubium mihi non eſt. Illuſtris quidam Legatus Batavus calculo renum afflictus & Olai Borrichii curæ permiſſus, cum ægrius potaret pharmaca, hoc gravius aliquandiu cruciabatur. Sed in mediis doloribus, poſtquam ſuperveniens tabellio lætum nuncium e patria attuliſſet, e veſtigio prodiit ſponte calculus, & nobiliſſimum ægrum ſollicitudine duplici levavit. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. III. Obſ. 38. p. 73.*

§. 3.

Sæpius autem calculi, imprimis ſi fuerint magni, vel acuti, maximo quandoque cum dolore excernuntur, & quidem tam in maribus, quam fœminis, quanquam in his facilius, quam in illis ejici obſerventur. Anno 1621 ab anu quadam lapidem fere ovi gallinacei magnitudine e veſica ſponte excretam ſe vidiſſe ſcribit Daniel Sennertus *Practic. Medicin. Lib. III. Part. 8. Sect. I. cap. 2. pag. m. 850.* ubi addit: cum meatus urinarius in fœminis amplior ſit & brevis, facilius quam in viris per eum expelli vel extrahi poteſt calculus. Juxta Theodori Kerckring. *Spicileg. anat. Obſ. 67. p. 135.* Joanna quædam Nicolai fœmina ætate adhuc vegeta poſt ingentes dolores, tandem cruciatibus pene intolerabilibus enixa eſt lapideum fœtum, ibidem depictum, ſubſtantia duriſſimum, æquantem pondere uncias tres & totidem unciæ partes, longitudine digiti minoris extenſionem, latitudine digitos transverſos fere tres, duos autem craſſitie; Dictaque fœmina lapidem hunc ſine chirurgiæ ſubſidio excluſit, ac ſana & integra ſine ullo circa veſicam aut meatum urinarium incommodo poſtea *Cum dolore.*

vixit, aliquot adhuc annos poſt ſtupendam hanc a lapide tanto liberationem. Sic Amſtelodami Catharina Pannemaker, agens annum octuageſimum nonum, ubi integrum triennium tuliſſet animoſe, in veſica urinaria, calculum ponderantem tres uncias, cum duabus drachmis, enixa fuit tandem feliciſſime lapideum hunc fœtum cum duobus conchiliis, foris itidem lapidea cruſta obductis, uti annotavit Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. III. cap. 7. pag. 200. ſeq.* ubi addit, auſam fortaſſis eſſe hanc viraginem, præter ætatem vegetam, plus ſponte, quam in tali ætate aggreſſus fuiſſet ne exercitatiſſimus lithotomus.

§. 4.

De calculo veſicæ, unciæ unius pondere, citra ſectionem excreto Obſervationem communicat Juſtus Fridericus Dillenius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſervat. 242. pag. 425.* Nimirum ſub initium Anni 1683 uxor Jean N. N. natione Galli barbitonſoris Darmſtadini, calculum mihi oſtendit, magnitudine caſtaneæ grandioris & unciæ unius pondere, quem citra ſectionem, ſolo uſu balnei εὐπορίςυ, & paucorum remediorum internorum, a ſemet ipſa excluſum fuiſſe ajebat. Et de calculo veſicæ a muliere ſeptuaginta novem annorum excreto aliam hiſtoriam annotavit Johannes Georgius Sommerus de muliere octoginta unius annorum, per totam vitam paupere, quæ ante quinque annos inter urinæ ſtillicidium immanes dolores ex calculo veſicæ per triennium continuum paſſa, nullo uſa eſt medicamento, niſi quod interdum aliquid aquæ petroſelini biberit; demum ab amica plebeja docetur herbarum petroſelini & hederæ terreſtris ſuccum recenter expreſſum omni mane ad unciam unam aut ultra bibere; quod poſtquam continuavit per quatuordecim dies, tandem inter dolorum tormenta, ipſi mortis præſentiam perſvadentia, excluſit calculum ovalis fere conformationis

mationis & quantitatis, ſubſtantiæ ſolidæ, coloris ex cinereo flaveſcentis, craſſitudinis duorum digitorum, ſuperficiei partim lævis, partim ex adnato petroſo muſco aſper, ponderis unciarum duarum & totidem drachmarum &c. v. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 180. p. 392.* ubi figuram ipſius delineatam videmus. Mulier quædam pagana per multos annos calculum veſicæ circumtulerat, natu grandior intus foriſque miſera, donec tandem aucto lapidis in veſica pondere incurvum corpus ægre ſuſtineret. Victa tædio chirurgum quendam convenit, qui ſine ſectione calculum extrahi non poſſe pronuncians & fœminam prognoſtico terret & pretio. Ne tamen nihil ageret, potionem vilioris pretii lithontripticam conceſſit, qua ſumpta calculus ſe in ſinum pudoris provolvit, ex quo ipſa mulier obſtetricante manu propria ipſum protraxit: Pendebat vero uncias ſex. Ovalis erat, albus, glaber, non valde durus, forma & magnitudine ovum magnum gallinaceum referebat, juxta Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. IV. Obſervat. 83. p. 193.* Virgo quædam Delfftenſis poſt maximos nephriſeos dolores horridiſſimosve calculi cruciatus tandem per urinam ejecit prima die calculos duos, primum ʒv alterum ℥ß & ʒß, poſteriori die quatuor alios ejecit, primum ʒvij alterum ʒß, tertium ℈iß, quartum ʒß & gr. xij, tertia die tres emingit alios, primum ʒijß alterum ʒß gran. xx. tertium ʒj gr. xvj. vid. Dan. Menon. Matthiæ *Obſ. 13. p. m. 94. ſeq.* Ehrenfrido Hagendornio Budiſſæ monſtratus fuit calculus prægrandis, quo per pluſculum temporis ſpatium vidua quædam conflictata & fruſtranea ope medicamentorum fatigata fuit. Tandem aliquando inter res domeſticas occupata forte abdomen ciſtæ cuidam allifit, unde ſuborto dolore immaniſſimo ſponte calculus e ſinu proſiliit ſat grandis, intus ex parte concavus cum foramine in ſuperficie; poſthac a doloribus calculoſis

plane immunis, uti refert *Hiſtor. medicin. phyſ. Cent. II. Hiſtor. 41. pag. 211.*

§. 5.

Item Fœmina quædam Hafnienſis, Eliſa Jani, diu acerbiſſimis calculi doloribus exhauſta tandem inſignis magnitudinis calculum excrevit, & remittentibus nonnihil doloribus perpetuo deinceps urinæ fluxu involuntario, ob læſum veſicæ ſphincterem miſeram vitam traxit, teſte Thoma Bartholino *Hiſtor. anatom. Cent. I. Hiſt. 71. p. m. 107.* Et *Hiſt. 72. p. ſeq.* alius mulieris meminit, quæ tres ex veſica calculos diverſæ magnitudinis & formæ excrevit. Unum triangularem, nonnihil ad latera inæqualem & minorem; Alterum pyri forma aſperiorem, in quo aſperæ partes candidiores, obſcuriores glabræ. Tertium longiorem, cortice quam in reliquis duriore, ſed medulla friabili. Quod autem modo de ſphincteris læſione atque involuntariæ urinæ excretione diximus, idem etiam in Piſtoris cujusdam vidua, poſt diuturnos conatus doloroſos calculum nucis moſchatæ magnitudine demum excernente, obſervavi; cum econtra Vinitoris cujusdam, Martini Schumanni uxor, poſt calculi, unciam unam ſemis lati, & unciam craſſi, ac drachmas undecim & dimidiam pendentis, excretionem nihil incommodi in urina mittenda, perſenſerit. De quibus exemplis paulo poſt plura. Huc pertinet etiam Obſervatio Danielis Angeli de calculi veſicæ ſpontanea excretione *ex M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 195. p. 285. ſeq.* ſcilicet Mulier quædam, nomine Angelica Rubini, quinquageſimum quartum annum ætatis ſuæ agens lumborum gravitate ad coxendicem excurrente primo affligebatur, poſtea atrociſſimo dolore circa regionem dorſi & renis ſiniſtri, ſecundum longitudinem ureteris ad veſicam usque & pubem, cum ſtupore cruris, nauſea, vomitu, anorexia, tumore infimi ventris, & ſummis mingendi

cona-

conatibus vehementer premebatur, adeo ut interdum, & niſi urinam excreviſſet turbidam ſabuloſamque, erecta vix incedere valeret; Dehinc ſolertis naturæ poteſtas calculum e rene ſiniſtro per ureteris ductum ad veſicam impellebat, & ægra de cruciatu circa veſicæ fundum cum frequenti micturientis ſtillicidio conquerebatur. Tandem cum minus de ſalute ægra hæc cogitaret, calculus ad orificium veſicæ exterius protruditur. Ego ad eam vocatus conſului, ut pro viribus per cubiculum deambularet, antequam vero egrederetur lecto, pudenda probe inungeret oleo ſcorpionum. Hoc meum conſilium illa exequitur feliciſſimo cum ſucceſſu: Vix enim aliquot molita erat paſſus, cum calculum excerneret oblongum, poroſum (prout ex formula & magnitudine annexæ figuræ videre eſt) coloris cineritii, uncias duas cum ſemiſſe pendentem. Juxta Obſervationem Chriſtiani Erneſti Clauderi *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 198. pag. 395.* Fœmina quædam quadraginta octo annorum, poſtquam crudeliſſimo dolore nephritico, per aliquot annos ſtatis periodis miſerrime afficeretur multaque medicamenta adhibuiſſet, plurimosque lapillos excreviſſet, in paſſionem iterum nephriticam vehementiſſimam incidit, & cum inſuper in quintam diem omnimodam urinæ ſuppreſſionem pateretur, poſt medicamenta, ibidem deſcripta, inopinato, maximo tamen naturæ conatu, æque ac fœtum enixuræ, lapis prorumpit, ac vi quaſi quadam magna adactus per ſatis notabile ſpatium in pavimentum propellitur, qui formæ erat rotundæ, optime ſphæricæ, coloris ochrei, externe læviſſimus, ſubſtantia compactus ac duriſſimus, adeo ut cultro difficillime aliquid eo deradendum. Magnitudo ovum gallinaceum æquabat, pondus vero libram unam medicam, uncias ſcilicet duodecim & drachmam unam. Mulier hoc pondere levata & faucibus orci quaſi erepta

recens

recens nata ſibi videbatur viribusque ſenſim recollectis integra ſanitate gaudebat, remanente ſaltim affectu moleſtiſſimo, urinæ incontinentia &c.

§. 6.

Alia exempla. De calculo cum fragore a fœmina excluſo raram Obſervationem refert Joel Lancilottus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 7. pag. 17. ſeq.* Calculum, inquiens, veſicæ pergrandem & duos lotones cum dimidio aliquotque granis æquantem pondere, attulit mihi fœmina quinquagenaria Eckelfurdana, conſilium rogitans qua ratione vitam tot jam moleſtiis fractam paulo liberiorem ab iis agere poſſet, ſimulque conqueſta mihi eſt, ſe totos annos duos immanes circa epigaſtrium dolores ſenſiſſe, nec tamen vel proprio, aut aliorum inſtinctu cognoviſſe, quid ibi lateret. Tandem cum impendente vere melius haberet, & cœli temperatior aura ſpiraret, ſuaſere vicinæ fœminæ, ut animi relaxandi cauſa una ad navem onerariam, noviter conſtructam, pertenderet; in quod facile conſentiens, quantum vires permittebant, comitatum ſecuta & ad oram navis perveniens cum illam ſublato pede tranſcendere vellet, divaricatis cruribus medio epigaſtrio in rude lignum impingit, inſidens ei inſtar eorum, qui equo vehuntur, quo caſu fere examinata a vicinis domum deducta, tantis cum doloribus circa inferiorem ventrem confligtari cœpit, ut omnes eam ſtatim emorituram crederent. Sed ipſa illa jam ultimis confecta laboribus naturæ tamen victricis beneficio adjuta, corpus aliquod ſolidum cum tanto fragore & tonitru, ac ſi lapidem fulminarem nubila emitterent, naturalibus eſt ejaculata. Quo ſonitu perculſæ aſſiſtentes mulierculæ, propius ſe lecto admovent, & quid ægræ accidiſſet, quærunt, quæ, ut de dolore dextri femoris querebatur, lodice & ſtragulis retractis, quo ſuppetias laboranti ferre poſſent, reperiunt ibi calculum ingentem, in

in pedem exploſum forma fere ea, quæ *l. a.* exhibetur. Miſenæ pauperis cujusdam pannicularii uxor viginti annos nata poſt innumera medicamenta tanta difficultate calculum excrevit, ut in diſcrimen vitæ veniret; ſiquidem ſex totos dies cruciatus enitendo perpeſſa fuit adeo ſævos, ut ei crus dextrum ſtupore penitus rigeſceret, & penitus denigraretur, donec lapidem peperiſſet, magnitudine, forma atque colore amygdalæ ſimilem, uti refert Johannes Kentmannus *de Calcul. in Corpor. hum. cap. 7. pag. 10.* Anno 1650 vidua quædam Ratisbonenſis, doloribus nephriticis & iſchuria usque ad diem nonum laborans, tandem poſt aſſumtam emulſionem terebinthinæ, primum magno cum conatu ac ſubſequente ingenti fragore ſeu crepitu, plures quam viginti calculos, piſorum & lentium magnitudine plane ſiccos unica vice ſaltem enixa eſt, referente Johanne Helwigio *Obſerv. phyſ. med. 115. p. 318. Et Obſ. 114. p. 317.* calculi e muliere gravida proſilientis meminit. In cujus ſcholio Lucas Schrœckius alia adhuc ejusmodi exempla recenſet, & quidem primum de fœmina quinquaginta annorum, Sara Oſſungerin, plurimis jam retro annis ventre tumida & absque levamine plurimorum remediorum, thermarum & acidularum uſum experta, tandem ab aquarum Weihenzellenſium potu maximos & vix tolerabiles in ventris dolores inciderat, quos tandem calculus ovalis figura & craſſitie ac magnitudine fere nucem vomicam adæquans, pondere drachmarum duarum cum totidem granis, magno cum impetu, ac ſi e manu baliſta fuiſſet exploſus, proſiliens profligavit, atque, ventre detumeſcente, priſtinæ ægram ſanitati reſtituit. Alterum exemplum ex Joh. Theod. Schenckio refert de muliere, quæ poſt atroces perpeſſos dolores calculos duos cum fragore, ex veſica magno naturæ conatu exploſerat. Cauſam autem hujus ſoni vel fragoris a

veſica duplici, ſive in duos ſacculos diviſa deducit Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 72. pag. 1109.* inquiens, ſi veſica urinaria velut in duas burſas diſtincta eſt, contingere hinc poterit, ut ſono bombardæ ſimili aliquando calculi excludantur. Mulier etiam ruſtica, in pago Borniz, prope Oſſitium triginta ſex circiter annorum, ſangvineo & laxioris habitus, veſicæ calculo vexabatur adeo magno, ut non tantum graviſſima inde pateretur ſymptomata, ſed etiam mors inſtare videretur. En autem! cum omnes quoad eventum mali ancipites eſſent, ægraque nunc in Charontis cymba ſtare ejusque ſolutionem expectare adpareret momentaneam, præter omnem ſpem atque opinionem, magna cum vi, calculus inſignis protrudebatur, *nicht anders, als wenn er geſchnellet würde*, cujus poſt excluſionem ægra vires iterum colligere incipiebat, tandemque priſtinæ ſanitati reſtituebatur, obſervante Sigismundo Schmiedero *Ephem. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſervat. 161. pag. 370.* Ad calculi excluſionem mirifice conferre exercitationem & motum corporis, præcipue equitationem, præter quotidianam experientiam probat Carolus Piſo *de Morb. ſeroſ. ſect. IV. p. 387.* & quidem tum proprio experimento in ſe-ipſo, quippe qui magnam vim calculi rufi ſemper ab equitatione & curru reddidit; tum in plurimis & nominatim in Conſiliario quodam Pontano, cui ante plures annos de laborioſo enixu calculi apud Piſonem conquerenti cum hic equitationem ſvaſiſſet, ille aſcendit equum, impulitque per præruptos colles, intraque horulæ ſpatium calculum non mediocris molis mictu reddidit, quod beneficium deinceps pluries ab equitatione alacer firmusque ſenex accepit. Periodicam ſeu tertianam calculi excretionem in mercatoris cujusdam, nomine Drobiſchii, uxore Anno 1698 obſervare mihi licuit; dicta ſcilicet fœmina a

tertio menſis Aprilis ejusdem anni usque ad nonum Julii, tertio quovis die de dolore colico-nephritico conquerebatur, quem ſemper calculorum, interdum majorum, interdum minorum, interdum etiam albæ mucilaginis, qualis interdum in calculoſis obſervari ſolet, larga ſubſequebatur excretio. Durabat autem hic dolor aliquot horas, ad usque rejectionem; ſemper tamen certo tempore poſt tertium diem redibat, ſubſequente altero die, ab omni dolore & calculorum excretione libero ſeu immuni.

§. 7.

Interdum etiam a pueris calculi per veſicam & urethram excernuntur, qualem Obſervationem de puero tredecenni, qui a plurimis æſtimatus fuerat vermibus ſcatere, poſt aſſumptum autem pulverem nephriticum plurimos & ultra centum excluſit calculos, coloris ochrei, refert Gregorius Hillingius *M. N.C. Dec. II. An. 1. Obſ. 161. p. 386.* Sequentes Obſervationes annotavit Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. Cent. IV. Obſ. 14. pag. 389. ſeq.* Puer Gerſonis Bourgeois, menſium octodecim, die 1 Decembris anni 1666 in fletus continuos erumpere cœpit, alvo laxa, rigida virga, quam indeſinenter manibus, ut ſolent omnes illo affectu laborantes, contrectabat, & e qua urinæ aliquot guttulæ tantum magno conatu deſtillabant. Veſicæ calculo illum laborare dixi, decocto ex malva, violis & floribus chamomillæ in lacte coctis perinæum ſæpe foveri, pulveriſque ovorum teſtæ ſcrupulum unum ex aqua fragorum exhiberi juſſi. His illa ipſa die calculum album, aſperum, inſtar piſi, niſu maximo propulit; Inde ſtatim hilaris factus eſt & omnibus doloribus liber: Cum autem tophaceus eſſet, non lenis, frequenter ſatis hactenus eadem difficultate correptus eſt. Puer alius, forte biennis, veſicæ calculo laborans, balneis emollientibus & ab his lithontriptico pulvere uſus, tandem in collum veſicæ pro- *Etiam a pueris*

lapſum lapidem expoſuit, quem remediorum continuato uſu ſenſim in urethram perveniſſe ſenſi, & ibi hærentem contrectavi: qui non diu poſt inſtar avellanæ prodiit, ſed cortice conſtans: unde prædixi illum ab illo affectu deinceps immunem fore, quod hactenus factum eſt. Sic puellus tres annos præter propter natus plusquam quinquaginta calculos excreverat, inter quos multi fuere magnitudine piſi minoris, uti ex relatione Doctoris Bronckhorſtii, Medici Amſtelodamenſis, recenſet Fredericus Ruyſchius *Obſerv. anat. chir. 57. p.74.* Quantis cruciatibus miſer ille puellus fuerit vexatus, facilis eſt conjecturæ, neque ceſſarunt. Aperto dein cadavere inveniebatur renis ſiniſtri pelvis admodum dilatata calculoque ingentis magnitudinis obſeſſa. A puero quadrienni ad deſperationem redacto, uſu cujusdam Tincturæ, calculum veſicæ, quantitate piſi majuſculi expulſum fuiſſe ſcribit Sigismundus Graſſius *M. N. C. Dec. I. An.3. Obſ. 212. pag. 387. ſeq.* Item puella Vivarienſis magna dyſuria cruciata per longum tempus tandem lapidem minxit album duriſſimum, magnitudinis ovi anſerini, qui fractus concavus repertus eſt; Illum autem cum ingentibus conatibus eduxit, adeo, ut puerperarum dolores æquarent, juxta Petr. Borell. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. II. Obſ. 22. pag. 128.*

§. 8.

Calculi Urethra *Vel exprimuntur.* Quandoque etiam calculi e veſica progredientes majores ſunt, quam ut in excretione urinæ, tam in maribus, quam fœminis, ſimul cum eadem per urethram tranſire queant, ſed in eadem per tempus hærentes varia ſymptomata excitent, quapropter ægroti pro eorundem expreſſione, vel extractione & exciſione manu chirurgi opus habent. Inquit enim Petrus Borellus *l. a. Cent. IV. Obſ. 84. pag. 341.* vicinum Cadalenum vocatum habeo, cujus puer poſt dolores multos conqueſtus eſt de pene & urinæ ſuppreſſione;

preſſione; re inſpecta viſus eſt tumor in ejus apice, tactu perceptum eſt calculum eſſe, digitorum vero compreſſione verſus ventrem incipiendo & forinſecus mulgendo ejectus fuit, & puer ſic curatus. De calculo in orificio penis urinam reprimente hanc Obſervationem communicat Daniel Wincklerus *M. N.C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 36. p. 70.* Variolis laborans filiolus octo annorum, conquerebatur de obſtructione urinæ, de cauſa eramus ſolliciti: Puer ejulare, de dolore ex retentione conqueri: videmus in extrema parte penis variolam, de interna idem cogitamus: medicamenta interna nihil efficiunt: ego tandem ipſum penem inſpicio, particulam ſalis injicere volui & expultricem ſtimulare. Video quid albi in orificio, exiſtimo eſſe variolam pure plenam, acum accipio, tentaturus quid ſit? durum offendo, moveo, motumque eximo, lapillus eſt. Exempto lapillo profluit urina &c. ſimilis caſus ibidem in ſcholio ex Amato Luſitano allegatur. Calculum inſtar calicis dactyli ſexagenario cuidam viro citra inciſionem, non quidem abſque dolore, ſed ſine mortis periculo, e virga eduxit Guilhelmus Fabricius Hildanus, cujus vid. *Tract. de Lithotom. Veſic. Cap. 26. pag. 179.* De calculo tres fere drachmas ponderante & in meatu urinario juvenis cujusdam hærente eumque obſtruente, qui tamen poſt balneum, relaxato urinario ad colis usque orificium ab urina protruſus volſellæ dentibus arripi atque ſic citra urethræ inciſionem citraque ſpecilli operam eximi potuit, vid. Joh. Scultet. *Armament. Chirurg. Part. II. Obſerv. 66. p. 92. ſeq.* Civis quidam Ratisbonenſis pene ſexagenarius nephriticis doloribus ſæpius infeſtatus tandem aliquando calculum in urethra cum iſchuria & membri genitalis dolore & tumore ſentiebat, chirurgus autem accerſitus totum membrum externe oleis emollientibus & diſcutientibus tepide ac perſæpe illinens, injectoque oleo tepido

 amygda-

amygdalarum dulcium lubricata via, calculum digitis blande balanum verſus deducens, terebra, quali ſphærulæ ſclopetariæ e vulnere trahuntur, balano inſerta, calculum oblongum, rotundum, aſperum, nuclei dactylorum figura & magnitudine, ſine omni læſione ulteriore exemit, & infuſo poſtea tepide, pro diluendo exaſperatum forſan meatum, lacte vaccino æger liberatus evaſit. vid. Joh. Helwig. *Obſ. 134. pag. 366.* Ex priapo pueri tredecennis calculum tricuſpidem ex veſica eo prolapſum, glandique pertinaciter infixum citra hæmorrhagiam qualemcumque ſe extraxiſſe ad Joh. Conr. Beierum perſcripſit Johannes Jacobus Harderus *Exercitat. 20. p. 114.* In Viri cujusdam ſeptuagenarii ea urethræ parte, ubi glans incipit, calculus ultra annum fere ſubſtiterat, urinæ excretionem non parum impediens, ſed ſummos etiam dolores in hac parte excitans; quod ipſe tamen nulli homini detexit, ſed ſubula arrepta tam diu calculum movit, donec hanc ſedem reliquit & in lucem prodiit. Elapſis autem aliquot menſibus eundem locum novus occupavit calculus, quem ob plenariam urinæ obſtructionem accerſitus chirurgus ſtylo curvo & obtuſo extraxit, juxta Viti Riedlin. *Linear. med. Ann. 1699 Menſ. Maj. Lin. 3. p. 444.*

§. 9.

Per Turundam

Scriniario cuidam Berolinenſi, quadraginta quinque annorum, qui per octennium fere calculos in urethra geſtarat, ſectionem autem, a chirurgo ipſi ſuaſam reſpuebat; Huic Guſtavus Caſimirus Gahrliep ſectionem diſſuaſit, ac turundam exiguam juſſit parare, e radice Gentianæ, pollicem transverſum longam, altera extremitate tenuiorem, altera craſſiorem, in medio, craſſitie glandis penis orificii capacitati reſpondentem, illamque oleo amygdalarum delubutam, mediam ad ſupereminentem, ut, ſi res ita exigeret, eximi rurſus pro lubitu poſſit, alteram

teram partem orificio illi ingerere, ac per noctem illic relinquere. Quæ ſi turgeſcendo orificium illud nondum pro exitu calculorum ſatis ampliaverit, mane aliam paulo craſſiorem & ampliato orificio parem, eadem lege inderet; ſic fore, ut ampliatum ſatis orificium calculis ſponte cum urina exitum ſit conceſſurum. Paret ægrotans & effectus intentioni medici & illius voto reſpondet. Perendie enim reverſus, prima quidem vice nondum ſucceſſiſſe, poſtridie vero urinam urgentem calculos una cum obturaculo ſecundo feliciſſime excuſſiſſe, ſeque nunc ab illis tortoribus, DEi gratia, plene liberatum, retulit. Quorum tamen duos tantum, piſum majuſculum circiter, aut ſemen lupinorum alborum æquantes, in matula inventos, non exacte rotundos, ſed planiformes medico ſuo monſtravit. vid. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſerv. 45. pag. 67.* Plura exempla vid. ſupra *Cap. II. §. 43.*

§. 10.

Alium modum calculi ex urethra eximendi ex Alpino recenſet Johannes van Horne *Microtechn. §. 21. p. m. 457.* nimirum per inflationem colis per oris ſpiritum, conſtricta ea colis parte, quæ ventrem ſpectat, ſic enim dilatata urethra tranſitum calculo permittit, qui modus, quanquam cum ſucceſſu adhibeatur in exiguis, tamen in majoribus non convenit, neque enim (quod tamen perperam ſtatuit Alpinus) dilatatur perinde colis meatus in viro, ac uteri os in mulieribus. Spiritus inflati ope inſignem e viri cujusdam urethra calculum, dactyli nucleum maximum adæquantem, eduxiſſe Matthæum Gottofredum Burmannum, ex ipſius Chirurgia refert Johannes Guilielmus Pauli *Annot. in hunc Hornii locum p. 458.* *Per inflationem penis*

§. 11.

Nonnulli autores etiam ad calculi in virili urethra hærentis, ſine glandis inciſione, peragendam extractionem, *Per Suctionem*

nem,

nem, cum Proſpero Alpino ſuctionem commendant; Inquit enim Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. III. cap. 8. de modo eximendi calculum ex urethra, pag. 202.* Calculum, quem mulier, ob brevius veſicæ collum facile, illum excernitmas, propter longiorem colem difficillime. Sed ſi contigerit, lapidem aliquem tam firmiter urethræ inhærere, ut intercludat urinæ tranſitum, confugiunt ilico Medici ad triplex remediorum genus, ſcalpellum, uncum vel ſuctum; eorumque ope educuntur nonnunquam ex anguſta hac fiſtula calculi, ut magni, ſic interdum maxime obluctantes: ſed ſuctus cæteris plurimum præpollet, utpote tutiſſime elicens calculos etiam aſperrimos, cum a ſectione relinquatur plerumque inæqualis cicatrix, & uncus non parum exaſperet glabram urethræ tunicam. Quæ tamen ſuctio, niſi calculus in anteriore virgæ parte hæreat, Guilhelmo Fabricio, Hildano, ſuſpecta eſt, qui *Tract. de Lithotom. Veſic. Cap. 26. pag. 183.* inquit: Lithotomi quidam miniſtrum aut alium quempiam conſtituere ſolent, qui membrum virile ſugat aut mulgeat, eaque ratione calculum extrahere tentet. Præterquam autem quod ſuctione iſte meatus urinarius dilatari nequit, ſed potius contrahitur, calculusque magis ac magis, niſi in anteriore virgæ parte contineatur, includitur. Illud inſuper incommodum ſequitur, quod nimirum ſuctione iſta magna humorum ac ſanguinis copia ad virgam quaſi vi attrahatur, malumque deterius reddatur. Inquit etiam Johannes Bohnius *de Offic. Medic. dupl. Part. I. Cap. 22. p. 497.* ſi in antica parte ſeu prope glandem immoretur calculus, ſuctum hunc minime locum habere aut alicujus efficaciæ deprehendi. Licet autem hæc Hildani cenſura non ſit abſurda, non tamen ſemper fruſtraneam hanc ſuctionem annotarunt Autores. Inquit enim Ludovicus Duretus *Schol. in Jac. Holler. de Morb. intern. Lib. 1. cap. 46. pag. m. 143.* ſe vidiſſe

diſſe mulierem, quæ inunctionibus & ſuctu penis multos liberaverit. Et Johannes Muys *Prax. Medic. Chirurg. ration. Dec. III. Obſ. 7. pag. 125. ſeq.* hanc Obſervationem de lapillo in meatu urinario contento recenſet: Puerulus quinque annorum ſubito de ſummo penis conquerebatur dolore, ac urinam reddere nequibat. Ego accerſitus, prout judicavi, per ferrum exploratorium tetigi lapillum grani piperis magnitudinem habentem, ſed aſperum magis, in meatu urinario contentum, qui vehementem hunc intulit dolorem ac urinæ egreſſum impedivit. Inſtrumenta idonea a multis autoribus in tali caſu commendata jamjam revocata fuerant, ſed incaſſum. Ideo poſt propinatam potionem antinephriticam ipſius matri dixi, ut os ſuum filioli peni applicaret, ac ſugeret aliquandiu, quantum poſſet, atque hoc pacto lapillus brevi eliciebatur foras usque ad urethræ extremitatem, unde tunc forcipe facile extrahebatur, ſicque puerulus ille cito, tuto & jucunde a dolorifico hoc affectu liberatus eſt. Sic etiam Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſic. Cent. II. Hiſt. 39. pag. 208.* annotavit Obſervationem de calculo in urethra ſuctione prolicito. Pannifex ſcilicet Gorlicenſis quadraginta circiter annorum per pluſculum temporis calculoſa diſpoſitione afflictus tandem uſu pellentium, quæ copioſe ingeſſerat, animadvertit calculum ſede ſua emotum occupare nunc urethram, hincque præter cruciatus atrociſſimos urinæ tranſitum prohibere. In quibus anguſtiis conſtitutus æger, cum nec medicamenta amplius officium facere vellant, nec alia adminicula quicquam conferre, ἀπὸ μηχανῆς quaſi affulſit medicaſtra quædam, conſilio ſuo facilis & prompta, quæ propinata interne aqua pomorum Borsdorfianorum deſtillata, membrum ægrotantis virile ori admovit, & ſuctione fortiſſima, inter continuationem facta, calculum prodire foras fecit, ægro hinc opportuno

hoc ſtratagemate a tormentis illis integre liberato. De hac methodo ita ſcribit Jean Baptiſte Verduc *des Operations de Chirurgie Cap. 10. p.m.31.* Si la pierre eſt plus avant dans l'uretre, & qu'elle ſoit petite, on peut ſe ſervir de la methode, dont parle Proſper Alpinus dans ſa Medicine des Egyptiens; c'eſt de faire une ligature a la racine de la verge au deſſous de la pierre, ou de la tenir ſujette; on ſouffle dans l'uretre pour le dilater, & en ſuite avec des doigts on tâche de faire ſortir la pierre, en la pouſſant peu á peu; que ſi pierre eſt petite, elle ſortira aiſement; mais ſi elle ſe trouve un peu groſſe, il eſt impoſſible, qu'elle puiſſe ſortir, parceque l'uretre ne ſçauroit ſe dilater aſſez. Il eſt bon de remarquer, qu'on ne doit ſe ſervir de ce moyen, que pour les enfans; car dans les adultes l'uretre à cauſe de ſa dureté, ne peut pas ſe dilater autant qu'il le faudroit. Le même Proſper Alpinus dit encore, que l'on peut faire venir la pierre dans les enfans en ſuçant, ce qui réüſſit aſſez ſouvent: Toute fois Hildanus n'approuvant pas cette methode, a blâme ſans raiſon, à cauſe, dit il, qu'en ſucçant l'uretre ſe retrecit plûtôt, que de ſe dilater, ce qui doit arrêter la pierre; mais il ſe trompe, puisqu'au contraire c'eſt le poids del'air, qui comprime la verge, & qui chaſſe la pierre hors de l'uretre, bien loin de l'arrêter: & le Docteur Muys, celebre Practicien d'Hollande conſeilla fort à propos de faire la même choſe pour un enfant de cinq ans. Il dit à la mere d'appliquer ſa bouches pluſieurs fois à la verge de ſon enfant, & de ſuccer fortement; cequi fit venir la pierre à l'extremité de l'uretre, laquelle il tira aprés facilement avec de petites pinces.

§. 12.

Per emollientia Sæpe etiam pro calculis urethræ, imprimis vero ejusdem radici inhærentibus, expellendis epithemata & cataplaſ-

cataplaſmata, ex ſpeciebus emollientibus & anodynis, externe cum fructu applicantur, uti ante aliquot annos in cive quodam Dresdenſi quinquaginta circiter annorum obſervare mihi licuit. Huic ſcilicet poſt ingentes cruciatus calculus inſignis ex veſica ad penis ſeu urethræ orificium tempore nocturno protruſus ob magnidutinem egredi non poterat, ſed urinam omnimode ſupprimebat. Accerſitus autem chirurgus ſpecillo calculum incaute ad usque veſicæ ſphincterem retrudit, unde diſrupta venula quadam ſangvis ſatis largiter, nulla autem urina profluit. Vocatus autem ego hora tertia matutina circa radicem penis in pube magnum tumorem offendebam ſtatimque ſperma ceti in oleo amygdalarum dulcium in larga doſi propinabam, illudque oleum ſine ſpermate ceti frequenter in urethram ſyringa injici, cataplaſmata autem ex dictis ſpeciebus ſæpius applicari curabam. Quibus per tempus continuatis ex improviſo dictus vir ſellam cacatoriam petens vixque ipſi inſidens magno cum dolore circa urethræ orificium, ingentem calculum, ad ſellam ligneam cum ſonitu allidentem, magna inſuper ſubſequente urinæ quantitate cum gaudio excernebat. Calculus autem ab illiſu in tres partes diffractus, poſt earum compoſitionem articulum primum minimi digiti longitudine & craſſitie æquabat. *Obſervatio*

§. 13.

Calculi etiam interdum ſpecillo ſeu inſtrumento quodam cujus extremitas eſt inſtar cochlearis, ex urethra extrahuntur. Inquit enim Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de Chirurg. Operat. fol. m. 268.* Ego ita foras traho lapidem, qui in urinario canali hæret; ſumo ſpecillum quod in cochlearis ſimilitudinem excavatum in extremo ſit, ut auricularis ſculper, quod in canalem demitto, ita ut lapillum prætereat ac ſuperet, ipſumque *Per Specillum*

quadantenus ſuo labro & cavo comprehendat; tum ad me traho, ita enim deducitur ſenſim foras lapillus, tum ipſum digito comprimendo, tum ſpecillo cavo trahendo. vid. etiam Joh. Scultet. *Armam. Chir. Part. I. Tab. 17. n. 5. p. 26.* & Dan. Sennert. *Inſtitut. Lib. V. Part. I. Sect. 2. cap. 13. p. 1061.* Tali ſpecillo auriculari, auriſcalpium majus repræſentante, calculum phaſeolatum, ex urethra extraxit Melchior Friebe v. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 61. p. 107.*

§. 14.

Calculi Diffractio. Interdum calculi magni in urethra hærentes a chirurgis vel lithotomis diffringuntur variis inſtrumentis, & quidem vel terebris parvis, acutis & torculatis, quales ad comminuendos & deterendos in urethra calculos depingit Ambroſius Paræus *Lib. XVI. cap. 39. fol. 368.* & Guilhelmus Fabricius, Hildanus, *de Lithotom. Veſic. cap. 26. p. m. 183. ſeq.* qui dictas terebras, minime e chalibe, ſed tenui ferro fabricatas eſſe oportere admonet, ne ſcilicet facile frangantur. Ne etiam ab his terebris meatus urinarius lædatur, in cannula quadam, ibidem pariter delineata, eædem urethræ immitti & ad calculum usque intromitti debent, quo lapis eo ſecurius terebrando confringatur atque cum urina fruſtillatim ejiciatur. Hæc tamen calculi per terebram facta diffractio Marco Aurelio Severino *de Efficac. Medicin. ſeu Chirurg. Part. II. cap. 135. fol. m. 131.* ideo diſplicet, quod calculus terebræ ope præ duritie diſſultans urethram graviter allidendo pungere poſſit. Vel frangitur etiam urethræ calculus forcipibus, quale exemplum refert Carolus Joſephus Müllerus *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 162. pag. 326.* Virum, inquiens, religioſum noſco, doctrina & oeconomiæ peritia inſignem, qui podagricis, chiragricis & calculoſis doloribus nephriticis alternatim afficiebatur. Ante aliquot autem annos inter-

nis

nis & externis remediis convenientibus adhibitis, calculus in urethram usque propulſus eſt. Qui cum ibidem hæreret, nec aliter auferri poſſet, rumpendus fuit forcipe peculiari & ex anguſtiis eximendus.

§. 15.

Calculi contritio in virga. De lapide in virga impacto manibusque ex deſperatione contrito ſequentem Obſervationem refert Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 77. fol. m. 59.* Laboraverat octo continuis diebus urinæ omnimoda retentione Vir quidam ſatis robuſtus & fortis, ita ut hoc malo perterritus de ſalute & vita jam deſperaret ipſe; cumque plurima pro excernendo lapide ejusque comminutione a Medicis exequerentur auxilia, quorum vi, cum ad virgæ extremitatem lapis eſſet protruſus ibique tenaciter adhæreſcens, nulla vi, aut medicamentorum ope educi poſſet, nec ad ſciſſuram, ob metum, annueret æger, quam nos ſalutarem & proficuam fuiſſe multis illique utiliſſimam futuram prædiximus, ille pudendum, ob lapidis molem, tumidum valde, ſupra ligneam tabulam in ſcamno ſedens imponit, & indignabundus, aut potius, ex vigiliis & dolore veluti amens, vehementiſſimo pugno concuſſit & lapidem comminuit, cujus fruſtula pauca cum urinæ copia illico excreta, illum a mortis faucibus liberarunt.

§. 16.

Penis Inciſio Quodſi vero calculi in urethra hærentes tanti fuerint, ut neque medicamentis expelli, nec digitis aut alio hactenus recenſito modo exprimi, emungi, exſugi, nec tenaculis & terebris diffringi & extrahi poſſint, tunc demum in pene inciſio tentanda erit. Vel juxta verba Johannis Baptiſtæ Verduccii *des Operations de Chirurgie Cap. 10. p. m. 31.* d'abord on doit tâcher de tirer la pierre par les voyes les plus douces, ayant que d'en venir à l'inciſion. Si la pierre eſt petite & qu'elle ſe preſente au bout du gland, il le

faut preſſer pour tâcher de la faire ſortir; ſi elle ne ſort pas en preſſant, on ſe ſert d'une petite curette pour la tirer; mais ſi ou la ſent un peu groſſe, on peut aggrandir l'ouverture du gland par une petite inciſion, qui en facilitera la ſortie.

§. 17.

Eſt Duplex Pro majoris autem calculi ex marium urethra extractione duplex fit penis inciſio ſeu læſio; vel enim tantummodo pauliſper inciditur, vel parva inciſione ampliatur foramen glandis, vel ipſe penis cum urethra ita inciditur, ut quandoque calculus major per eandem aperturam eximi vel extrahi queat. e. g. Anno 1639 quatriduanam urinæ retentionem cauſarat calculus piſum magnitudine ſuperans, in extremitate balani exiſtens viſuique obvius, qui tamen, niſi via per inciſionem glandis penis, patentiore facta, extrahi non poterat, juxta Obſervationem Laurentii Bauſchii *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 5. p. 14.* Henricus ab Heer vidit in Spa ſenem Illuſtrem & in ampliſſima eccleſiaſtica dignitate conſtitutum, cui cum calculus colem ingreſſus nulla arte eximi poſſet, glans ad pollicis latitudinem ſecari debuit, ut calculus educeretur. vid. ejusdem *Obſ. med. 7. p. 83.* In Sereniſſima quadam perſona calculus pone glandem hærebat cum urinæ ſuppreſſione, qui neque ſponte neque forcipe apprehenſus anguſtias eas eluctari poterat, unde nullum reſtabat remedium, quam dictam urethram in principio glandis usque ad lapidem inciſione facta ampliare ſicque calculo viam facere. vid. Ido Wolff. *Obſ. Chir. med. Lib. I. Obſ. 48. p. 156. ſq.* Et juxta Lazar. River. *Obſ. med. Cent. IV. Obſ. 14. p. 9.* Illuſtriſſimi cujusdam Viri calculus olivam referens tanta difficultate per virgæ canalem ferebatur, ut intra quindecim tantum horas a veſicæ orificio ad balani radicem pervenerit, ubi meatum anguſtiorem inveniens nullo modo eum pervadere

dere potuit, atque adeo neceſſum fuerit balani inciſione illum extrahere. Sequentem Obſervationem refert Johannes Matthias Müllerus *Ephemer. Acad. N. C. Cent. V. Obſ. 53. pag. 80.* inquiens: Frater meus natu minimus Anno 1695 ſeptem annorum tunc puer ſubito intenſiſſimos paſſus eſt lumborum dolores, ita ut ad terram incurvatus ejulansque inceſſerit atque repſerit, inde ad ureteris ſiniſtri, poſtea ad hujus in veſicam inſertionis regionem, & tandem ad urethram tranſiit ex calculo dolor, inque hujus orificio ſubſtitit, ac calculi particula tactui ut & viſui ſeſe obtulit, nec tamen per medicamenta promoveri potuit; unde ſuaſu Medici urethra in glande inciſione parum fuit dilatata, inſtrumentoque idoneo calculus ad fabæ minoris magnitudinem extractus, quo facto urinæ via iterum aperta frater ſanitati reſtitutus eſt. De lapide in fine virgæ impacto, & glandis inciſione extracto Obſervationem refert Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib. II. Obſ. 75.* cum ſcilicet in nephritico quodam balnei emollientis vi lapis ex renibus ad præputii extremitatem expulſus ibi tenaciter impingeretur, novem diebus urina ſuppreſſa male habuit. Et cum ingraveſceret malum, ſectionis dolorem pati maluit ægrotans; quæ ſectio a perito chirurgo inferne facta celebrabatur, & lapis volſella extrahebatur. Ibidem etiam dictus Autor *Obſ. 76.* exemplum viri a lapide in virga impacto mortui recenſet; Chirurgus peritus impacto in medio virgæ lapide quindecim diebus habuit urinam ſuppreſſam, quæ nullis unquam auxiliis effluere potuit. Poſt mortem ſecto pudendo inventus eſt lapis magnus, rotundus, duriſſimus, rubri coloris, aculeis undique in orbem conſtans, pondere granorum quadraginta quidem, qui larga prius ſequuta hæmorrhagia, hominem jugulavit. Calculos duos in ſartoris cujusdam medio penis corpore ultra quatuor annos hæ-

rentes

rentes & usque eo accreſcentes, ut non operi ſolum conjugali impedimento eſſent, ſed urethram quoque premendo vehementer anguſtarent, demumque, paſſeris ovi magnitudinem adæquantes, carnique accretis ſectione eximi neceſſe haberent, obſervavit Johannes Conradus Beckerus *de Submenſor. Mort. ſine pot. aqua p.95.* Calculi veſicæ e virga exſecti exemplum, vid. Felic. Plater. *Obſerv. Lib. III. p. m. 894.* Filiolo cuidam calculum in penis meatum expulſum atque urinam totaliter obſtruentem chirurgus in latere, loco ubi calculus ſubſiſtebat, urethram ſectione aperuit, atque calculum extraxit. v. Isbr. de Diemerbr. *Obſ. 73. Oper. fol. 94.*

§. 18.

Exciſio *Exempla* Calculorum etiam ex ipſa urethra & mentula virili extractorum exempla varia hinc inde ab autoribus annotata leguntur. Puer enim Hafnienſis, annorum circiter ſex, contracta a parentibus ſuperſtitibus inviſa hæreditate, calculo miſere tortus fuit, veſicam dilaniante. Tandem robore naturæ protruſus ille in urethra ſubſtitit, nec præ magnitudine anguſtum canalem tranſire valens & dolorem incredibilem & urinæ ſuppreſſionem induxit. Miſere periiſſet miſer, niſi chirurgus Nicolaus Bojus ſectione virgæ ſeu urethræ viam aperuiſſet extracto calculo nucis magnitudine, quem ſibi aliisque monſtraſſe dicit Thomas Bartholinus *Act. Med. Hafnienſ. Vol. IV. Part. I. Obſ. 83. p. 193.* Mercator quidam Monſpelienſis filiolum habens quatuor annos natum, iſchuria laborantem, medicos advocavit, qui cauſam morbi in veſica recumbere augurati ſunt ex eo, quod puerulus nullum in lumborum regione dolorem perſentiſceret, perpetuum adeſſet urinam excernendi deſiderium, tumorque circa veſicam appareret; ab aliis autem dubitatum eſt, utrum urethra a calculo, an materia craſſa & viſcida occluderetur, quare omnes in ea fuerunt

ſententia

ſententia, catheterem craſtino die in veſicam eſſe immittendum. Interim vero calculus ad mediam usque urethram protruſus fuit. Rurſus ergo accerſiti medici occupatam a lapillo videntes urethram, nec eam ullo e pacto ipſo liberari poſſe, ſive lapillum per balanum educendo, ſive eum in veſicam repellendo, urinæ ductum aperiri juſſerunt ſub calculo; quod feliciſſime ceſſit, eductusque fuit lapillus nuclei pinei craſſitie; vulnusque deinceps curatum, & perfecte conſolidatum fuit, teſte Johanne Dolæo, *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 130. p. 241.* In Nobili quodam viro quadraginta quinque annorum poſt diuturnos dolores vi naturæ protruſus eſt lapis in veſicam, deinde in mentulam, cujus in extremo reſtitit, præ magnitudine non valens pertranſire, quousque facta inciſione chirurgi manu extraheretur, annotante Nicolao Chesneau *Obſerv. Lib. III. cap. 9. Obſ. 4. p. 343.* Inquit etiam Johannes Laurentius Bauſchius *in Schediaſm. de Lapid. Hæmat. Proœm. p. 41.* feliciter ſæpius coles vel urethra, quando in ea calculus, urinam penitus ſupprimens, firmiter hæret, inciſus fuit, & calculus exemptus, vel inflexione penis expreſſus. Vidit Dn. Fehr Virum Magnificum ſupra ſexagenarium, cui acidulæ Schwalbacenſes calculum in radicem virgæ propulerunt, ſuppreſſaque omnimodo urina epileptici motus imminebant; exſectus eſt iſte, vel a ſectione potius expreſſus calculus, poſt breve ſpatium vulnus iterum coaluit. Filio Rectoris Campenſis ſuccreverant ab ineunte ætate, in medio urethræ ductu, plurimi calculi, qui illum paulatim diſtenderunt, ad inſtar pugni puerilis, adeo ut ſinguli diſtincte manu palparentur; illato tamen ne minimo quidem impedimento urinæ exituræ. Quem tumorem ſexto demum ætatis anno ablaturus chirurgus aperuit ſcalpello colem, prope lineam intermediam, in muſculis urethræ dilatationi dicatis, eductisque inde quin-

que & viginti calculis, inſtar maximorum piſorum, perduxit vulnus ad cicatricem, puerumque ad priſtinam ſanitatem, ante diem ſextum, annotante Nicolao Tulpio *Obſ. med. Lib. IV. cap. 34. p. 348. ſeq.* Eandem Obſervationem refert etiam Henricus van Roonhuyſen *Part. I. Obſerv. 27. p. 119. ſeq.* In coriarii cujusdam pene circa radicem firmiſſime intruſus calculus omnem urinæ excretionem impediebat, quapropter ipſius uxor duos non imperitos vocavit chirurgos, qui nullo modo calculum extrahi poſſe videntes ſectionem ita inſtituerunt ut, altero penem ſupra calculum digitis tenente, alter in inferiore ejusdem ſupra calculum, prope ſcrotum, evitatis, quantum fieri poterat, venis & arteriis, levem inciſionem fecerit; qua vix peracta, calculus ſponte exiliit, unaque haud parva urinæ copia; vulnusque rite deligatum paulo poſt feliciter ſanatum fuit, referente Vito Riedlino *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 127. pag. 218. ſeq.* Secundum Thomæ Bartholini *Hiſtor. anatom. Cent. V. Hiſt. 3. p. 6.* in Inſula Maris Balthici Borringholmo Anno 1657 viro cuidam calculoſo chirurgus; qui, pertentato ipſius abdomine digitis, circa urethræ initium tumorem durum deprehenderat, adeſſe ibidem calculum ingentem prædixit. Diureticis & lithontripticis exhibitis tandem erupit calculus nucis juglandis magnitudine, unciam pendens, per urethræ latus prope exortum, quod impetu calculi miſere fuit ruptum. Adoleſcens quidam octodecim annorum, ab ipſis fere incunabulis tumore circa penis radicem duro, dolorifico, creſcentibusque annis ibidem creſcente laboraverat. Continebat quippe calculum, qui progreſſu temporis ab affluente ſemper materia auctus, eam tandem ante menſes aliquot nactus eſt magnitudinem, quæ ad omnimodam urethræ obſtructionem ſufficiebat. Secuta eſt inde dolorifica eaque difficilis urinæ excretio, egrediente ſolum urina per

fora-

foramen ſinuoſum in ipſa calculi medietate excavatum. Tandem poſt urinæ ſuppreſſionem facta, in Noſocomio Lugdunenſi, ſubtus in pene circa radicem oblonga inciſione, ſcrotum quoque ex parte attingente calculum oblongum, ſinuoſe pervium, ovi columbini magnitudinem pollicisque craſſitiem longe ſuperantem, & unciæ mediæ pondus æquantem, calloſaque membrana undique cinctum, chirurgus nomine Poulet feliciter extraxit, & quidem cum ſpe citæ ſanationis, uti Georgius Segerus ad Th. Bartholinum perſcripſit, v. Bartholin. *Epiſtol. med. Cent.IV.Epiſt.5.p.19.21.ſeq.* Et Henning. Kleinſchmied Barbitonſor Hoxarienſis, vocatus aliquando ad Judæum calculis veſicæ miſerrime excruciatum; ſiquidem domeſticis remediis in penem usque protruſi tenaciſſime adhærebant cum exigua ſpe ſalutis, eo ſaltem in loco. Vocatus ille, toto pene ad ſcrotum usque aperto & diſſecto novacula, omnes exemit lapillos manibus ſuis vulnusque ex voto conglutinavit, diu adhuc ſuperſtite Hebræo. v. *M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. 18.* E juvenis cujusdam pene Chemnicii chirurgum, nomine Theophilum Voigt, calculum exſecuiſſe, ſcribit Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 79. pag. 1113.* Depingit etiam Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſervat. 61. p. 136. ſeq.* calculum, quem puer quadriennis peperit obſtetricante cultro chirurgico, qui penem diffidendo viam ei laxiorem reddidit. Seni cuidam ſexaginta octo annorum veſicæ calculo laboranti, tandemque in omnimodam urinæ ſuppreſſionem devenienti glandem ſecundum longitudinem in parte alta præſcindere fecit, atque inde duos lapillos, avellanæ magnitudine cum emolumento extrahi curavit Amatus Luſitanus, *Curat. med. Cent. I. Curat. 47. fol. m. 78.* De calculo ex pene exſecto Obſervationem recenſet Daniel Wincklerus *M. N. C. Dec. I. An. 6.*

& 7. Obſ. 34. p. 67. ſeq. Nobilis quidam ſexagenarius ſecundis peractis nuptiis villam petens redux in itinere ſummum circa pubem ſentit dolorem, urinam emingens cruentam mox omnimoda urinæ obſtructione laborans. Intumuit genitale in tantum, ut nullus aſinus tanta conſpiciatur mentula. Tandem, fruſtra omnibus applicatis ſectio reſtabat, ſupra duritiem igitur penem ligamus, ne retrocedere poſſit lapis, deinde in ſuperiore parte penem ſcalpello incidimus, mox in conſpectum venit lapis, ſed tam arcte concluſus, ut ne inſtrumento quidem moveri poſſet. Hæmorrhagia magna non erat, ſed mox ſiſtebatur. Comprimimus inferiorem penis partem, in ſuperna cum ſtylo ferreo movemus lapidem, qui proſilit cum ſaltu ſuper lectum, & hinc magna urinæ copia, lapisque quantitatis erat radicis zingiberis. De pueri ſeptennis calculo in urethra hærente atque poſt glandis inciſionem extracto, vid. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. V. Obſ. 53. p. 80. ſq.* ubi varia calculorum ex pene exciſorum exempla a Johanne Matthia Müllero adducuntur. Plura etiam ſupra *Cap. II. §. 43.* recenſuimus.

§. 19.

Alia Exempla

De loco autem & modo calculi e virga exſcindendi adhuc aliquot autorum verba vel loca tantum allegare liceat; de loco inquit Johannes Laurentius Bauſchius *de Lapid. Hæmat. Prooem. pag. 41.* fieri debet ſectio in penis latere, tanquam carnoſiore, non in ſuperna parte, metu hæmorrhagiæ, craſſior enim illic arteria ſubeſt & vena; non in inferna vix enim unquam coaleſceret, quia pars exſangvis eſt, & præterea urina aſſiduo & acri illapſu agglutinationem impediret. Juxta Guilh. Fabric. Hild. *de Lithotom. Veſic. cap. 27. p. 188.* debet chirurgus locum ad inſtituendam inciſionem maxime idoneum eligere. Chirurgi nonnulli inciſionem ſupra ipſum calculum h. e. in inferiore virgæ parte, & in medio urethræ faciunt, quod tamen

tamen non probatur; quoniam enim urethra eo in loco parum carnoſa eſt, ideoque vulnus non facile conſolidatur, ita ut interdum etiam fiſtulæ, ut ipſe obſervavi, ibidem remaneant. Hac de cauſa e regione urethræ & in carnoſa virgæ parte inciſio ſequente modo inſtituenda eſt. Collocato ſupra dorſum ægro, ad dextram ipſius conſtitutus pollice & indice ſiniſtræ manus virgam prehende, ita tamen ut manus tua oſſi pubis incumbat, virgaque ſupra indicem traducta propendeat, ac pollice fortiter verſus ventrem deprimatur, calculus vero ſuperiori indicis parti firmiter incumbat: poſtea inciſionem aliquantulum e regione urethræ ſecundum virgæ longitudinem, donec mucrone novaculæ calculum attigeris, inſtitue. Quodſi tunc calculus non erumpat per ſe, tunc inſtrumentis (ibidem depictis) extrahendus erit. Item Ambroſius Paræus *Lib. 16. cap. 40. fol. 368.* ait, non in ſuperna parte inciſio facienda eſt, hæmorrhagiæ metu, non in inferna, ſed a latere, qua maxime parte renititur tumetque calculus, inciſio molienda eſt; eſt namque pars illa carnoſior &c. Et ſecundum Joann. Sculteti *Armamentar. chirurg. Part. I. Tabul. 40. pag. 90.* in eductione calculi urethræ inſtituitur ſectio ſubtus prope lineam intermediam in muſculis urethræ dilatationi dicatis.

§. 20.

Sequentem modum ita deſcribit Daniel Sennertus *Inſtitut. Lib. V. Part. 1. Sect. 2. cap. 13. pag. m. 1061.* Cutis extrema quam plurimum attrahenda eſt, & glande tecta filo vincienda, ne ante calculum exemptum præputio ſoluto cutis recurrens diviſionem contegat; hinc a latere penis ſuper lapide incidendus & calculus extrahendus eſt. Nonnulli penem verſus veſicam alio adhuc filo vinciunt, ne lapis recurrat, (quod tamen digitorum quoque compreſſione præcaveri poteſt) & facta ſuper lapide inciſione, penem, ut lapis exſiliat, inflectunt. Calculo ex- *Modus*

tracto, ſolutis vinculis cutis reducenda, & medicamenta, quæ cruentis vulneribus competunt, imponenda. Et de lapide ex orificio penis extracto hanc Obſervationem refert Petrus Hadrianus Verduin *Obſerv. Chirurg. 15. pag. 52.* Jacobus Cornelii Filius quinque annorum puer die 11. Januar. Ann. 1660 ad nos delatus lapidem in anteriori penis parte geſtabat. Qui lapis cum adhuc minimæ eſſet molis paulo poſt pueri nativitatem ad illam partem delapſus, pedem fixerat, tantumque incrementum ſumſerat, ut poſtquam eſſet extractus juglandis nucis magnitudinem ſuperaret & drachmas quinque ponderaret. Quapropter convenientibus inſtrumentis facta inciſione, illum extraximus patientemque feliciter ſanavimus, remanente parva quadam apertura, quæ, propter cutis laxitatem, totaliter claudi non potuit. Inquit etiam Jean Baptiſte Verduc *des Operat. de Chirurgie Cap. 10. p. m. 33.* ſi la pierre eſt groſſe, dure & inegale, & qu'elle ſoit loing, de l'extremite de la verge, pour la tirer, il en faut venir à l'inciſion de uretre. On tire la peau du prepuce en haut, on prend la verge entre deux doigts, & l'on fait une inciſion en long au côte de verge & à l'endroit de la pierre, jusqu' à ce qu'elle ſoit découverte, on la preſſe avec les doigts, ou on la tire avec la curette; ou bien en la preſſant ſeulement, elle ſont comme un noyau. La peau, que l'on avoit retirée couvre en deſcendant l'ouverture, & la playe ſe reunit plus facilement. Voyla une remarque de conſequence pour la Pratique; lorsque la pierre eſt groſſe comme on eſt obligé de faire une grande inciſion pour la tirer, il faut mettre dans l'uretre une canule de plomb, pour eviter, que l'uretre ne ſe retreciſſe par la cicatrice, ou par une excroiſſance de chair, qui formeroit une caroncule. Cette canule tiendra l' uretere dans une égale largeur, le quel ſans cette précaution ſeroit fort retrecy; ce qui ſeroit enſvite un obſtacle au ſable & au

pierres,

pierres, qui ne pourroient plus paſſer, qu'avec beaucoup de peine & une tres-grande douleur, & qui peut eſtre ne paſſeroient point du tout, pour peu de groſſeur, que les pierres euſſent. Il faut de temps en temps enduire la canule de quelque medicament deſiccatif, & ne la point ôter que la playe ne ſoit entierement cicatriſée. Secundum Johann. van Horne *Microtechn. §. 16. pag. m. 376.* Calculus in urethra hærens ope parvi cochlearis, facto per ſectionem foramine, ex eadem eſt educendus. Selon la Nouvelle Methode d'Operations de chirurgie *cap. 11. pag. m. 76.* ſouvent une petite pierre ſe gliſſe de la veſſie dans l'uretre, elle empeſche le paſſage, lors qu'elle y eſt arretée; il faut taſcher de la faire ſortir en preſſant la verge avec le mains, ou ſi l'on peut par l'extremite du gland avec une curette. Il n'y a point de danger de faire une petite inciſion au gland, ſi elle ne peut pas ſortir. On prendre la verge entre deux doigts, on fait une inciſion ſur la pierre, à côté du raphé, & l'on preſſe avec les doigts pour la faire ſortir. Il eſt bon de remarquer, qu'il faut avant que de faire l'inciſion, retirer le prepuce en haut a fin que la peau recouvre l'ouverture. Prolixè etiam de calculi urethræ extractione & exciſione agit Dionis *des Operations de Chirurgie Demonſtr. III. p. 162. ſeq.* inquiens: Il eſt tres facile de connoitre l'endroit, où la pierre eſt arretée, le malade le montre luy-même, & pour peu que l'on y touche, l'on ſent une dureté, cauſée par ce corps etranger. Le chirurgien doit d'abord eſſayer avec ſes doigts de la faire couler le long de l'uretre, il eſt aidé à cela par l'urine, qui la pouſſe pour la faire ſortir. Mais lors qu'il ne peut pas la faire avancer, ſans de grandes douleurs, il faut qu'avec une bandellette il lie la verge au deſſus de la pierre du côte du penil, & que dans le reſte du canal

de

de la verge il injecte de l' huile d' olive avec une petite ſeringue. La ligature empeche, que l' injection ne repouſſe la pierre, & qu'elle ne retourne ſur ſes pas. Le chirurgien eſſaye derechef de faire avancer la pierre en dehors, ce qui ſ'execute avec bien moins de douleur le canal ayant été huilé: ſ'il voit, qu'elle ne puiſſe pas ſortir, ſans un plus grand ſecours, il prend une petite curete longue de quattre ou cinq pouces, qu'il trempe dans l'huile pour la fourrer dans la verge, & en pouſſer le bout à côté & au delà de la pierre, & par ce moyen la tirer au dehors. Cet expedient reuſſit ſouvent; mais ſ'il lui manque, il faut qu'il en vienne à l'operation, ſans retarder un moment. Le chirurgien ôtera la premiere ligature pour tirer la peau, qui couvre cette partie, le plus qu'il pourra, vers la racine de la verge; & il permettra enſuite la même ligature au deſſus de la pierre; puis tournant de la main gauche la verge, à finque l'uretre ſoit en haut, & tenant la pierre aſſujettie entre deux doigts, il fait avec un petit ſcalpel une inciſion ſur le corps de la pierre, coupant les tegmens & l'uretre ſuivant la longueur de la partie; en ſuite il prend une petite couretre enmanchée, faite en forme de cure-oreille, qu'il coule ſous la pierre, qu'il fait ſortir auſſitôt, par ce moyen. La pierre étant tirée, l'on ôte la ligature, & la peau revenant dans ſa place ordinaire, bouche la playe, que l'on a faite à l'uretre; C'eſt la raiſon pourquoy avant l'operation on tire la peau, âfinque les plenes de la peau & de l'uretre ne ſe trouvent plus-vis-à-vis, l'une de l'autre, &c. vid. etiam Frider. de Leauſon *Methode brieve des Operat. en chirurg. Part. II. cap. 7. de la maniere d'extraire les petites pierres du conduit de l'urine p. m. 98. ſeq.* Franc. Tolet *de Lithotom. cap. 10. p. m. Edit. Germ. 62.* le Clerc *dans la chirurgie complette p. m. 303. ſeq.*

§. 21.

§. 21.

Porro ex ipſa quoque veſica calculos vel cum, vel ſine dolore ejici, paulo ante, tam de maribus, quam in fœminis, variis probavimus exemplis, quibus adhuc binas a me obſervatas Hiſtorias ex Urologia noſtra annectere liceat. Ante triginta circiter annos Piſtoris cujusdam, vicini mei vidua, ſexaginta aliquot annorum, per longum temporis ſpatium ingentem ſabuli copiam, quandoque etiam calculos non parvos absque magno dolore excernebat. Tandem ex improviſo variis ſymptomatibus atque diriſſimis cruciatibus, integram ſeptimanam ſcilicet a die veneris usque ad eamdem ſequentis hebdomadis diem, absque intermiſſione durantibus magnum calculum ſucceſſive ex ſiniſtro rene verſus veſicam deſcendere ſentiebat, quo die in momento quaſi ab omni cruciatu liberata maximas Deo agebat gratias. Subſequente autem die Dominica circa veſperam dictus dolor majori cum furore recrudeſcebat, dum calculus veſicæ orificium ingreſſus illudque penitus obſtruens præter urinæ ſuppreſſionem longe majores, quam partus dolores, quos durante matrimonio undecies experta fuerat; excitabat; adeo ut nullibi locorum, neque in lecto neque extra eundem, neque ſupra, nec infra menſam vel ſcamnum per momentum quieſcere poſſet; unde etiam dicta calculoſa die lunæ ante meridiem, me abſente a lithotomo quodam noſtrate, Oerthelio, calculi exſectionem vel extractionem obnixe popoſceret, quod tamen petitum hic Operator absque meo præſcitu atque conſenſu recuſarat. Hæc ego ubi circa meridiem ad eandem rediens reſciſcerem, eandem ulterius ad patientiam adhortabar demonſtrans, hanc viam, cui calculus jamjam infixus hæreret ſatis brevem multoque ampliorem eſſe, quam ureteres, per quos calculus, præcedenti ſeptimana tranſierat, ideoque etiam

Calculi ex veſica ejectio

Obſervatio

ab eodem ſufficienter dilatari poſſe; quo meo ſuaſu Operationem Lithotomi dicti in alterum diem gemebunda differebat. Sequenti autem die, poſt largum Malvatici Juniperini, a me transmiſſi, hauſtum, calculum, facie & magnitudine glandem quernam referentem, inter mille ſuſpiria per Dei gratiam maximo niſu ejiciebat, remanente tamen aliquali urinæ incontinentia. Deinde etiam vinitoris cujusdam, Martini Schumanni, pagi non procul abhinc diſſiti, nomine Spaar, incolæ uxor per tres integros annos varia calculi ſymptomata, vomitus, ſpaſmos maximosque dolores perpeſſa, tandem poſt varia fruſtra aſſumta medicamenta, tam domeſtica, quam alia, poſt aliquot doſes ſpiritus e putaminibus ovorum a me exhibitas, calculum pyriformem fere, undecim & dimidiæ drachmarum ponderis, & quidem, quod maxime mirandum, absque ſphincteris veſicæ dilaceratione aut involuntaria urinæ excretione, Anno 1710 die 5 Februar. expellebat ſequentis figuræ.

Alia Obſervatio.



CAP.

CAPUT XII.

De Lithotomia.

§. 1.

Deinde etiam calculi e veſica extrahuntur, & quidem tam ſine, quam cum ipſius inciſione. Sine inciſione extracti e veſica calculi exemplum refert Eberhardus Gockelius *Gallicin. medic. practic. conſil. 90. pag. 275. ſeq.* Scilicet Anno 1689 menſe Septembri, Johannis Jacobi Würmſii filiola duos cum dimidio annos habens, per quadrans anni ex calculo veſicæ, ejusdem collum ſæpius occludente, urinæque excretionem impediente, ingentes dolores die noctuque torquentes nullique adhibito remedio cedentes ſenſit; cujus curationem duo chirurgi, prævia per ſtylum exploratione ac præſentis calculi deprehenſione ſequenti modo aggreſſi ſunt. Scilicet poſt præparationem corporis, oleo amygdalarum dulcium per ſyphonem in veſicam ad lubricitandam viam prius injecto, ſpeculo veſicæ ejusdem collum (ut inſtrumentis idoneis ad eximendum calculum via pateret) ampliatum, digito indice ac medio in ani cavitatem intruſo calculus verſus veſicæ collum depreſſus, unco exceptore, cochlearis minoris incurvati ac in cavitate aſperi formam habente, apprehenſus & extractus eſt. Similem caſum de calculo prægrandi e veſica fœminæ quinquaginta ſex annorum per dilatationem ſphincteris educto, obſervavit Guſtavus Caſimirus Gahrliep *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſerv. 78. p. 147. ſeq.* nimirum in aulici cujusdam pocillatoris uxoris veſica intra quinquennium coaluit moles lapidea, quinque uncias cum ſemiſſe pendens. A qua ut tandem liberaretur, creſcentibus indies cum mole moleſtiis,

Calculi veſicæ extractio.

In Fœminis Per dilatationem ſphincteris.

inter quas non poſtrema, quod ſingulis vicibus urinam reddituræ calculus in collum uteri cum veſica pugni magnitudine deſcendens, & aliquousque extra vulvam protruſus uteri prolapſum, non ſine inſigni conatu & labore identidem reſtituendum, mentiretur) manui ſe lithotomi, Eslingeri commiſit, qui ſyringa prius explorato calculi ſitu, mox & conductorio inſtrumento in ſphincterem immiſſo, paululum primo, mox magis magisque inſigni dexteritate dilatavit, ut inſtrumento prius modicæ magnitudinis ingeſto, calculum apprehenderet; verum illo non obſecundante, ſed e forcipe rurſus elabente, aliud capacius ac fortius, atque, cum nec illud moli illi educendæ par eſſet, tertium maximum ac valde validum immitteret, ac non ſine admiratione adſtantium, magno niſu tandem educeret. Quo educto, ac veſica & ſphinctere dubio procul valde laceratis, rite deligatis ac ſucceſſu temporis optime curatis, intra triduum, ac poſtea per annum fere integrum, urinam rurſus continere ſatis exacte poteſt. De calculo e muliebri pudendo absque ſectione extracto ſcribit Diomedes Cornarius *Obſerv. medic. cap. 16. pag. m. 31. ſeq.* In virili corpore non aliter, quam per ſectionem eximi poteſt: in mulieribus vero inſtrumenta aliquando ferrea artificialiter extrahitur, quemadmodum hoc ab Hieronymo Stromair Imperatoris Rudolphi II. Phyſico & chirurgo in Nobili matrona Viennæ præſtitum fuit, cui jam grandævæ annum ætatis ſuæ ſexageſimum nonum agenti, absque ſectione calculum ovi gallinæ inſtar exemit, ponderis unciarum duarum & drachmarum duarum. Atque ita citra omne periculum matrona hæc nobilis a calculo liberata fuit. Calculum tres digitos transverſos longum, in apice acuminatum & inſtar digiti virilis craſſum ex fœminæ cujusdam collo ſeu exitu veſicæ volſella ſe extraxiſſe ait Louyſe Bourgeois *im Hebammenbuch Part. I.*

Per Inſtrumenta

cap.

cap. 40. p. m. 158. ſeq. Exemplum calculi ex puellæ duodecim annorum veſica per ſucceſſivam ſphincteris veſicæ dilatationem extracti extat in Richard Loweri *Arzney-Büchl. pag. m. 217.* ubi plura de hac Operatione reperies.

§. 2.

De Ægyptiorum calculum in maribus ſine ſectione extrahendi modo ſequentia ex Proſpero Alpino refert Daniel Sennertus *Inſtitut. Medicin. Lib. V. Part. I. Sect. 2. Sect. 13. p. m. 1060.* Ligneam cannulam accipiunt longitudine octo digitorum, & craſſitie pollicis, quam colis ſive penis canali admovent, fortiter inflant, ac, ne flatus ad interiora perveniat, altera manu extremum pudendi comprimunt & conſtringunt. Foramen deinde cannulæ claudunt, ut virgæ canalis intumeſcat & amplior fiat. Quo facto, miniſter digito in anum poſito lapidem paulatim ad canalem virgæ atque in ejus extremum deducit. Ubi præputio lapidem appropinquare ſentiunt, cannulam a virgæ canali ſubito amovent: atque hoc modo calculum ad olivæ nuclei magnitudinem ab Arabe quodam extractum fuiſſe teſtatus eſt Proſper Alpinus. Ibidem etiam alius adhuc modus Arabis cujusdam extat: Habuit ſcilicet quasdam cannulas, magnitudine inæquales, in modum muſici inſtrumenti, ſyringæ appellati, e ſubſtantia cartilaginea, quæ facile dilatatur, harumque graciliorem primo in virgæ canalem immiſit, quousque ad veſicam pervenit; ac mox ore illum inflavit, quantum potuit; poſt hanc majorem & craſſiorem immiſit eodemque modo inflavit; poſtea tertiam & tandem quartam omnium maximam. Hoc modo cum virgam dilatavit, ut putaret, per viam canalis dilatatam calculum exire poſſe, ægroto recte collocato digitoque in anum immiſſo, calculum ad collum veſicæ, quo majoris cannulæ extremitas pervenit, deduxit, & in canalem calculum detrudere conatus eſt. Quo facto altero

tero cannulæ meatu ore excepto conatus eſt ſpiritum ad ſe trahendo lapidem ſimul extrahere &c. Hos modos etiam Thomas Fienus *Libr. Chirurg. Tract. IX. Cap. 3. pag. m. 67.* ex Alpino recenſet, ubi *Cap. 2.* ait: in mulieribus propter collum veſicæ brevius, & quia in iis facilior eſt manus chirurgicæ per pudenda ejus ad veſicam acceſſus, poteſt aliquando calculus ſine ſectione extrudi, in viris non ita. Saltem ars eum ſic e viris educendi non eſt noſtris Chirurgis Europæ cognita. vid. etiam Stephan. Blancard. *Chirurg. Lib. II. Cap. 21. p. 136.* it. *ejusd. Oper. med. Tom. II. Inſtit. Chir. Cap. 23. p. 380.*

§. 3.

Alium calculi veſicæ absque ſectione per dilatationem extrahendi modum deſcribit Cornelius Solingen *Tract. Manual Operatien der Chirurgie Part. III. Cap. 17. pag. m. 194.* De Wegh van de Blaes, om dat in Vrouwen veel Koorter is, als in de Mans, kan ligter en wyder, als in die, verwydert werden. Erſt met een korter en diker opgerold Perkement, dan met een Spongie, die vaſt en na de lengte van de Krop van de Blaes geſneden, in wit van ey nat gemackten in het matte Perkement gerold, en ſtiif met plat hairsnoer lint gebonden, en alſoo gedroogten glad gemaeckt, en voor rond geſneden, en met Salf beſtreken is. Dan met een diergelycke grooter, dat 's dicker. Daer na tuſſen, de Spongie en Perkement een ſchaft, die wat langer is, als de Spons en Perkement, om het water als door een afdackie te loſen en ſoo tekonnen wagten tot de Spongie en Perkement ter degen doorweeckt en gedilateert is, de ſchaft &c. So vaſt bindende, als van de Urinæ ſuppreſſione, of wederhouding des waters geleert is. Dit is een langſaem, doch weynigh pynelijcke maniere voor kleyne ſteenen. Als nu de waterwegh verwydert is, ſoo brengt men de vingeren in de Vulva, om de Steen voor-

waerts te vœren, en door de Meatus urinarius &c. vid. etiam dicti Solingen Editionem Germanicam *p. 243. ſeq.* Modum Ægyptiorum ita deſcribit Frederic de Leauſon *des Operations en Chirurgie Part. II. Cap. 11. p. 114.* inquiens: Proſper Alpinus dit, que les Medecins de ce pays là ont pluſieurs canules en forme de ſeringues, les unes plus groſſes, que les autres & de la longueur de huit a neuf doigts. Puis il faut prendre la plus petite de ces canules, & l'introduire dans le canal de la verge & ſouffler un peu dans cette canule, à fin de dilater cette partie, & preſſer un peu vers la verge, & vers le periné. Le paſſage eſtant bien dilaté, il faut pouſſer les autres canules juſques à l'entrée de la veſcie, puis il faut mettre deux doigts dans le fondement, à fin de tacher d'approcher la pierre, vers le col de la veſcie & faire en ſorte qu'elle entre la canule s'il eſt poſſible; la pierre éſtant proche de la canule, il faut que l'Operateur attire ſon ſouffle par les canules, de ſorte qu'en attirant le vent a ſoy, ils attirent en meme temps la pierre. Cet Autheur pour confirmation de cette nouvelle Opinion en propoſe les experiences, qu'il en avuës, & la raiſon auſſi, car il dit, que la dilatation de la matrice eſt bien plus eſtrange en l'accouchement, que non pas celle, qu'on procure au conduit de la verge, qui eſt membraneuſe. Cependant je ſouhaiterois d'en avoir veu quelque experience, & par des Maiſtres experts, pour vous l'aſſurer avec plus de verité, car j'eſtime, cette operation, plus belle à repreſenter par le diſcours, qu'à tenir par les effects. vid. etiam Andr. Ottom. Gœlick. *Hiſtor. Chirurg. antiqu. §. 18. p. 12. ſeq.*

§. 4.

Antequam autem ad ipſam veſicæ ſectionem calculique ex eadem extractionem, ſive ad Lithotomiam accedamus, paucis adhuc repetendum videtur, quod nonnulli *Calculi exploratio neceſſaria*

Autores

Autores circa ſigna & certitudinem calculi in veſica admonere ſolent, ſiquidem in maribus talis calculi extractio ſine continui ſolutione ſive inſigni ſectione, plurimis ſæpe periculis & quidem maximam partem mortiferis expoſita fieri nequit. Si proinde nullus in veſica latitaret calculus, tunc talis ſectio cum ægri dolore & periculo fruſtranea eſſet. Hinc ſcribit Guilhelmus Fabricius, Hildanus, *de Lithotom. Veſic. Cap. VIII. pag.* 72. calculum quod attinet, ante omnia, an adſit calculus, explorandum & inquirendum, neque temerarii & audaces quidam Empirici imitandi ſunt, qui levi aliqua calculi ſuſpicione inducti illico & citra ulteriorem inquiſitionem cultrum adhibent, ægrum ſummo quin etiam periculo ſequentes ipſos & artem ludibrio exponunt. Juxta Mich. Bernh. Valentini *Chirurg. Sect. III. cap.7. §.9. p.352.* admonitionem, antequam hæc Operatio fiat, de calculi veſicalis præſentia & æqualitate certus eſſe debet Lithotomus. Et ſecundum verba Johannis Bohnii *de Offic. Medic. duplic. Part. I. Cap. 22. p. 514.* durum & periculoſum valde remedium Lithotomiam veſicæ cum Dureto multi, non ſine ratione, pronunciant, hinc eam non præcipitanter eſſe ſuſcipiendam antequam de calculi præſentia & habitudine, i. e. an mole, ſitu, figura, & nexu talis ſit, qui ſine vitæ diſcrimine evidente eximi queat, conſtet, ac utriusque teſtes omni exceptione majores præſto ſint; ne aut fruſtra torqueatur, aut perimatur, miſer, neve fraudibus ac impoſturis ſuam occultare & incruſtare urgeatur temerarius lithotomus imperitiam. Diſtinguere autem pericula, circa Lithotomiam orientia, convenit in præſentanea & lenta magis, quorum illa ſunt hæmorrhagia, inflammatio veſicæ, convulſiones, (quas in operationibus chirurgicis utplurimum mors ſequitur) & febris; hæc vero utplurimum ſunt urinæ involuntarium profluvium a ſphincteris veſicæ laceratione, fiſtula

fiſtula, & a veſiculis ſeminalibus diſciſſis generandi impotentia.

§. 5.

Propter hæc & alia periculoſa ſymptomata absque dubio antiquitas in hac Operatione adminiſtranda, non ſine ratione formidoloſa extitit, ideoque etiam fortaſſe Hippocrates in ſuo juramento calculi ſectionem medicis rationalibus interdixit, eandem operationem chirurgis, tanquam medicorum ſervis, committendo. Cum vero ab illo Hippocratis ſeculo ad noſtra usque tempora operatio hæc frequentius fuerit exercita, hinc etiam ob meliores acquiſitas enchireſes ab eadem hac noſtra ætate feliciorem curationem experiuntur calculoſi: Utrum vero ratione ſectionis calculi medicus Hippocratis juramento obſtrictus teneatur, ita ſentit Lucas Schrœckius, L. F. *M. N. C. Schol. in Obſervat. 123. Dec. II. An. 3. pag. 256.* Calculum veſicæ per ſectionem educendi labor cum exercitatas requirat manus, non cuivis facile credendum erit, artem hanc, ſolius lucri cauſa, qui profitetur. Quamvis itaque medicus, jurijurando Hippocratico religioſe inhærere qui vult, ipſemet ab operatione iſta obeunda prohibeatur, ut tamen modum lithotomiæ calleat, neceſſe eſt, quo ægrum lithiaſi laborantem a tormentis iſtis vel calculi doloribus liberaturus eo felicius ſanitati reſtituere poſſit, præſentia ſua & conſilio non tantum ſupervenientia ſymptomata emendando, ſed & operatorem hærentem inſtruendo, vel imperite agentem corrigendo. Licet non videam, cur medicus hodie juramento Hippocratico, quod equidem, cæteris paribus, minime culpandum, tam ſtricte alligari debeat, ut non interdum ipſi, ſi artis hujus probe gnarus & peritus exiſtat, liceat, imo proximi amore impellente, incumbat, calculoſo manus admovere, & mediante ſectione medelam adferre, præſertim ſi lithotomi *Hippocratis Juramentum*

abſentia aut imperitia id ſvadeat. Antiquitus vilior equidem creditus habitus fuit labor hic, quem exercere miniſtros tantum deceat, non vero medicos; qualis etiam num vulgo habetur: aſt ſi belli ducem non imperare ſolum, & ordines militum diſponere inque aciem ducere competit, ſed manus interdum etiam cum hoſte conſerere, haud indecorum putatur, idem medico turpe aut indignum haud erit cenſendum, ſi non operariis tantum hisce, muneri huic deſtinatis, imperare & conſilio ſuo adeſſe, ſed etiam quandoque, ubi neceſſitas poſtulat, manus ipſas operi admovere audeat, cæteroquin videri hic meretur explanatio, quam *cap. 17.* Commentarii ſui in jusjur. Hippocr. exhibet Meibomius. Minime etiam Hippocratis interdictum de non ſecando calculo obſtare, quo minus medicis lithotomiæ adminiſtrationem exercere liceat, docet Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. I. cap. 22. pag. 486.* Quæ enim honeſtatis & pietatis momenta in jurejurando hoc continentur, ad ea ſervanda per conſcientiam & religionem obligamur. Calculi autem extractionem, quod Hippocrates eam abjurarit, cur, qui operationis hujus peritus, medicus detrectet, rem honeſtam operariis minus peritis conceſſam, non video. Et *p. 487.* pergit idem Bohnius: haud apparet, cur operationem hanc arduam abjurent medici, qui perinde ac alii ſibi ejus peritiam acquirere poterant, & quidem eo promptius, quod ex anatomicis non levia adminicula ipſis ſuppetant: adeo ut, quamvis ævo Hippocratis chirurgia hæc medicis terrori, ægris exitio magis fuerit & vel ob hanc cauſam, ſeu quod in ea ſe forſan minus exercitatum ex opinione Botalli noverit, ille huic prudenter & religioſe ſe abdixerit, nunc nihilominus commodius operari liceat anatomicis experimentis plenius inſtructis. &c.

§. 6.

§. 6.

Quamvis autem hæc lithotomia a dexterrimo etiam operatore, cui nominata ſymptomata quovis modo declinare aut imminuere curæ cordique eſt, exerceatur, ſemper tamen adhuc ſatis doloroſa atque periculoſa exiſtit, adeo ut non omnes calculoſi evadant, ſed fortaſſe tot infelices, quot felices Operationes occurrant. Quia vero calculum majorem ex marium veſica nulla alia ratione educere poſſibile eſt, (qui tamen ibidem relictus homini certam mortem inferret) non ſolum medicis atque lithotomis melius viſum fuit, dubium ægre, quam nullum applicare remedium, eumque diuturnis cruciatibus & certæ morti concedere. Imo nonnulli etiam calculoſi amore vitæ plus una vice hanc operationem in ſe celebrari curant, quale exemplum refert Auguſtinus Thonerus *Obſerv. med. Lib. III. Obſ. 3. ſeqq. pag. 176. ſeqq.* de cive quodam Ulmenſi, qui cum ob calculum veſicæ ſe curæ lithotomi ſubjeciſſet, & ſectione adminiſtrata partim ex reſiduis fruſtis calculi fracti, partim ob remanentem exulcerationem & vulnus non coalitum immenſi reſtarent cruciatus, tandem a dicto Thonero levi impenſa liberatus, quadriennio autem poſt denuo calculo veſicæ infeſtatus & per ſectionem a lithotomo liberatus eſt, remanente circa collum veſicæ ingente ardore atque dolore. Imo juxta *Obſ. V. p. 179.* præcitatus æger intra decennium quarta vice per ſectionem a ſeniore Merckio, lithotomo Ulmenſi, a calculo veſicæ liberatus, nec tum immunis manſit; quin denuo nova recollecta materia calculoſus evaſerit, haud dubie quinta vice ſe lithotomiæ ſubjeciſſet, ni lithotomus ille dudum defunctus, & ita miſerrimus ille vir, omni humana ope deſtitutus a chronicis & immenſis cruciatibus, viribus attritis, ex hac calamitatum valle migrare eſſet coactus. Calculi veſicæ ſectionem quater in viro celebratam annota-

Calculi ſectio periculoſa.

Lithotomia frequens.

vit etiam Johannes Georgius Volckamerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 177. p. 414.* Furthæ ſcilicet Noricorum mercator quidam eximius, Paulus Lerſch, calculo veſicæ laborans, ingraveſcentibus ſubinde doloribus ob ſuppreſſam toties urinam ſpem tandem ſalutis certam in ſectione poſuit; quam in ſe ſuſcepit Georgius Gentnerus, lithotomus, ſiquis alius, circumſpectus & in ea arte inſignis. Prima proinde vice An. 1674, ſecundo Octobr. die novaculam perinæo admoveri paſſus fuit, duabus pene cum dimidia horis exactis prægrandem enixus eſt, poſt vehementes ſæpe tractus, calculum, non ſine larga ſubſequente hæmorrhagia ſummaque virium jactura & univerſi corporis debilitate. Difficilem hanc effecere curationem arenulæ, per vulnus ſubinde effluentes, quæ multum conſolidationem vulneris retardarunt. Lapis exemptus uncias tres cum ſex drachmis adæquavit. Ingruente Anno 1677 cum doloribus gravativis & pungitivis atrocibus ille denuo, urinæ totius redeunte ſuppreſſione, nimium urgeretur, ad iteratam refugere ſectionem, priore eandem lithotomo maximopere diſſuadente, victus tamen intenſis doloribus 26 Januarii poſt mediam noctem coactus fuit, & ſecundam hanc operationem a Georgio Prodmanno, Chirurgo Noribergenſi, pati, quam præſente ſola conjuge ſua, in genua devoluta, cum juvene chirurgi, dum heroico prorſus animo itinerarium catheterem ſua manu direxit, fortiter ſuſtinuit. Lapillorum exinde exemptorum ingens multitudo uncias duas cum duabus drachmis pondere æquabat. Vix biennium peractum eſt, licet ſe pluribus præſervare lithontripticis ſtuduiſſet, denuo tamen graviſſimis divexatus calculi ſymptomatis tertiam admittere adactus fuit ſectionem, quæ Anno 1678 die nono Januarii intra ſesquihoram felici Prodmanni dextra fuit finita. Dura ſatis & quaſi pultacea, cum cochleari fuit exempta, unciæ unius

&

& duarum drachmarum pondere, maſſa, quæ paulo poſt in tophum induruit. Anno 1681, quarto Februarii nephriticis rurſus victus doloribus, diritate ſectionis non abſterritus denuo id officii exequente Prodmanno, ſe tali encheireſi invicto iterum ſubmiſit animo, quæ ad quinque horæ quadrantes exercita felici cum ſupremi numinis auxilio iterum fuit peracta. Calculi complures ad uncias duas & drachmam unam poſt illam exempti fuere ſectionem, doloreque ille infeſtatus tertio die poſt injectionem in veſicam olei ovorum & hyperici, cum melle roſato, Saccharo & Julebo roſato quietem ſenſit, &c. vid. etiam *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 153. p. 591.*

§. 7.

Interdum etiam cruciatus a calculo tanti ſunt, ut ægri non modo aliquoties a lithotomis calculum ſibi exſcindi curent, ſed etiam pro hac operatione exercenda quandoque ſibi ipſi manum admoveant atque Avtolithotomiam exerceant, quale exemplum refert Nicolaus Tulpius de Johanne Lethæo, fabro ferrario, viro inauditæ audaciæ, cui equidem lithotomus jam bis calculum ademerat, tandem vero ipſe quotidianarum ærumnarum ac ſectionis iteratæ adeo pertæſus fuit, ut maluerit, tertium jam ab eodem carnifice excruciatus, quibuscunque potius periculis objici, quam denuo experiri lithotomi ſcalpellum. Erecto itaque animo ad ſpem recuperandæ valetudinis, ac jam certus ſeipſum ſecare, nullius interventu, ablegavit uxorem, nihil ſequius cogitantem, in forum piſcarium, & ſuſpenſo a fratre, qui ſolus operi interfuit, ſcroto, uti a ſiniſtra ſua calculo firmato, præcidit animoſe perinæum cultro a ſe clanculum præparato, feriendoque identidem tertium inflixit ictum, antequam vulnus pervenerit ad eam longitudinem, quam requireret calculi magnitudo, cujus eductionem tamen per anguſtum vul- *Avtolithotomia*

neris hiatum, quo advertit difficiliorem, eo impenſius ſategit illum, immiſſis utrinque duobus digitis dilatare, iisdemque efficacius urgendo, in quo maximum hujus operis fuit momentum, calculum tandem cum maximo fragore ac ſumma veſicæ dilaceratione latebris ſuis propellere, quod audax magis, quam prudens inceptum ex animi ſententia ubi ſucceſſiſſet, procumbente jam humai, qui bellum ipſi intuliſſet, hoſte, accerſivit chirurgum, quo conſutis vulneris oris, rite obligaretur, quam ſibi inflixiſſet, plaga, cujus caro etiam tam feliciter increvit, ut affulſerit non exigua ſpes ſanitatis, at offenſa fuit major, quam ut veſica tantopere dilacerata ſolidaretur ſine hiatu, ſive ulcere perpetim manante. Calculus autem hic ovo gallinaceo major ac ponderans uncias quatuor, eo majorem movit admirationem, quo felicius prodierit ſolius manus adminiculo, ſine requiſitis inſtrumentis, idque ab ipſo ægro, cui omne præſidium duntaxat fuit ab audacia, uti confidentia a ſola impatientia. vid. Nicol. Tulp. *Obſerv. medic. Lib. IV. Cap. 30. pag. 341. ſeq.* ubi tam calculum, quam cultrum depictum reperies. Eandem hiſtoriam de Avtolithotomo Johanne Lethæo ſub nomine van Jan Janſz de Doot, ſive Johannis Janſonii de Doot, cum pictura cultri atque lapidis, una cum avthentico teſtimonio, Belgico idiomate tunc temporis Amſtelodami a Petro de Bary Notario Publico die ultimo Maji 1651 edito, confirmat Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 192. pag. m. 363.* Admirabilis etiam omnique obſervatione digniſſimus caſus accidit Eſchneci Haſſiacæ ditionis oppido, ubi Clauſtrarius quidam juvenis ingenti calculi dolore victus ſibi ipſi manus injecit, veſicam amplo vulnere diſſecans calculumque manibus exemptum in terram projiciens. Cum vero tenuioris eſſet fortunæ calculum exemptum Illuſtriſſimo Haſſiæ Principi Guilhelmo transmiſit rem actam

expo-

exponens, humillimeque orans, ut inflicti vulneris conſolidationem chirurgo ſuo aulico demandet. Hunc calculum ovi magnitudine æquantem ipſe Princeps malleolo confringit, ubi magna cum admiratione claviculam in medietate calculi tenaciſſime impactam reperit, uti ex Matthæi Obſervationibus recenſet Johannes Rudolphus Camerarius *Memorabil. Medicin. Cent. VII. Obſ. 10. pag. m. 428.* Vid. autem Joh. Matthæi, Heſſi *Obſ. med. Caſ. 1. Quæſt. medic. pag. m. 128. ſeq.*

§. 8.

Cum vero adducti Avtolithotomi ob intolerabiles dolores, dubio procul ex deſperatione & tædio vitæ in ſemetipſis hanc operationem abſque ulla calculi præſentis certitudine, vel etiam, an veſicæ adhæreat, explorato ſigno, exercuerint, longe cautiores hoc in paſſu agunt medici, atque chirurgi, dum ante operationem calculi præſentiam per ſuperius recenſita ſigna, imprimis manibus, vel inſtrumentis explorare tentant. Manibus hoc fit, ſi digitus index, vel in craſſioribus ſubjectis, medius quoque digitus, in maribus ano quam profunde intrudatur, & verſus os pubis, hypogaſtrio altera manu compreſſo, convertatur, ubi ſi duritiem quandam percipit, calculi præſentis indicium hoc eſt. In fœminis vero digitus cervici uteri inſeritur, eoque pariter ad anteriora incurvato durities & moles calculi obſervatur. Quod in puellis tenerioribus ob partium genitalium nimiam anguſtiam fieri nequit, ideoque per anum quoque exploratio in his tentari debet. Cui tamen explorationi ſimpliciter fidendum haud eſſe, variis rationibus jam ſupra monſtravimus, quanquam tale falſum judicium interdum minori chirurgorum dexteritati adſcribendum ſit, quale exemplum recenſet Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. Cent. V. Obſ. 99. p. m. 619. ſeq. 621.* de Viro ſene, in quo pleraque calculi ſigna occurrebant;

Calculi explorationis modus.

bant; quidam tamen ex convocatis chirurgis catheterem in veſicam adigi non poſſe referebat; non quidem hærentem in urethra calculum, ſed carnoſitatem, ulteriorem ad actionem impedire: exploratorio intruſo nil p. n. in veſica contineri aſſerebat, idque immiſſo poſtmodum medici juſſu, in anum digito confirmabat; circa totum veſicæ corpus mediate circumductum digitum dicens. Dehinc dolorem univerſum ægrotans, præter alia ſymptomata, in perinæo percipiebat, virgam frequenter contrectabat, quæ etiam interdum præ cruciatibus diſtenſa erigebatur. Corpus parumper incurvabat, non niſi in nates ſiniſtras ſedere poterat, & minctturus pileonis inſtar, impilia ſua facientis, pedes utrosque moticabat. Peregrinus quidam chirurgus convocatus, a Binningero juſſus digito implorat, annon calculum circa veſicæ cervicem, uti medicus iſte indubie & conſtanter aſſerebat. Obhæreret? Vix hic chirurgus digitum ad primum articulum intruſit, & occurrit tactui plurimorum calculorum coagmentatio, compulſu ſibi invicem allidentium. Tunc priorem chirurgum, qui calculum in veſica contineri, iteratis vicibus coram & palam negaverat, accerſi medicus voluit, atque experimentum, in præſentia ſua, peregrini & aliorum facere; qui ſententiam mutare & calculum prope ſphincterem veſicæ, ſitum & prægrandem ſubeſſe cum pudore fateri coactus eſt. Inde ægrotans aliquot lapillorum fragmenta excrevit. &c.

§. 9.

Exploratio eſt doloroſa

Quia tamen in hac veſicæ calculi exploratione digitorum in ægri inteſtinum rectum ſeu anum immiſſio admodum eſt doloroſa, variaque interdum ſymptomata excitat, eandem nonnulli medici rejiciunt; referente enim Johanne van Horne *Microtechn. ſ. 21. p. m. 451. ſeq.* cenſet Noach Schmalzius, chirurgus Harlemenſis, intruſione

digito-

digitorum in anum, ut & abdominis violenta compreſſione (qualis in pueris ex veteri formula ſolet adhiberi) non ſolum excitari ſummos dolores, ſed præterea inflammationem & gangrænam dictarum partium. Hoc teſtantur ii, qui aliquando experti ſunt explorationem calculi per digitos, in anum immiſſos, etenim aperte pronunciant, nec ſectionem, nec calculi extractionem tam fuiſſe ipſis dolorificam, quam ejusmodi explorationem; quanto magis autem hoc dicendum ſit de puerulis, in quibus hæ partes admodum molles ſunt & anguſtæ, unusquisque facile videt. Ab ejusmodi exploratione lethalitatem annotavit Johannes Laurentius Fehr *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 165. p. 391.* in viro quodam nephritide & calculoſa diſpoſitione laborante, qui poſtpoſito medici conſilio agyrtæ cujusdam curæ ſe commiſit, & numerato pactæ pecuniæ dimidio, varia medicamenta ſub forma potionum & pulverum urinam pellentium & calculum frangentium ab impoſtore propinata aſſumſit, hinc calculus non ſine acerbiſſimis doloribus verſus veſicæ ſphincterem eſt promotus; quem, cum digito ano immiſſo certius exploraſſet, tanta violentia verſus urethram promovere tentavit, ut hinc dolores non ſolum graviores, ſed & major urinæ reddendæ difficultas atque inflammatio periculoſior ſuccederent; ſicque nebulo ille ægrum ante aliquot dies ſatis robuſtum & ſanum morti tradidit. Aperto enim juſſu Magiſtratus cadavere in urethræ radice calculus aſper eminentiis quibusdam inſignitus, magnitudine denti molari mediocri, binas radices inferius acuminatas repræſentanti haud diſſimilis per violentas protruſiones membranis nervoſisque partibus ſumme inflammatis profundius infixus & verſus anteriora immobilis repertus eſt, qui omnium malorum, etiam mortis conſecutæ, autor extitit.

§. 10.

Per Catheterem

Ob has proinde & alias rationes plerique medici atque lithotomi explorationi huic per manus & digitos alterum modum per inſtrumentum, magis appropriatum, catheterem ſcilicet præferunt; quanquam ejusdem applicatio non ſemper doloribus careat. Inquit enim Hieronymus Fabricius ab Aquapend. *de Operat. Chirurg. fol. m. 264.* certius (quam per digitos in anum immiſſos) ſignum eſt, ſi cathetere utamur in veſicam immiſſo, qui medicum non decipit duro aſperoque lapidis & catheteris contactu. Sed ſunt, qui propter dolorem, quo, toto canali ægrotantes afficiuntur, potius mori velint, quam contactum & uſum catheteris permittere, & ego vidi multos, præcipue autem duos medicos, qui in hac opinione mortui etiam ſunt. Quapropter ego fui imaginatus primo ſtylum flexilem aut argenteum, aut ex cornu paravi, qui interdum parum profecerunt, &c. de cujus inſtrumenti ſeu catheteris variis appellationibus, figura, magnitudine & differentia reſpectu marium & fœminarum, vid. idem Fabricius *fol. 262.* A. Cornel. Celſ. *de Medicin. Lib. VII. cap. 26. p. m. 502. ſeq.*

§. 11.

Catheteris applicatio

In maribus proinde catheter oleo communi, aut alio dulciore, v. g. liliorum alborum, amygdalarum dulcium, inunctus ſequenti modo immittitur vel applicatur: Supinato ejusque cruribus extenſis altera manu elevatur virga, cujus canali catheter ſtylo ſuo privatus lente & blande intruditur, ita ut ipſius extremitas pubem reſpiciat. Ad urethræ fundum ubi pervenit inſtrumentum, mentula cum cathetere ad ingven alterum deflectitur, mox vero & eodem momento hic ejusque roſtrum ad pubem convertitur; quod dum fit, virga aliquantum tendi debet, ne urethræ & colli veſicæ plicæ inſtrumento aditum præcludant.

cludant. Interdum, dum roſtrum catheteris ad pubem retorquetur, manus, qua virga detinebatur, alter digitus ano immittitur, cujus aliquali compreſſione inſtrumentum commodius ad veſicam dirigitur. Quam, cum intravit, pollice orificio impoſito leviter ad latera agitatur inſtrumentum, minime tamen plane invertitur; imo modo inclinata extremitate externa roſtrum ad fundum veſicæ dirigitur, modo verſus abdomen illa reflectitur, ita tamen ne roſtrum ſphincterem elabatur. Quibus motibus variis ſi calculus ſubſit, colliſionis quidam ſonus exauditur. Quodſi vero urina hoc impediat, hæc per catheterem prius excerni, ac poſtmodum exploratio tentari debet. Paulo vero aliter agendum eſt cum fœminis, quæ pariter ſupinantur, elevatis aliquantum natibus, leviterque extenſis cruribus: Hinc catheter in extremitate tantum aliquatenus incurvatus, reclinatis ac dilatatis altera manu nymphis leniter intruditur, variis ejus agitationibus calculus exploratur. Secundum verba Antonii Nuckii *Experimentor. chirurg. cap. 38. pag. 153.* cathetere, oleo prius oblito, ſiniſtra manu virgam teneat meatumque urinarium tantillum comprimat chirurgus; mox catheterem introducat, ea tamen lege, ut ejus convexitas abdomen reſpiciat; dein inſtrumentum ulterius adigendo prudenterque premendo, ſub oſſe pubis invertat, ita ut ipſius extremitas veſicæ collum tangens eandem ſubintret, ſicque retracto ſtylo cum ſuo epiſtomio, urinæ exitus concedatur. Quod dum peragitur, cavendum, ne urethræ ſpongioſæ latera durius tangantur & moleſta hæmorrhagia ſuperveniat. Alia catheterem applicandi methodus hoc modo peragitur: Virga verſus ventrem elevata catheteris utraque extremitas ventrem reſpiciat, rectaque via inſtrumentum leniter propellendo veſicæ immittatur, atque ita catheteris inverſio, uti in præcedenti methodo, non re-

quiritur. Hac via chirurgus aliquando felicius procedit, ſæpeque patiens manu propria catheterem applicare poteſt. vid. etiam Joh. van Horne *Microtechn. §. 16. pag. m. 376.* & Joh. Guil. Pauli *Annotat. in hunc locum. pag. 379.* De hoc per catheterem explorandi calculum modo ita ſcribit Jean Baptiſte Verduc *des Operations de Chirurg. cap. XI. pag. m. 36. ſeq.* S'il faut ſonder une femme, on la fait coucher ſur le dos, les feſſes un peu élevées & les cuiſſes écartées; on écarte les Nymphes avec deux doigts d'une main, pour voir l'uretre; on introduit une ſonde courbée par le bout, que l'on a trempé dans l'huile, on la pouſſe doucement dans la veſſie; on examine, s'il y a une pierre &c. Pour ſonder les hommes, le malade doit étre mediocrement panché en arriere, ou couché ſur le dos, & la ſonde entre plus facilement. On prend la verge, on la tient droite, on decouvre un peu le gland, & de l'autre main on introduit la ſonde ſans faire de violence. On la tient à l'endroit des anneaux comme une plume à ecrire; le bec de là ſonde doit regarder l'anus. Il faut conduire la ſonde & la verge vers l'aine la plus éloignée de celuy qui ſonde, & en même temps on fait tourner entre les doigts la ſonde & ſon bec vers le pubis. Dans le même temps, qu'on tourne le bec de la ſonde vers le pubis, il faut tirer un peu la verge, à finque l'uretre ſoit plus droit, & qu'il ne ſe ride point, parceque les plus peuvent empécher l'entrée de la ſonde. Quelque fois quand on a introduit la ſonde au fonds de l'uretre, & qu'on à fait tourner le bec vers le pubis, on eſt obligé de quitter la verge pour mettre le doigt dans l'anus, & par une legere compreſſion au travers du rectum & du l'uretre, on conduit la ſonde dans la veſſie. On retire le doigt de l'anus & l'on quitte la verge. On donne de petites ſecouſſes à la ſonde en l'inclinant à droite & à gauche ſans la tourner,

&

& par tous ces movemens on entend le bruit, que fait la ſonde contre la pierre. S'il arrivoit, que la pierre nagea dans l'urine, & qu'on fût obligé de ſe ſervir du catheter, l'on bouche avec le pouce l'ouverture de la ſonde. Si l'on ne ſent rien, on laiſſe écouler l'urine par la ſonde, & l'on examine de nouveau, s'il y a une pierre. Il y a une autre façon de ſonder les hommes, il faut elever la verge en haut, en la couchant presque ſur le penil; les anneaux de la ſonde feront tournez vers le ventre & le bec du coté del' anus. Tout cela demande de l'exercice, il faut voir travailler les bons Maîtres dans les Hôpitaux & lire le Livre de la Lithotomie du Celebre M. Tollet. qui de hac materia prolixe agit *Cap. 10. pag. m. 86. ſeqq.* Edit. German. Joſephus de la Charriere *dans les Nouvelles Operations de Chirurgie Cap. 19. p. 128.* de Catheteriſmo ita ſcribit: On peut ſonder de differentes manieres. Dans la premiere le chirurgien prend de ſa main gauche le bout de la verge, curant & dilatant un peu ſon conduit, & la tire en haut, pour tâcher, que le Canal de l'uretre décrive une ligne droite, & facilite par ce moyen l'entrée de la ſonde dans la veſſie. Toute la difficulté conſiſte à l'introduire dans un certain ſens, qui eſt qu'il faut, que l'extremite qu'on tient de la main, ſe trouve en dehors, & la convexité en dedans, & à meſure qu'elle approche le commencement de l'uretre, on luy donne un demi-tour, par le moyen du quel on la fait gliſſer par deſſous l'os pubis pour la faire entrer dans la capacité de la veſſie, en telle ſorte, que ſon extremité ſe trouve en dedans, & ſa convexite en dehors. La deuxiéme methode de ſonder eſt bien plus aiſée, & moins embaraſſante, parcequ' on introduit la ſonde dans un ſens tout oppoſé au premier, & ſans luy donner aucun tour on la fait entrer dans la veſſie.

§. 12.

Calculi ſectio varia

Ipſe autem operandi vel calculum e veſica exſcindendi & extrahendi modus penes ſcriptores annotatur varius, & quidem pro loci, cui vulnus vel inciſio infligitur, atque deinde calculus educitur, vel pro inſtrumentorum, quæ ad hanc ſectionem & extractionem calculorum veſicæ adhibentur, deinde etiam pro ætatis atque ſexus diverſitate. Ratione loci fit talis inciſio & extractio vel per perinæum, vel per hypogaſtrium. Illa Lithotomis vocatur Celſiſtica ſeu Gvidoniana, quia Augerius Cornelius Celſus & Guido eandem docuerunt. vid. Celſ. *de Medicin. Lib. VII. pag. m. 504. ſeqq.* Vulgo vocatur etiam hæc ſectio Apparatus minor, quia ſine multorum inſtrumentorum apparatu perficitur, atque præter cultellum acutum pauca ad eandem requiruntur. Alia vero vocatur ſectio Mariana, quam primus docuit atque deſcripſit Marianus Sanctus Barolitanus, cujus libellum aureum, uti dicitur, reperies in Ambroſ. Paræi *Oper. fol. 909. ſeq.* quo loco ipſe fatetur, ſe hanc ſectionem a Johanne de Romanis Cremonenſi didiciſſe. Hæc ſectio, quia valde laborioſa eſt & ope multorum inſtrumentorum exercetur, major apparatus vocatur. Nam juxta Thom. Fien. *Libr. Chirurg. Tract. IX. Cap. 9. p. 71.* in ea primum imponitur catheter ad calculum explorandum; tum alius catheter, qui habet ſulcum & rimam, qui vocatur itinerarium ad hoc, ut ſuper eum fiat ſectio: tum inſtrumenta, quæ vocantur ductores, ut ducant & quaſi viam monſtrent tenaculis & cochlearibus ad calculum apprehendendum: immittendus tamen verticulus ſeu inſtrumentum ad tentandum, quo loco veſicæ calculus ſit; tum dilatatoria ad foramen, ſi opus ſit, explicandum; tum tenacula diverſi generis ad calculum apprehendendum, aut frangendum, tum cochlearia ad everrendum fruſtula, aut arenulas (quæ inſtrumenta in Paræo *l. a.* depicta ſunt)

Sectio

Sectio minoris apparatus locum habet in pueris ſecandis, propterea, quod in illis, digitis in anum immiſſis, calculus tangi & apprehendi, & ſic extrudi poteſt; & ideo non debet multis inſtrumentis quæri & apprehendi. Sectio majoris apparatus locum habet in adultis, & maxime in viris, in quibus propter corporis magnitudinem ductus ad veſicam eſt longior, & ideo digiti in anum immiſſi non poſſunt ad calculum pertingere, & ideo cum ſic nec digitis explorari, nec apprehendi, nec extrudi poteſt, debet explorari, quæri, educi magna inſtrumentorum & moleſtiæ varietate. De his Sectionibus ita quoque ſcribit Dionis *des Operations de Chirurg. Troiſ. demonſtrat. p. m. 149.* Avant Jean de Romanis, Medecin de Cremone, qui fut le premier, qui inventa l'extraction de la pierre par le grand appareil, & qui le pratiqua à Rome l'an 1520 l'on tailloit toûjours par le petit appareil; mais aujour-d'hui comme l'on ſe ſert de l'une & de l'autre maniere, il faut avant que d'operer, que le chirurgien prenne ſon parti, & qu'il reſolve, du quel de deux moyens il pretend ſe ſervir, à fin de preparer ce que luy eſt neceſſaire, ou pour l'un ou pour l'autre. Il ne faut, que deux inſtrumens pour le petit appareil, qui ſont un biſtouri pour faire l'incision ſur la pierre, & un crochet pour faire ſortir ce corps etrange lors qu'il eſt à decouvert; mais il en faut bien davantage, pour l'autre maniere; & c'eſt ce qui l'a fait appeller le grand appareil.

§. 13.

Item Johannes Freind *Hiſtor. med. Part. III.* juxta verſionis gallicæ verba de hoc Mariano ejusque modo ſecandi hæc refert: une Nouveauté conſiderable dans la chirurgie a été la decouverte de la maniere de tallier de la pierre, qu'on apelle en Angleterre couper ſur le Baton. Elle ſe trouve amplement demontrée par

Maria-

Marianus Sanctus, de Baroli, diſciple de J. de Vigo, dans un livre, qu'il dedia à Vincent Caraffe, Gouverneur de Rome, pendant la vacance du Siege Romain, aprés la mort du Pape Leon en 1521. Il avoit apris cete metode de Jean de Romanis, natif de Cremone, qui étoit, à ce qui paroit, un chirurgien fort entendu, d'une grande reputation à Rome, & beaucoup meilleur ecrivain, que ſon diſciple. Il fut le premier, qui inventa cette Operation par le ſeul inſtinct de la nature, comme Marianus nous le veut perſuader. Ce Marianus nous donne un détail des inſtruments, donc ce celebre chirurgien ſe ſervoit pour cela, qui ſont huit en tout; mais il y en a quelques uns, qui ſont aujourd'hui hors d'uſage. Cet auteur eſt auſſi aſſés circonſtantié dans tout ce qui a du raport à l'Operation. Il faut qu'un homme, dit-il, ſoit bien bête, pour ne pas connoître la groſſeur de la pierre par le catheter, ou ſonde à tirer l'urine. Il donne les mêmes avertiſſemens, que Paulus, de ne par faire l'inciſion juſtement au Milieu du perinées ou commiſſura, comme il l'apêle, & il dit pour raiſon, que cela ſeroit dangereus. Il avertit auſſi, qu'on prenne bien garde de ne pas couper les parties nerveuſes de la veſſie, ou les muſcles, qui empéchent l'ecoulement de l'urine. Cela me conduit naturellement à faire ici une reflexion, qui eſt, qu'il croyoit avec les anciens, qu'une playe faite à la veſſie etoit mortelle. On peut même obſerver encor, que dans ce tems la & bien aprés les operateurs tout grans anatomiſtes qu'ils etoient, ne ſavoient pas, quelles parties l'inciſion traverſoit dans cette occaſion. Car, par la deſcription que notre auteur nous donnoit il paroit, que ſon ſentiment étoit, comme c'eſtoit auſſi celui de Celſe ſelon la maniere de ce dernier de faire cette Operation, que l'inſtru-

l'inſtrument entroit dans toute la capacité, ou du-moins dans une partie du ſphincter: & l'on voit par l'avis, qu'il donne, & dont il a déja été parlé, à ſavoir, d'eviter ſoigneuſement les parties nerveuſes, qu'il croyoit, faute d'y avoir bien penſe, que l'incifion pouvoit auſſi aller jusques-là, au lieu, que dans l'Operation de Marianus, il eſt trés certain, que l'incifion ſe fait à l'uretre lui même & generalement parlant, à un pouce, ou environ, de ce côte ci du ſphincter. Tolet va trop loin de l'autre côté, lorsqu'il dit, qu'on fait cette incifion a trois ou quattre pouces. Mais puisque les anciens connoiſſoient, l'uſage du catheter, on a lieu de s'étonner qu'ils ſe ſoient arretés en ſi beau chemin, & qu'ils n'ayent pas trouvé les avantages, qu'il y a de tailler ſur le bâton, qui ſemble une tranſition aſſés naturelle, pour en faire quelque mention. Car de cette maniere l'operateur ne ſauroit bleſſer l'inteſtin, & encor moins les veſſies ſeminales, comme il arrive quelque-fois de l'autre. Cependant quelque préferable que ſoit la maniere d'operer de Marianus en cette occaſion, à celle des anciens, elle n'eſt pas abſolument degagée de toutes ſortes d'inconveniens, ni même de danger, par raport à la force conſiderable, dont il faut uſer pour dilater les parties, ce qui leur fait violence. Ainſi ceux qui ſont venus depuis, n'ont pas été contans de cette methode, mais il ſont eſſayé de reuſſir dans cette Operation par d'autres voyes:

§. 14.

Datur inſuper alius ſectionis calculi modus, qui altus vel ſummus apparatus vocatur, & quidem ex ea ratione, quod non in perinæo vel ſub ſcroto, ſed ſupra, in hypogaſtrio contingat, quamvis vix unquam, aut rariſſime noſtra ætate apud nos exerceatur. Pro autore hujus ſectionis habetur Petrus Francus, quondam chirurgus & litho- *Apparatus ſummus*

tomus Lauſannenſis exercitatiſſimus, hinc etiam hæc ſectio Franconiana, ut illæ Celſiſtica & Mariana, ſcriptoribus appellari ſolent: Hanc operationem, juxta Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. med. Sect. III. cap. 7. §. 8. pag. 351.* dictus Francus in puero bimulo, cujus calculum, ovi gallinacei magnitudine deorſum ad veſicæ collum detrudere atque ita apparatu majori vel minori e ſecto perinæo extrahere non poterat, urgente neceſſitate feliciter inſtituit; uti retulit *in Tr. des Hernies cap. 33.* neque tamen quemquam hujus rei imitatorem eſſe voluit; quin potius candide monuit, ut alius operandi obſervetur modus. Ipſius Franci verba ex allegato loco refert Franciſcus Tolet *de la Lithotomie cap. 15. p. 137.* inquiens: Pierre Franco de Turiers, en Provence, eſt le premier, qui a pratiqué le haut appareil, qui a prit ſon nom de ce que l'auteur a fait l'inciſion à l'hypogaſtre. Voici ce qu'en dit Franco: Je reciteray ce qu'une fois m'eſt avenu voulant tirer une pierre à un enfant de deux ans ou environ: au quel ayant trouvé la pierre de la groſſeur d'un œuf de poule ou à peu prés; je fis tout ce que je pûs pour la mettre bas, & voyant, que je ne pouvois rien avancer par tous mes efforts, avec ce que le patient étoit merveilleuſement tourmenté, & auſſi les parens deſirans qu'il mourût plûtôt que de vivre en tel travail, joint auſſi, que je ne voulois pas, qu'il me fut reproché de ne l'avoir pû tirer (qui étoit à moy grande folie) je déliberay avec l'importunite du pere, mere & amis, de couper le dit enfant par deſſus l'os pubis, dautant que la pierre ne vouloit deſcendre bas, & fut coupé ſur le penil, un peu à côté & ſur la pierre; car je levois icelle avec mes doigts, qui etoient au fondement, & d'autre côté la tenant ſujette avec les mains d'un ſerviteur, qui comprimoit le petit ventre au deſſus de la pierre, donc elle fut tirée hors par

ce

ce moyen, & puis aprés le patient fut gueri, non obſtant, qu'il en fut bien malade, & ſa playe conſolidée, combien que je ne conſeille à homme d'ainſi faire.

§. 15.

De extractione calculi per hypogaſtrium agit etiam Franciſcus Roſſetus *de Partu Cæſar. Sect. III. Cap. 6. & 7. pag. 50. ſeq. & pag. 55.* inquiens: modus hic extrahendi calculum primo uſurpatus fuit, ſalute ægri jam deſperata, partim temeritate quadam, partim vero artificio a Francone, qui inter chirurgos præſtantiſſimos noſtri temporis habetur, idque in puerulo, parentis precibus victus: ne tamen quis poſthac hac ſectione utatur (quod valde miror) prohibet. Metuens forte ne collegas offenderet, neve temerarius poſtmodum cenſeretur, ſi forte ſecto puero in ſectione hac adeo nova & inuſitata, ob hanc vel aliam aliquam cauſam, malum aliquod accidiſſet. Et Guilhelmus Fabricius Hildanus *de Lithotom. Veſic. Cap. XVII. pag. m. 114. ſeq.* eandem Hiſtoriam ex Petro Franco recenſet, ſcilicet ipſi aliquando infantem bimulum, calculo veſicæ magnitudinis circiter ovi gallinæ laborantem oblatum fuiſſe; cum autem omnem, quam potuit diligentiam ad calculum deorſum in collum veſicæ detrudendum adhibuiſſet nihilque efficere potuiſſet, infans itidem a dicto calculo adeo torqueretur & vexaretur, ut parentes illum libentius mortuum, quam diutius in tanta miſeria ſpiritum ducere cuperent; ipſe vero interea exprobrationem ſibi factam, quod calculum educere non potuerit, in malam partem interpetatus eſſet, tandem ſe calculum in ingvine & ſuperiore oſſis pubis parte, paulo e regione exſecturum apud ſe conſtituiſſe: quandoquidem calculus deorſum deduci non potuerit, ſeque propterea calculum cum digitis in anum immiſſis, adeo in altum elevaſſe (dum miniſtrorum alter e latere oppoſito ventrem comprimeret, calculum ad locum incidendum pro-

truderet) ut eum ibidem exſecuerit infantemque, tametſi ſummopere debilitatum, nihilominus tamen reſtitutum, vulnusque ſanatum fuiſſe. Ex his Vir quidam celeberrimus atque doctiſſimus concludere voluit, ſemper calculum eo in loco exſecandum eſſe illudque minore cum periculo fieri poſſe. Lithotomiam proinde illam Franconianam vocat, cum tamen ipſe Francus eam minime ad imitationem præſcripſerit, ſed expreſſe in libro ſuo, ſe ſtolide egiſſe fateatur, adeoque unumquemque, ne ipſum hac in parte imitetur, ſerio hortetur. Hanc operandi rationem in ſequentibus conſiſtere circumſtantiis, ſcribit Andreas Ottomarus Gœlicke *Hiſtor. Chirurg. recent.* §. 285. *p.* 195. poſito nempe caſu, calculum exiſtere majorem, ut ad cervicem veſicæ detrudi nequeat, partim digitorum in anum immiſſione, partim hypogaſtrii compreſſione, calculus verſus alterutrum ingvem compellitur, ut extrinſecus manifeſte compareat; Deinde integumenta abdominis in ingvine una cum veſica ad calculum usque inciduntur, quem demum alter miniſtrorum tenaculo adprehenſum extrahit. Cum vero veſicæ fundus propter fibrarum carnoſo-muſculoſarum paucitatem vel defectum difficulter coaleſcat, adparet ſtatim, hanc operandi rationem non eſſe imitabilem.

§. 16.

Ante Sectionem quid obſervandum

Ante ipſam Lithotomiam adhuc quædam, tam ratione calculi, quam ægri, obſervanda veniunt, ſcilicet neque omnium calculorum extractionem eſſe tentandam, neque etiam omnes ægros ad operationem eſſe aptos; item corpus ante operationem purgationibus, venæſectione ac balneis eſſe præparandum annique tempus commodum eligendum, de quibus vid. Guilh. Fabric. Hild. *Cap.* 8. 9. 10. *de Lithotom. p. m.* 71. *ſeq.* Imprimis autem ad felicem ſectionem requiritur, ut æger in commodum ſitum collocetur,

&,

&, quantum poſſibile, ita alligetur, vel a miniſtris ita firmiter retineatur, ne motione aut vacillatione corporis operationem chirurgi turbare poſſit, quod in Apparatu minore & majore neceſſe eſt. De Ligaturis ægri vid. idem Fabric. *l. a. Cap. XI. p. 87. & 89.* Joſeph de la Charriere *des Nouvelles Operat. de Chirurg. Cap. 19. p. 129.*

§. 17.

Priore ſecandi ratione ſive apparatu minori Lithotomi imprimis utebantur in pueris, eo quod in his, digitis in anum immiſſis calculus tangi & ad perinæum protrudi queat; aut ſi calculus in collo veſicæ hærens in perinæo extrinſecus appareat; in hoc ſiquidem poſteriore caſu, elevato ſcroto, calculus verſus locum incidendum urgetur digitis, & ſuper hunc inciſio peragitur. Alias vero ante ſectionem minoris apparatus non opus eſt corpus movere, quo calculus ad inferiora devolvatur, cum hoc ſatis præſtent digiti ano immiſſi, ut mox conſtabit. *Apparatus minor*

§. 18.

Scilicet ſuper ſellam huic negotio accommodatam, aut tabulam, ſedens collocetur puer, & dorſum paululum reclinet; a tergo vero ipſius ſtet unus ex miniſtris, qui humeris ejus manibus ſuis innixus hos firmiter contingat; duorum vero aliorum miniſtrorum, inferius adſtantium, alter, v. g. qui a latere dextro manu ſiniſtra ſub natibus ægri protenſa comprehendat carpum illius dextrum, manu vero dextra eandem tibiam prope malleolum; qui a latere ſiniſtro, manu ſua dextra ſub natibus pariter ſiniſtram ægri manum adducat, ſiniſtra eundem pedem firmet: Sic enim nates ſufficienter diſtenduntur, & locus operandi patulus magis fit. Imo ut hoc commodius fiat, genubus quoque alii bini adſtent, qui hæc quoque firma ſervent. Hinc chirurgus ſiniſtræ manus digitos anteriores oleo inunctos ano immittat, iisque verſus anteriora in- *Apparatus minoris modus*

clinatis calculum ſubter os pubis ad veſicæ cervicem detrudat; quod commodius continget, ſi unus ex miniſtris ſcrotum elevet, manu vero altera molliore linteo obvoluta hypogaſtrium deorſum verſus comprimat; adductum hac ratione calculum chirurgus digitis ano immiſſis firmet; & ſuper hunc in perinæo, non in media hujus parte, ſed ad latus ſuturæ, ſeu ſepti calloſi, novacula utrinque acuta ſectionem faciat, calculi magnitudini proportionatam, & a podice aliquantum remotam; atque per hoc vulnus calculus aut iisdem digitis, ſi minor, protruditur, aut, ſi major, uncino ſeu lapidello congruo extrahitur.

§. 19.

Autorum verba. Fabricii

Hanc Operationem apparatu parvo factam apud vulgares Lithotomos uſitatiſſimam eſſe inquit Guilhelmus Fabricius, Hildanus *de Lithotom. Veſic. cap. 13. pag. 100.* eamque ſic deſcribit: Ægro, ut par eſt, ligato chirurgus indicem ſeu medium manus ſiniſtræ digitum in anum immittit, dextra vero inferiorem ventrem fortiter, deorſum, verſus veſicam deprimit. Vel adhibeatur miniſter, qui provinciam illam ſuſcipiat: non tamen nuda manu ventrem comprimat ſed linteum molle multipliciter reduplicatum, vel ſtuppam in manibus contineat: quoniam ventre hac ratione nuda manu compreſſo, muſculos ſæpe numero offendi atque contundi contingit: unde quidem dolor, tumores, inflammationes & alia periculoſa ſymptomata ſubſequuntur ægroque multum negotii faceſſunt. Repertum igitur digito in anum immiſſo calculum ad collum usque veſicæ protrudit, tumque inciſionem ſupra calculum inſtituit, eumque digitis in anum immiſſis foras propellere conatur; quod quidem nonnullis, præſertim quando parvus eſt calculus, feliciſſime ſuccedit; ſin minus, reliquum hamulis peragunt. Johannes Baptiſta Verduccius

duccius *Tract. des Operat. de Chirurgie Cap. XI. pag. m. 38.* inquit: Le petit Appareil a prit ſon nom de ce qu'il faut peu d'inſtrumens pour le pratiquer. On le fait en mettant le doigt indice dans l'anus pour approcher la pierre du périnée, on fait une inciſion ſur la pierre au côté du raphé, & on la tire avec un crochet. On la faiſoit de cette maniere aux hommes, mais elle eſt plus facile à faire aux enfans. Vel juxta verba Joſephi de la Charriere *des Nouvelles Operations de Chirurg. Cap. 19. p. 122.* on trempe le doigt indice & celui du milieu dans l'huile ou autre matiére onctueuſe, on les introduit un peu obliquement dans l'anus, ne les redreſſant qu'apres avoir preſſé doucement l'hypogaſtre de l'autre main; alors l'Operateur tâchera de pouſſer le fond de la veſſie vers ſon col, pour l'aſſujettir plus fortement entre ſes doigts & l'os pubis. L'ayant fixée & renduë ſujette, le chirurgien avec un biſtouri bien tranchant de deux côtez, fait une inciſion ſur la pierre, à proportion de ſa groſſeur, entre le raphé & l'os pubis, à deux travers de doigt de l'anus. L'inciſion eſtant faite, on la tire hors de la veſſie avec des inſtrumens. *Verducii*, *de Charriere*

§. 20.

Secundum ſententiam Pauli Barbette *Chirurg. cap. 26. p. m. 66.* imponit lithotomus ægrotantem ſinui, pulvinari molli impleto viri cujusdam robuſti, poſtquam ter quaterque ex loco altiori in inferiorem proſiliit, mox manum utrinque valide alligat plantæ pedis, genu vero utroque latere adſtantes duo miniſtri detinent, ita ut quam maxime a ſe invicem diſtent. Deinde ſiniſtræ manus digitum primum ſolum, aut ſi neceſſitas exegerit, duos priores, oleo liliorum alborum, roſarum aut amygdalarum dulcium madefactos, in anum dimittit, dextra vero pubis ſuperiora leviter comprimit, quo ſic ſub oſſe pubis ad perinæum transferatur calculus, quem ubi digitis dictis eo *Barbette*

adegit,

adegit, in ſiniſtro latere inter teſticulos & anum proxime ad ſuturam perinæi, cultro utrinque acuminato vulnus pro calculi magnitudine facit, ad calculum usque cultrum deducendo, ex vulnere, ſi ſua ſponte aut digitorum inſertorum propulſione, exire detractet. Calculus, forcipe, aut, quod præſtat, cochleari, ſeu lapidillo, eum foras extrahit. Extracto calculo, vinculis omnibus ſolutis, vulnus obligat modo debito. Atque hic eſt calculum extrahendi modus, quem apparatum minorem vocare conſueverunt chirurgi, in pueris imprimis locum habens. &c. Item Fridericus de Leauſon hanc methodum ita deſcribit *Tract. des Operat. de Chirurg. cap. 8. de la maniere d'extraire la pierre aux petits Enfans, pag. 101.* Un homme courageux eſtant aſſis deſſus une chaire à la commodité de l'operateur, prendra l'Enfant ſur ſes genouils, en telle ſorte, qu'il ſoit à moitie renverſé, ſes epaules contre la poitrine de l'homme, a fin qu'il ait ſon exſpiration & ſon inſpiration libre, ayant ſes cuiſſes ouvertes, & ſes genouils contre ſon ventre, & ſes talons contre ſes feſſes, & ſes mains deſſus ſes genouils. L'enfant eſtant ainſi ſitué, il faut graiſſer un doigt ou deux de la main gauche avec un peu d'huile & les pouſſer dans le fondement le plus qu'il ſera poſſible, a fin de tacher d'amener la pierre au col de la veſcie, & avec la main droite il faut faire quelque legere compreſſion deſſus l'aine, a fin de faire deſcendre la pierre du fonds de la veſcie par deſſus l'os pubis vers le col d'icelle; la pierre eſtant au col de la veſcie il la faut tenir ſujecte, de peur qu'elle ne retombe au fond de la dite veſcie. Puis il faut faire une inciſion a coſté de la ligne du periné environ deux ou trois doigts prés du fondement, en prenant bien garde de ne pas inciſer l'inteſtin rectum. Car en tirant la pierre au col de la veſcie l'inteſtin ſe redouble

ſou-

ſouventes fois de ſorte que ſi ce boyau eſtoit inciſé, la matiere fecale ſortiroit par le canal de l'urine, & l'urine ſortiroit par le fondement, où bien tous deux par les memes conduits. L'inciſion eſtant faite & ayant appercu la pierre, il la faut tirer dehors avec des crochets &c. Antonii Nuck modus hic eſt: Patiens puer vel infans robuſtioris hominis femoribus eo, quem Toletus depingit, imponitur modo, ſi vero natu fuerit major calculoſus, ſcamno innititur: Mox Lithotomus indicem oleo olivarum madidum, quandoque etiam indicem cum medio digito, in anum immittit. Dextra interim hypogaſtrium magis minusve premit, ut calculum digitum inter & os pubis, exploret eumque ad perinæi regionem propellat. Tunc eadem manu dextra cultello, locum ſupra citatum, eousque incidit, donec per inflictum vulnus calculus conſpectui ſeſe offerat. Niſi enim ſua ſponte prodiret, lapidillo extrahendus eſſet. vid. Ant. Nuck. *Experim. chir. 39. p. 137.* *Nuckii.*

§. 21.

Referente Andrea Ottomaro Gœlicke *Hiſtor. Chirurg. antiqu. §. 57. pag. 45.* ſuſcipitur lithotomia minimi adparatus, alias Celſiſtica nominata, ſine multorum pretioſorum inſtrumentorum adparatu, ſolo nempe cultello ancipiti & lapidillo ſeu unco cochleariformi hunc in modum: Chirurgus ſeu Operator unum vel duos anteriores digitos oleo inunctos ano immittit, iisque ad veſicam reclinatis calculum ad cervicem illius dirigit, deinde adductum perinæo calculum digitis in ano relictis firmat, & ſuper calculo in perinæo, latere alterutro, cultro biſeco inciſionem facit, moli calculi proportionatam, & a podice quam remotam: per quod vulnus calculus, ſi fuerit minor, digitorum ope protrudi & foras ejici poteſt: Si vero major extiterit, lapidillo demum extrahendus eſt. De parvo *Gœlickii.*

Dionis. hoc apparatu ita ſcribit Dionis *des Operations de Chirurg. demonſtr. 3. p. m. 151.* le petit appareil a pris ſon nom de ce que tres-peu d'inſtrumens ſuffiſent pour le pratiquer, ſçavoir un biſtouri & un crochet; mais depuis qu'on a mis en uſage le grand appareil, on ne taille plus, que les enfans, par le petit. C'eſt pour cela qu'on n'a pas beſoin ici de tant de ſerviteurs, il n'en faut que deux, l'un pour tenir l'enfant, l'autre pour relever la verge & le ſcrotum. Le premier doit être un homme fort, qui s'etant aſſis ſur une chaiſe aſſez haute, met un oreiller ſur luy, & par deſſus un drap, qui pend jusqu' à terre de peur qu'il n'ait les jambes enſanglantées; il prend l'enfant ſur les genoux, & ayant paſſé ſes mains ſous les jarrets du malade, & luy empoigne les deux bras, qu'il écarte de maniere que cet enfant eſt retenu dans une ſituation tres-commode pour étre taillé. Le ſecond ſerviteur releve les bourſes avec ſes deux mains; puis l'operateur ayant frotté d'huile deux doigts de ſa main gauche, ſçavoir l'indice & celui du milieu, il les introduit doucement dans l'anus & les pouſſe fort avant, la paume de cette mainetant tournée en enhaut, il ſent alors la pierre, qui eſt dans la veſſie & il l'amene avec les deux doigts proche le col de ce viſcere, & la pouſſant le plus qu'il peut en dehors, il fait que la pierre produit une tumeur apparente, ſur la quelle il fait de ſa main droite avec un biſtouri ſon inciſion proportionnée à la groſſeur de la pierre. Il ne faut point craindre d'appuyer le tranchant de ce couteau ſur la pierre de crainte de l'émouſſer, il faut au contraire fendre exactement tout ce qui ſe rencontre de la tumeur juſqu' à la pierre ſans épargner le col de la veſſie, à fin qu'il ne reſte aucun filament, qui puiſſe y retenir le corps. L'inciſion faite l'Operateur rend le biſtouri, & de la méme main prend un crochet, qu'il coule derriere la pierre, pour la pouſſer en dehors, à quoi il

eſt

eſt aidé par les deux doigts, qui ſont dans le fondement. La pierre étant ſortie ſans ſe caſſer il faut examiner, s'il n'y en a point encore d'autres, parce qu'il faudroit les tirer de la meme maniere, ou bien avec la tenette, ſi l'on ne pouvoit pas faire autrement. Hunc modum ſeu apparatum minorem veteribus uſitatum, qui ſectionem lunata figura inſtituerunt, deſcribit Dan. Sennertus *Inſtit. med. Lib. V. Part. I. Sect. 2. c. 13. p. m. 1057. ſq.* v. etiam Hieron. Fabric. ab Aquapend. *de Operat. Chirurg. fol. m. 264. ſq.* ubi admonet, chirurgum hanc operationem ungvibus indicis & medii digiti ſiniſtræ manus circumciſis ſuſcipere debere. Item veterum inciſio lunata, & cornibus ad coxas ſpectantibus dicto autori non probatur, quia tunc muſculi penis transverſe amputantur. Et Cornelius Solingen *van de Manuale Operatien der Chirurgie Part. III. cap. 14. p. 188.* de hoc apparatu parvo ita ſcribit: Solingen. Als den Patient wel geboonden en verſekert is, ſteckt men de twee voorſte Vingeren van de ſlincker Hand beolyd in den Anum, en met de regter Hand douwt met even boven 'tos pubis, den Onderbuyck neder met de Vingeren regt uytſtekende, ende met een wolle lap omdæn. Den alſoo gevondenen Steen werd door de Vingeren in ende na de Krop van de Blaſe gevœrt, ende dan maeckt men ter Zyde den Taurus op de Steen d' openingh, ſo groot als geſegt is, na de vereys van ſaken, en dan douwt men met de Vingeren alleen ſomtijds de ſteen uyt. Soo dat niet geluckt, ſo neemt men een lapidil, brenge die in, ſoo verre, dat ſijn convexiteyt den Buyck reſpiciere, en den ſteen gevat hebbende, laet men de Knien van den Patient by den andren brengen, en dan treckt men die uyt de hegt van lapidil, na den Buyck om hoog ligtende. In dien daer meer ſteenen grooter als d'eerſte, of kleinder ſijn, ſo ſal men de wonde met de Vinger dilateren, en die geene, die klein zijn, met de

Vinger uyt halen, de groote na de dilatatie met een Krom Tangetje. vid. *etiam Edit. Germ p.374. ſeq.* Laurent. Heiſters *Chirurg. cap. 126. p. m. 631.* Joh. Scultet. *Armam. chirurg. Part. I. Tab. 41. p. 94.* Ambr. Paræi *Oper. Lib. 16. c. 41. fol. 368. ſeq.* Sequentem calculum ſecandi & extrahendi modum refert Dominus Thevenot *Itiner. Orient. Part. II. Lib. I. cap. 9. p. 62.* inquiens: *So lange als ich zu Orfa vvar, erkundigte ich mich, vvie man die Menſchen am Steine ſchneide, und ein gevviſſer Chirurgus, eines Francken Sohn, aber in Aleppo gebohren* Domenico Cabei *genannt, ſagte mir, daſs ſie auf eben die Art, vvie in Europa geſchnitten vvürden: iedoch vväre vor ietzo ein Türck zu Orfa, vvelcher ſehr tölpiſch ſchiene, und dennoch alle auf dieſe Weiſe glücklich ſchnitte. Er ſteckte den Finger in den Affterdarm des Patienten, und in dem er damit biſs in die Blaſe hineinführe, fände er alſobald den Stein, leitete denſelben mit eben dem Finger biſs zu dem Scroto, daſs er mit der andern Hand an dem Orte, vvo der Stein läge, öffnete, nachmahls vvieder zunähete und mit Salbe verbände, vvie denn alle ſeine vorgenommene Curen einen glücklichen Ausgang gevvonnen.* Varios etiam minoris apparatus modos & alia circa eundem annotanda refert Franciſcus Tolet *au Traité de la Lithotomie Edition. Pariſ. Edit. 5. cap. XVI. p. 141. ſeqq.* *Edition. German. cap. 14. p. m. 89.*

§. 22.

Apparatus minor ſuſpectus.

Verum modus hic minoris apparatus quibusdam, imprimis recentioribus, ſuſpectus videtur, 1) quod violenta illa digitorum in podicem intruſio tenerrimis & anguſtioribus puerorum partibus ſummos dolores, imo hos majores, ac ipſa ſectio & ipſa calculi extractio, hinc inflammationem & gangrænam inducat, 2) quod hac ratione facile contingere queat, ut collapſa veſica aut inteſtinum rectum replicatum vulneretur, ac perforetur. 3) Quod, ſi ſuper calculum inciſio fiat, frequentius inſanabile ulcus

exci-

excitetur. 4) Quod calculus altius hærens cervici veſicæ non ſemper adduci queat. Ob has & alias rationes plerique recentiorum autorum & lithotomorum apparatui minori majorem præferunt. Inquit enim Guilhelmus Fabricius Hildanus *de Lithotom. Veſic. cap. 12. p. 94.* nullus unquam fidelis ac pius lithotomus adeo audax ac temerarius erit, ut lithotomiam apparatu parvo, quem audaculi nonnulli in uſu habent, inſtituere ſatagat, propter plurima inde ſequentia ſymptomata, ſed potius ſuper itinerario eam inſtituat. Et *Cap. 13. p. 100.* ita pergit: quam periculoſa ſit Operatio apparatus minoris, ſapiens quivis facile colligere poterit, ubi perpenderit, quod in ea chirurgus facile partes collo veſicæ adjacentes, vel ipſum collum, imo quandoque etiam ipſum veſicæ muſculum perfodere poſſit, unde primo quidem ingens hæmorrhagia propter venarum eo in loco concurrentium, & periculoſos ſanguinis fluxus concitantium, multitudinem, expectanda: deinde etiam verendum eſt, ne æger urinam retinere nequeat, aut fiſtula in parte affecta remaneat. Interdum etiam in tali Operatione veſica ipſa, propterea quod evacuata in ſe collabitur, imo ipſum etiam inteſtinum rectum ſimul vulneratum adeoque diſſectum fuit &c. Joſephus de la Charriere *des Nouvelles Operations de Chirurg. cap. 19. p. 122.* ſcribit: Comme on ne ſçauroit pas pratiquer le petit appareil ſans meurtrir conſiderablement l'inteſtin & la veſſie, ni ſans les endommager le plus ſouvent, on doit rejetter cette methode, à la quelle il faut preferer le grand appareil. Juxta Joh. Baptiſt. Verduc. *des Operat. de Chirurgie. Chap. II. p. 38.* aujourd'huy on ne fait plus gueres l'Operation au petit appareil, on ne met en uſage, que le grand appareil; car il eſt difficile dans un homme, ou dans un enfant gras, de pouvoir aiſement approcher la pierre du perinée, & lorsqu'elle eſt fort avant dans le col

de la veſſie, il eſt impoſſible de faire l'Operation au petit appareil. Hujus inciſionis apparatu parvo factæ, periculo & incommodis ex propria Obſervatione hoc addit, Johannes Scultetus *Armament. Chir. Part. I. Tab. 41. p. 95.* quod calculus, licet membranis veſicæ fuerit incluſus, digitis ad collum usque compelli queat, & ſi ſupra hunc fiat inciſio incurabile excitetur ulcus: quod etiam calculus magnus ad veſicæ collum non protrudatur, niſi violentiſſima abdominis compreſſione, cui facile gangræna & ſphacelus inteſtinorum & veſicæ ſuccedit. Et Dionis *des Operat. de Chirurg. Demonſtrat. III. p. 152.* inquit: Cette Operation, quoi qu'aiſée à faire, n'eſt pas approuvée par tous les lithotomiſtes. Ils trouvent, qu'elle eſt ſouvent accompagnée de circonſtances, qui la rendent facheuſe: par exemple, ſi la pierre eſt graveleuſe, inegale & qu'elle ait pluſieurs angles aigus, l'on cauſe des douleurs horribles au malade en la pouſſant pour l'approcher du perinée, ſes pointes ou inegalitez piquant pour lors la veſſie, qui eſt tres ſenſible. Ils ajoutent qu' etant raboteuſe on ne peut que difficilement achever l'inciſion ſur ſon corps, & cela embarraſſe l'operateur, qui paſſe un tems tres long à faire cette inciſion auſſi exacte qu'elle le doit être, pour permettre à la pierre de ſortir librement. Ce ſont les inconveniens, qui font que pluſieurs operateurs préferent le grand appareil au petit.

§. 23.

Apparatus major. Pro exercenda autem hac majoris Apparatus methodo ſedens collocetur æger ſuper tabulam aut ſellam firmam, ſubſtratis ad excipiendum ſanguinem linteis reduplicatis, lumbis vero ac dorſo pulvinaria compactiora ſupponantur, ut in illis reclinatis ac ſupinatis aliquantum truncus firmius incumbere queat, cruribus vero retractis ac divaricatis perinæum cum ano conſpectius fiat, ac tan-

dem

dem modo paulo ante de minori apparatu allegato, pro impedienda corporis motione & vacillatione firmiter ligetur. Inſuper etiam duo ſemper, imo quatuor miniſtri fortes adſtent, qui ægri brachia & pedes firmiter contineant, alius vero humeris illius manibus ſuis ita innitatur, ut nullatenus ſe commovere & operatorem turbare queat. Hinc meatui urinario catheterem ſulcatum, ſive cujus roſtro quaſi ſulcus inciſus eſt, immittat chirurgus, quem catheterem ab uſu itinerarium vocant, quique extremitate ſua gibboſa verſus ſiniſtram perinæi partem retorqueatur; ejusque manubrium vel chirurgus, vel alius quispiam ex miniſtris inter operandum teneat; ſuper itinerarium vero ſectio hæc fiat, in pueris vix duos digitos transverſos, in adultis tres digitos æquans, ne vaſa & ſphincter veſicæ totus incidatur; & quidem eousque adigendo cultrum, donec ſinum illius inſtrumenti his incidat, ac illud per vulnus emineat. Nec tamen inciſio minor ſit, utut videatur calculus, pro inſtrumentorum extrahentium commodiore applicatione. Et ſi forſan vulnus calculo minus extiterit, aut inciſione repetita, aut per inſtrumentum dilatatorium, absque partium laceratione ampliare hoc licet. Hunc in finem inciſioni ſeu vulneri inflicto mox ſemiſpeculum, Conductor dictum (a Guilhelmo Fabricio, Hildano, *de Lithotom. Cap. 15. p. m. 108.* depictum) immittatur, ut mediante hoc pro reliquis inſtrumentis aditus apertus teneatur. Poſtmodum cathetere remoto, uncus inſtar cochlearis formatus, aut tenacula, aut forceps, per foſſam conductoris intrudatur, quibus mediantibus calculus extrahendus. Interdum, ſi vulnus anguſtius, tenaculis, prout dictum præmitti debent dilatatoria ſeu ſpecula veſicæ. Inter extrahendum tamen partim digitis chirurgi podicis immiſſis, partim manu miniſtri hypogaſtrium comprimente egreſſus calculi promoveri debet.

§. 24.

§. 24.

Autorum verba. Fabricii. Hanc operandi modum ita deſcribit Guilhelmus Fabricius Hildanus *l. a. Cap. 14. p. 103.* Ægro ſufficienter ligato omnibusque rite diſpoſitis itinerarium per virgam in veſicam, ſupraque calculum immitte, deinde inciſionem novacula (cujus mucronem utrinque acutum eſſe oportet) digiti transverſi diſtantia, ad latus tauri, à ſcroto ad anum tendentis, verſus coxam ad itinerarium usque facito, poſtmodum conductorem ſeu ſemiſpeculum ſuper itinerario ad calculum usque immittito. Poſtea itinerarium, ut virga ſit libera, extrahito. Eſt autem conductor præfatus concavus, ex alteroque latere apertus, in extremitate itidem craſſus, propterea profunde admodum immittendus, ut vulnus collumque veſicæ aliquantulum dilatet; tumque per latus conductoris apertum hamulus, lithotomis uſitatus & cognitus in veſicam immittendus. Conductor vero extrahendus, poſtea duobus manus ſiniſtræ digitis, medio videlicet ac indice, in anum immiſſis calculus attrahendus, hamulo prehendendus & extrahendus erit &c. vid. etiam Ambroſ. Paræi *Oper. Lib. XVI. c. 42. fol. 369.* Dan. Sennert. *Inſtitut. Lib. V. Part. 1. Sect. 2. cap. 13. pag. 1059.* Hieron. Fabric. ab Aquapend. *de Operat. chirurg. fol. m. 265.* *Juxta Barbette* Paulus Barbette *Chirurg. Cap. 26. pag. m. 67.* ita ſcribit: in adultis quandoquidem digitis in anum immiſſis calculum attingere dictoque modo ad perinæum deducere difficile, ſi non impoſſibile æſtiment multi, modum alium excogitarunt, quem apparatum majorem dicunt. Æger bene ligatus menſæ imponitur & in ea detinetur, mox itinerarium per urethram in veſicam intromittit chirurgus usque ad calculum, factoque foramine in ſulcum itinerarii per vulnus conductorem immittit, deinde itinerario ex urethra ablato, per vulnus inflictum forcipem, lapidillum, aut inſtrumentum aliud, extrahendo calculo

accom-

accommodatum, immittit, quo ſic & apprehendere calculum, & integrum foras educere queat, digitis ne quidem in anum inſertis, niſi ſumma neceſſitas illud exegerit. Calculus foramine major ubi exire recuſat, vulnus factum ampliatur, aut ipſe forcipis opera in fruſta dividitur ſicque per partes educitur &c. Modus idem in fœminis obtinet, modo digiti inſerantur, non in anum, ſed in uterinam vaginam & catheter adhibeatur rectus, minime incurvus & alteró multo brevior. Vel juxta Andr. Ottomar. Gœlicke *Hiſtor. Chirurg. antiqu.* §. *145. p. 102.* Æger rite compoſitus collocatur in ſella, capite nempe & dorſo depreſſis & genubus ad pectus retractis, cruribusque divaricatis, ut perinæum melius promineat. Poſthæc intruditur catheter ſulcatus, ita quidem, ut pars convexa pubem, concava vero anum reſpiciat, & molliter quidem blande ac modeſte, quantum fieri poteſt; iſta catheteris immiſſio peragitur & catheteris ſulcus digitis exploratur. Invento ſulco, digitis unius manus ſcrotum attollitur, ipſaque cutis tenditur, & ſuper ipſum ſulcum per integumenta & veſicam fit inciſio, tres vel quatuor digitos transverſos in adultis longa, magnitudini tamen calculi proportionata. Sectione facta immittitur in aperturam inſtrumentum, quod conductorem vocant, & ſulco catheteris immediate applicatur, quo immiſſo catheter retrahitur, ac poſtea immittitur uncus per ſulcum conductoris, ſicque calculus ad conductorem derivatus forcipe tandem extrahitur.

§. 25.

Johannes Baptiſta Verduccius *de Operat. Chirurg. Cap. XI. p. 38.* inquit: pour faire l'operation au grand appareil, il faut ſituer le malade ſur une table propre à cet uſage, ou bien on le fait coucher ſur le bord d'un matelas, poſé ſur un lit on ſur une table mediocrement haute, la téte & *Verduc*

le corps à demy panchez en arriere, appuyez ſur le dos d'une chaiſe renverſée, garnie de linge: ſes bras & ſes jambes attachez par des lacs & retenus par des ſerviteurs. Il y aura encore un ſerviteur monté derriere le malade, lequel ſ'appuyera ſur ſes épaules pour le retenir fortement: On introduit une ſonde canelée dans la veſſie, on la fait tenir par un ſerviteur, qui ſera placé au côté de la chaiſe du malade; la convexité de la ſonde pouſſant la perinée, on fait une inciſion avec un biſtouri tranchant de deux côtez, qui ne ſert qu' à cet uſage, on la fait au côté gauche du raphé. Aux hommes on fait l'inciſion de trois ou quatre travers de doigts, & aux enfans de deux travers de doigts. Il faut bien mettre à nud la canelure de la ſonde. S'il arrive par hazard, que la playe ſoit plu petite, que la pierre, il faut aggrandir l'inciſion plutôt, que de ſe ſervir du dilatatoire, parce qu'en dilatant il eſt impoſſible de ne-pas meurtrir & dechirer les fibres de la veſſie. Quand l'inciſion eſt bien faite, elle eſt toujours à l'uretre & non pas au col de la veſſie. Il y en a qui ſe ſervent des conducteurs qu'ils gliſſent dans la canelure de la ſonde, entre les quels on conduit les tenettes, & d'autres ſe ſervent du gorgeret, en introduiſant ſon bec dans la canelure de la ſonde. On retire d'abord la ſonde, ſi tôt que cet inſtrument eſt introduit; on gliſſe ſur le gorgeret les tenettes dans la veſſie, on cherche la pierre & on la charge pour la tirer. On ouvre les tenettes avant que de prendre la pierre, pour dilater un peu le paſſage; & les ayant presque fermées, on les pouſſe doucement pour chercher la pierre. Pendant que les tenettes ſont dans la veſſie, on ne les ferme plus, de peur de pincer quelque partie de la veſſie. Lors qu'on a trouvé la pierre, on ouvre les tenettes avec les deux mains pour la prendre; on connoit, qu'on l'a priſe par l'ecartement des anneaux des tenettes &c.

§. 26.

§. 26.

Vel juxta Anton. Nuck. *Experiment. Chirurg. Cap. 39. p. 135.* ut Apparatus major feliciter ſuccedat, patiens menſæ aut ſedili erit imponendus: dein bene ligatus ita locandus, ut itinerarium, ſive catheter cannulatus, oleo olivarum prius oblitus, per urethram in veſicam introducere ad calculum chirurgus poſſit. Mox itinerarii curvatura perinæum verſus retorquenda, & a latere perinæi inciſio oblique ſupra catheterem inſtituenda, hac tamen lege, ut cultelli acies itinerarii ſinui diſtincte opponatur eundemque tangat. Deinde retracto cultro vulneri conductor in ſulcum immittendus; mox cathetere ex urethra ablato conductoris cavitati dilatatorium iterum immittendum. Vulnere dilatato conductor denuo viam monſtrabit forcipi extractorio, cujus ope tandem calculus apprehenditur & extrahitur. Vulnus inflictum ubi minus fuerit calculo, nova inciſione ampliandum, aut calculus forcipis ope in partes & fruſta dividendus atque ita per partes educendus erit, &c. *Nuckii.*

§. 27.

Joſephus de la Charriere *Tr. des Operations de Chirurg. Cap. 19. p. 122. ſeq.* ita ſcribit: Pour faire cette operation, on ſe ſert d'une ſonde crenelée, qui eſtant dans la veſſie, le chirurgien la doit incliner du côté du ventre, ainſi que ſa convexité preſſe la ſurface interieure du periné, & l'éleve en boſſe, & pendant, qu'un ſerviteur aſſujettit la verge & le haut de la ſonde de ſa main gauche, & qu'il releve les borſes de la droite, l'operateur avec le poulce & l'indice affermit l'endroit le plus éminent de la ſonde du côte gauche du raphe, & d'un ſcalpel bien tranchant des deux côtez, il fait une inciſion en long ſur la crenelure, plus ou moins grande ſuivant qu'il juge, que le volume de la pierre eſt plus ou moins conſiderable. Pour la faire re- *Charriere.*

gulierement ou doit tenir l'inſtrument comme une lancette, commençant à percer le lieu le plus élevé du periné jusques dans la crenelure de la ſonde, qui ſert d'apuy au ſcapel, & ſans aucune repriſe le paſſer & repaſſer plusieurs fois ſur la ſurface de la ſonde, jusques à ce qu'elle ſoit entierement decouverte, crainte de faire diverſes inciſions à la veſſie. Avant de retirer l'inſtrument, il faut porter le doigt ſur la crenelure de la ſonde, pour reconnoiſtre, s'il ne reſte point quelque adherence, pour faciliter l'entrée du gorgeret, & pour introduire ſon extremité dans la canelure, le plus bas qu'il ſera poſſible. Le gorgeret eſtant comme engagé dans la ſonde, à meſure, que vous la retirez doucement hors de la veſſie, vous pouſſez vôtre gorgeret, & vous faites enſorte qu'il ſvive le mouvement de la ſonde; autrement il pourroit s'echapper à côté & le plus ſouvent l'operation ne reuſſiroit pas avec tout le ſuccez, qu'on en pourroit attendre. Eſtant aſſeuré, que vôtre gorgeret eſt dans la cavité de la veſſie, vous gliſſez par deſſus ſa ſurface des tenettes droites ou courbes, vous retirés vôtre gorgeret, vous cherchez adroitement la pierre de côté & d'autre, ſans aucune violence, & vous tâchez de la charger.

§. 28.

Muralti. De ſectione calculi veſicæ Johannes de Muralto ſequentem Obſervationem refert *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 126. p. 255.* Veſicæ calculo laborantes in Noſocomio Charitatis Pariſienſi ſequentem operationem ſubire coguntur: æger menſæ oblique ſurſum ſpectanti imponitur, retracta verſus nates crura cum manibus bene colligantur, duobus in locis, carpus nempe cum malleolis & cubitus cum genu, coxæ vero a famulis robuſtis duobus utrinque diducuntur, diductæ ligantur, vinculum hoc ſex ulnas Tigurinas longum, forte & palmam latum eſt. Lithotomus

tomus ſiniſtræ manus digitos priores, oleo olivarum imbutos in anum pueri demittit, dextra abdomen leviter premendo, ut calculum ſub oſſe pubis detrudat, & ad perinæum adducat: In viris vero, quia digitis ſuis ad fundum veſicæ non poteſt pertingere, chirurgus catheterem ſulcatum adhibet ejusque extremitatem verſus perinæum retorquet, ſectionisque locum indicat, etenim novacula fit inciſio ſuper catheterem (ut acies cultri ſulco directe opponatur, usque in cavitatem veſicæ, ut catheteris extremitas extra vulnus promineat, deinde in ſinum ejus aliud immittitur inſtrumentum, inſtar parvæ terebræ, quod conductorem nominant, extrahitur dein catheter, iterumque hujus conductoris cavitati immittitur dilatatorium, conductor aufertur, vulnus cochleæ beneficio dilatatur, donec forcipe extractorio apprehendi forasque educi poſſit calculus, vel integer, vel in partes diviſus: ſimpliciter deligatur æger ſtratoque imponitur. vid. etiam Muralt. *Chirurg. Schrifft. Operat. 17. p. 90. ſeq.*

§. 29.

Prolixe etiam hunc modum deſcribit Fridericus Leauſon *des Operat. en Chirurg. Cap. IX. p. 104. ſeq.* le malade eſtant bien ſitué, il faut que l'Operateur pouſſe une ſonde ouverte dans le conduit de l'urine, jusqu' a ce qu'il ſoit venu dans la veſcie. La ſonde eſtant dans la veſcie, il faut tout doucement tirer à ſoy le fit ou la verge d'argent, qui eſt dans cette ſonde, afin de donner iſſuë à l'urine, qui pourroit eſtre en la veſcie, puis il faut, qu'un ſerviteur tire en haut le ſcrotum & les teſticules vers le coſté droit, afin de pouvoir mieux voir le creux de la ſonde, qui ſe verra alors facilement au coſté gauche. Ayant remarqué le creux de la ſonde au coſté gauche, il faut faire voſtre inciſion deſſus le creux de cette ſonde environ deux ou trois *de Leauſon.*

doigts prés du fondement, & de la longueur, que vous jugerez à propos. Car en faiſant l'inciſion trop prés du fondement, on courroit danger en tirant la pierre, de rompre quelque rameaux des veines hemorrhoidales, ce qui ſeroit d'abord ſuivi d'une furieuſe hemorrhagie, qui donnera bien la peine à l'operateur pour l'arreſter. Il faut auſſi remarquer, que l'inciſion doit eſtre plus large par dehors, que par dedans, parce qu'elle s'elargit aſſez lors qu'on y met le bec de canne & le dilatatoire. Puis il faut avoir un conducteur, qui vers ſa pointe ait une petite teſte en rond, comme les ſimples ſondes, des quelles on ſe ſert pour ſonder les playes, & pouſſer ce conducteur dans l'inciſion, en telle ſorte, que ſa teſte entre dans la ſonde creuſe, ſur la quelle vous avez faite voſtre inciſion, afin de ſervir de guide aux autres inſtrumens, qu'on veut introduire dans la veſcie, pour chercher la pierre. Ce conducteur eſtant introduit dans la playe, il y faut encor introduire un autre, qui vers ſa pointe ait une petite cavité, & la pouſſer par deſſus, c'eſt à dire qu'il faut qu'elle paſſe la pointe du premieur conducteur. Cela fait, il faut tirer hors de la playe la ſonde creuſe, ſur la quelle vous avez faite voſtre inciſion & pouſſer les deux conducteurs dans le corps de la veſcie, & en l'es paſſant il les faut tourner de ça & de la, afin de pouvoir trouver la pierre. Les conducteurs eſtants dans la veſcie, il faut que celuy, qui fait l'Operation, les ſerve un peu entre ſes doigts, & pouſſe entre, ces deux conducteurs le bec de cane, le quel eſtant entré dans la veſcie, il la faudra un peu tourner du coſté gauche & puis l'ouvrir afin de dilater & aggrandir la playe, jusques à ce qu'elle ſoit aſſez grande pour donner libre entrée aux autres inſtrumens, des quels il ſe faut encor ſervir. Il arrive ſouvente fois, que par le ſeul bec de cane la

pierre eſt tirée hors de la veſcie. Mais il arrive auſſi quelques fois, que la pierre eſt ſi grande, qu'elle ne peut pas paſſer par la playe; ſi cela arrive, il faut tirer hors de la playe le bec de cane, & y introduire le dilatatoire; le quel eſtant entré dans la veſcie, il faudra ſerrer les deux bouts enſemble, & par ce moyen la playe ſe fera ſi grande, qu'on voudra. La playe eſtant aſſez grande pour donner libre ſortie a la pierre, il faudra reprendre le bec de cane, droit ou courbe, pour chercher la pierre. Ayant trouvé la pierre, il la faut empoigner avec le dit bec de cane, & lier viſtement les branches du dit bec de cane, pour empecher, que la pierre ne retombe. Pluſieurs operateurs, pour empecher, que la pierre ne retombe hors du bec de cane, mettent deux doigt dans le fondement, & tachent de gagner le deſſus de la pierre, & font quelque legere compreſſion deſſus l'epigaſtre, les autres ſe ſervent des aillerous & mettent à coſté des tenailles, c'eſt à dire l'une deſſus, & l'autre deſſous, & empoignent le bec de cane ou la pierre eſt dedans, de ſorte que la pierre ne peut aucunement echapper; Mais en recompenſe les malades ſentent bien plus de douleur, c'eſt pour quoy, s'il eſt poſſible de s'en paſſer, il ne s'en faudra pas ſervir. Il faut encor icy remarquer une choſe qui eſt; que, lors qu'on a ainſi la pierre, il ne la faut pas tirer tout d'un coup, mais il la faut tirer peu à peu, & la tonrner de coſté & d'autre, & la tirer avec la plus grande dexterité, qui ſera poſſible, & en la tirant il ne faut pas trop ſerrer les tenailles, de peur qu'elle ne ſe rompe en petites pieces. Ayant tiré la pierre, il faut derechef reſonder avec un des conducteurs, pour ſçavoir, s'il y a encor quelque autre pierre dans la veſcie, & s'il ſe trouvoit qu'il y en euſt encor quelque autre, on du ſable, ou du ſang coagulé, dans la veſcie, il ſe faudra ſervir d'un

inſtru-

inſtrument, que les operateurs appellent curettes, & les tirer avec les dits inſtruments, ou bien avec le bec de cane. Et ſi la pierre eſt trop groſſe, il la faudra rompre avec le bec de corbin dentelé & tirer tous les fragments ou ſable avec les curettes. Hujusmodi modum etiam deſcribit Thomas Fienus *Libr. Chirurg. Tract. IX. cap. 11. p. 74. ſeq.*

§. 30.

Blancard. Sic Stephanus Blancardus *Inſtitut. Chirurg. Cap. 23. Oper. medic. pag. m. 383.* lithotomiam in adultis ita declarat: Explorato bene calculo ægri tunc in cubiculo ubi commorantur, aliquantulum ambulant & ſaltant, ut calculus facilius deſcendat. Interim ſupra tabulam longam ponitur ſedes, quæ ita firmari debet, ne loco moveatur, dorſo & matta tabulæ innitens, cui aliquot pulvinaria inſternuntur, eodem fere modo, ac parituris ſtruitur. Tunc patiens tabulæ imponitur, cum pulvinari ſub natibus, & dorſo in dorſum ſedis incumbit: eo tempore manus ei & pedes conſtringuntur, deinde a duobus robuſtis viris ab utroque latere firmiter tenetur. A tergo adhuc alius eſt, qui patientis thoracem tenet. Abraſis a pudendo pilis lithotomus genu unicum ſupra pulvinar ponit, cum tergo lumini adverſo. Porro catheterem per urethram in veſicam immittit, & calculum usque ad veſicæ collum ducit; illum tunc retrotrahit & ducit in ejus locum conductorem ſuum usque ad veſicæ extremum, illum cum ſulco extrorſum converſum miniſter quartus tenet, ſemper nonnihil premendo: poſthæc ancipitem ſumit cultellum, ſecando dextra aut læva manu accurate ſupra conductoris ſulcum; quod bene obſervandum; manu jam, quæ non occupata eſt, cutim dilatat, & muſculos, quantum fieri poteſt, ut oculis vulnus pateat, ſecat ſurſum & deorſum. Hiſce peractis conductorem

educit,

educit, &, ut vulnus apertum maneat, duos bacillos ex argento inducit usque ad vulneris fundum, ſed foris ſingulis eſt annulus digitum admittens, atque ſic deinceps reliqua Operatio peragitur. Hac in re ſeſe accommodat ſecundum conjecturam magnitudinis calculi: Si ſuſpicetur eſſe parvum, lapidillo rem tentare nititur; ſi hoc non ſuccedat, utitur cochlea in extremitate rotunda & acuta, quæ ut ſimplex ferrum rotundum immittitur, cujus manubrio ad invicem preſſo roſtra anteriora hujus inſtrumenti ſe aperiunt, quæ immiſſa erant, atque hoc modo vulneris labia dilatantur eo usque ac pro calculi exitu neceſſe judicatur. Vulnere per cochlear aperto dextra forcipem ſumit, in roſtro rotundo, modum, ac ſi duo eſſent cochlearia, roſtrum anſerinum referentem. Hac conatur calculum apprehendere, ſervando ſemper vulnus cochlea apertum, cavendo tamen, ne fiat dilaceratio, tunc enim melius eſſet ſecare: Forcipe veſica non eſt lædenda, neque perhendenda, unde varia ſymptomata. Magnitudine ſi excedat calculus, laborandum, ut in fruſta confringatur, & fruſtillatim extrahatur. Et ſi præ magnitudine extrahi nequeat, per urethram cannula argentea in veſicam eſt ducenda, ut urina emulgeatur, aut in perinæo apertura fit usque ad veſicæ collum, ut lotium per cannulam immiſſam reddatur. vid. etiam Stephan. Blancard *Kunſt-Kammer der Chirurg. Lib. II. cap. 21. p. 142. ſqq.*

§. 31.

Modum per itinerarium lithotomiam exercendi ita deſcribit Cornelius Solingen in Tractatu Belgico *van de Manuale Operatien Part. III. cap. 12. p. m. 185.* Als men op de itinerarium ſnyd, ſoo is't beſt dat den Patient op een tafel legge, ſoo dat den operateur ſtae; en deſe manier is beſt in Bedaegde, den Hals van den Blaes lenger hebbende, ſoo dat de ſteen door de Vingeren per anum, *Solingii*

ſool niet voor angevoerd kan werden. Den Patient wel gebonden zijnde, ſteeckt men de ſtaf (itinerarium) in, tot de ſteen, en buyge het bovenſte na den Buyck, ſoo dat het perinæum of Taurus geſpannen ſtaet, door de holle convexiteyt van de ſtaf. Den ſnyd men een dwerſe ſnede, een Vinger breed aen de ſlincker zyde van den Taurus of Perinæum af, de ſtaf wat na die zyde draeyende tot in de groef van de geſeyde ſtaf, met een Lancet daer too bequaem, een middelmatige openingh, ende een grooter, als de ſteen groot mogt weſen. Dit gedaen zijnde brengt men het ſemiſpeculum of Conductor Hild. als een goot, dar men kaes mede dot, in, tot de ſteen, en hale de ſtaf uyt, dan brengt men den Hamulum of lapidil door de groef van't ſemi ſpeculum in, tot de ſteen, nemende het ſemi ſpeculum wegh, en houden de lapidil in, tot de twee voorſte beolide Vingeren in den Endeldarm gebragt ſijn, de ſteen vorwaerts geſchoven, en de Hand van een dinaer met een Wolle dubbelde of dicke lap omwonden, om de ſpieren van de Buyck niet de quetſen, waer op andere accidentien ſoude volgen, en ſoo de Blaes enen boven 't os pubis, nedergedowt, ende de Steen alſoo te ſamen voor de Krop van de Blaes gebragt hebbende: ondertuſſen vat men de Steen ter degen met het lapidil of Hamulus, en trecken die dan uyt. Sommige verwerpen de ſemiſpeculum, ſchoon die om de gemaeckte wonde te dilateren gebruckt was, en dat mijns oordels met reden, om dat ſijn lichaem ſoo veel plaets beſtaet, als hy de wonde met pijn dilateert, 't is genoegh de lapidil nevens de ſtaf in te brengen, om pijn en tijd de meſnageren. De Francen gebruycken in plaets van dit Inſtrument, twee ſilvere Krickjens, ruym een vingerlang, de ſe houden ſy tuſſen haer Vingeren, en dienen voor Conductoria. Wann eer 't op deſe ma-

nier

nier niet ſuccederen wil, de ſteen grooter zijnde, ſoo moet men langs de ſtaf en ſpeculum of dilatatorium in brengen, de wonde verwijderen, en dann de ſtaf weggenomen zijnde, en de ſpeculum geopent, de Tang inbrengen, grooter of kleinder, als na de ſteen groot geoordeelt werd; de ſelve daer mede gevat hebbende, met beyde de handen al drayen de uyt trecken, of ſooſe kleyn is met een hand. En ſoo de Steen broos mogt zijn en heel groot, ſoo wil Hildanus die met de Tang van Petrus Francus gebroken hebben dat, gelijck geſegt is, moeglijck is, en met voorſigtigheit moet gedaen werden. Ik ſoude liever de Wonde eerder openen en dilateren, al ſoude tot, de proſtates toe ſnyden, en dat kan geen quaet; want men blijft in Meatu urinario, gelijck uyt de diſſectie van die geene, welcke op de ſtaf geſneden zijnde, geſturven, en van my geopend waren, geſien hebbe, dat in onde de Opening in de waterweg wel een duym breed van de proſtates af was. vid. etiam Cornel. Soling *Editio Germanica pag. 269.*

§. 32.

Accurate etiam & ſecundum omnes enchireſes Apparatum magnum deſcribit Monſieur Dionis *des Operations de Chirurg. Demonſt. III. pag. 152. ſeq.* inquiens: On appelle la ſeconde maniere de tailler le grand appareil, parce qu'on employe beaucoup d'inſtrumens pour la mettre à execution; c'eſt celuy, que l'on pratique le plus ſouvent, & qui juſqu'à preſent a été jugé le meilleur. Le malade étant ſitué, comme je vous ay dit, & tenu ferme par les écharpes & par les ſerviteurs diverſement poſtez, l'operateur prend une ſonde canelée on creuſée en goutiére ſur le dos de ſa courbure & proportionée le au ſujet en grandeur, & en groſſeur, & aprés l'avoir trempée dans *De Dionis.*

de l'huile il l'introduit dans la verge & la pouſſe juſqu' au dedans de la veſſie. Il cherche la pierre avec le bout de cet inſtrument avant que de faire l'inciſion, pour s'aſſurer derechef, s'il en a une car il ne ſeroit pas impoſſible, qu'il ſe fuſt trompé la premiere fois en ſondant; s'il ne la trouvoit pas cette ſeconde fois, il ne devroit point paſſer outre; mais ſentant ce corps au bout de la ſonde, il la fait tenir d'une mains par un ſerviteur, qui la pouſſe en enbas par la téte, âfinque la partie courbe & la premiére introduite de cet inſtrument repouſſant au dehors l'extrémité interieure de l'uretre, faſſe mieux connoître & ſentir à l'operateur l'endroit, où il doit couper. Le même ſerviteur tient de l'autre main les bourſes elevées, & le chirurgien avec deux doigts de la mains gauche, ſçavoir le poulce & l'indice, faiſant bander la peau du perinée, il prend de la main droite, le biſtouri, que lui preſente l'un de ſes aides, qui eſt à ſon côté droit, & qui doit ſe ſouvenir de le preſenter par le manche, & non par la pointe comme fit celuy, à qui M. Mareſchal, ajourd'huy premier Chirurgien du Roy l'avoit donné à tenir, lorsqu' il' tailla Mr. le Duc de Grammont, & qui lui tendant ce biſtouri la pointe en devant le bleſſa à la main, ce qui faillit à troubler l'operation. L'operateur fera enſuite avec toute l'aſſurance, dont il eſt capable, l'inciſion au perinée à côté du raphé, qui va du milieu des bourſes à l'anus, il ouvre les tégumens & l'uretre, avançant ſon inſtrument juſques dans la cannelure de la ſonde, qui lui ſert de guide pour ne couper que ce qu'il veut. Cette inciſion doit avoir de longueur depuis deux juſques à quatre doigts, ſelon la groſſeur de la pierre. Il y a des lithotomiſtes qui tiennent eux-mêmes la ſonde de la main gauche pendant qu'ils inciſent de la droite; cela depend de l' habitude, que l'on a contractée, ou des maîtres, de qui on a été inſtruit.

L'in-

L'inciſion n'eſt pas plûtôt faite, quæ l'on rend le biſtouri au même ſerviteur, qui l'a preſenté. On ſe ſervoit autre fois de deux conducteurs, faites en forme de petites épées, dont le premier avoit un bec, qui ſe continuoit dans presque toute ſa longueur, & qu'on gliſſoit aiſement dans la goutiere de la ſonde jusqu'à la veſſie, & le ſecond avoit une canelure a ſon bout, qui lui ſervoit à ſe conduire ſur le premier dans ce même organe, & entre ces deux conducteurs on introduiſoit la tenette; mais presque tous les operateurs ont ſubſtitué à leur place le gorgeret, qu'ils trouvent beaucoup plus commode. L'operateur le cherche dans ſa gibeciere de la main droite, & de la gauche il reprend d'un autre ſerviteur la tête de la ſonde, qu'il lui avoit fait tenir; puis mettant le bec, qui eſt au bont du gorgeret dans la canelure de cette ſonde, il le conduit par le moyen d'une telle canelure jusques dans la veſſie, dont il facilite l'entrée à cette machine, en éloignant du ventre avec la main gauche la tête de la ſonde, ce qui fait, que la ſonde & le gorgeret entrent de compagnie dans la veſſie. Quelques uns apres avoir fait une inciſion de mediocre longeur & retiré la ſonde, ſe ſervent du dilatatoire, pour aggrandir la playe: ils pretendent que la playe aggrandie par le dilatatoire ſe guerit plûtôt, que celle, à qui l'on donne par inciſion une longueur conſiderable; parce que ſelon eux les fibres du col de la veſſie ne ſont point coupées, mais ſeulement ſeparées par le dilatatoire. Toute fois cette pratique n'eſt pas approuvée univerſellement; il y en a, qui aiment mieux faire l'inciſion plus grande, que de ſe ſervir du dilatatoire; ils croyent, que la violente douleur, qu'il excite, peut cauſer une fluxion ſur la veſſie, & produire de fâcheux accidens; & veritablement dans le tems, que l'on donne les deux

coups du dilatatoire, l'un en large & l'autre en long, on entend le malade rodoubler ſes iris; ce qui prouve l'excès du mal, qu'il reſſent pour lors, c'eſt pourquoi l'on conſeille de s'en ſervir le moin que l'on pourra. La ſonde etant retirée de la main gauche, l'operateur prend la gorgeret de la cette même main, & de la droite il prend une tenette, dans la gibeciere. Il s'en ſert ordinairement de droite, qu'il introduit fermée dans la veſſie par le moyen de la cavité creuſée le long du gorgeret. Immediatement aprés cette introduction il retire de la main gauche le gorgeret, qu'il remet dans la gibeciere, & avec la tenette fermée il cherche la pierre de tous côtez dans la veſſie, il ne faut pas qu'il ouvre & referme la tenette pendant qu'il fait celle perquiſition, parce qu'en l'ouvrant ſouvent, il pourroit meurtrir la veſſie, ou la pincer en la reformant. Lorsque la pierre ſe fait ſentir au bout de la tenette, l'operateur met les deux mains a cet inſtrument, il l'ouvre doucement & tâche d'y charger la pierre, dont il connoit la groſſeur par la diſtance, qu'il y a d'un anneau de la tenette à l'autre; & ſi elle lui paroit trop groſſe pour pouvoir la faire ſortir par l'inciſion, qu'il a faite, il tourne la pierre deja chargée, & la relâchant dans la veſſie, il tache de la charger d'une autre maniere; parce qu'il arrive ſouvent, qu'une pierre ayant la figure d'un œuf, c'eſt à dire plus longe, que large, la premiere fois on l'aura chargée par ſa partie la plus longue & une ſeconde fois on la ſaiſira par le côté le plus étroit, & pour lors la ſortie en ſera beaucoup plus aiſée; & au contraire ſi l'on s'obſtinoit a vouloir dégager ce corps étant ſaiſi par ſa longueur, on feroit ſouffrir le martyre au malade, & quelque fois inutilement. Il eſt des pierres tendres & graveleuſes, qui ſe caſſent ſous la tenette; quand cela arrive, il

il en faut tirer les morceaux le mieux qu'on peut, & il en eſt de ſi groſſes, qu'il eſt impoſſible de les tirer, on les laiſſe alors plûtôt, que de tuer le malade, pour les avoir. S'il y en a deux, ce que l'on connoît par le bouton, qui eſt au bout de la curette, après que la premiere a été tirée, on remet la tenette dans la veſſie, & on la charge comme la precedente; ſ'il y en avoit davantage, comme il s'en eſt trouvé quelque fois dix ou douze, on y retourneroit avec la tenette autant de fois, qu'il reſteroit de pierres à tirer. Quand la pierre s'eſt logée à droite ou à gauche dans un des côtez de la veſſie, & que l'on ne peut pas la toucher avec la tenette droite, on en prend une courbe, avec laquelle on la peut charger dans quelque endroit de la veſſie qu'elle ſoit cantonnée. Il eſt de pierres ecailleuſes de la ſuperficie deſquelles il ſe détache quelques fragmens en les chargeant dans la tenette; Il en eſt de graveleuſes, qui s'écraſent ſous la tenette, & ſouvent il y a au fond de la veſſie un ſablon & un gravier, qu'il eſt néceſſaire de vuider aprés l'extraction de la pierre. Dans ces occaſions on ſe ſeut de la curette avec laquelle on evacuë à pluſieurs fois ce qui eſt au fond de la veſſie; l'operation n'eſtant point parfaite lors qu'il y reſte quelque choſe c'étranger. Ayant bïen nettoyé la veſſie, on prend une canule, dont on trempe le bout dans l'huile roſat, pour l'y laiſſer durant quelques jours ſelon la neceſſité; on l'attache a une ceinture avec un cordon paſſé dans deux anneaux qui ſont a la teté, de ce tuyau, afin qu'elle ne puiſſe point ſortir de la playe. Omnia etiam inſtrumenta, quæ ad lithotomiam requiruntur atque a dicto Autore allegata & nominata ſunt, ibidem circa initium tertiæ demonſtrationis reperies. vid. etiam Laurent. Heiſters *Chir. Part. II. de Operat. cap. 127. p. m. 632.* Johann. van Horne *Microtechn. §. 21. pag. m. 448. ſeq.* Imprimis autem hoc loco ex Franciſci

Toleti

Toleti Tractatu Gallico *de la Lithotomie* aliquot capita, ſcilicet decimum octavum *p. 152.* des Reflexions importantes, propres & ſingulieres dans la pratique du grand appareil pour les hommes & des exemples, & *Caput 19. pag. 166. usque 201.* de la deſcription generale du grand appareil pour les hommes, adhuc inſerenda eſſent. Cum vero in dicto Tractatu dictus Autor non ſolum omnia quæ ad hunc apparatum magnum, ſed etiam reliquas lithotomiæ ſpecies earumque cautelas pertinent, perſpicue atque prolixe agat, potius cuilibet eundem, & quidem ultimam editionem tanquam longe auctiorem, ſibi comparandum commendare, quam tot paginas ex ipſo in hæc mea collectanea transſcribere volui.

§. 33.

Modus Petri Franci

Per Turundam

Nonnulli tamen lithotomi hoc itinerario utentes tantum inſtrumentorum apparatum non ſemper applicant, v. g. Petrus Francus, cujus modum ſequentibus verbis deſcribit Cornelius Solingen *van de Manuale Operat. c. 13. pag. 186. ſeq.* Inciſie op de ſtaf (itinerarium) gedaen Zijnde, ſteeckt hy een turunde in de opening, en doet voordat, mael nied anders, den waer de ſteen ſelfs in de Wonde ſich vertoonde, die men met een Lapidil of Tang uythaelt, die hy daer toe geapproprieert en ſeer bequaem heeſt, als de ſteen egal is. Deſe Wieck gebruyckt hy ſoo lang, tot de ſuppuratie van de wonde, als wann eer, ſegt hy, de Accidenten, als Koortſe &c. voorby ſin, en dankoint de ſteen voor de opening, met ſoodanig een pyne als voren; gelijck hy ſegt hem dickwils gebeurt te Zijn, en dan treckt hy die op geſeyde wijſe uyt. De ſteen groot Zijnde, en dat ſo niet voor den tag komt, ſo ſteckt men de Vingeren in den Aers, laet den buyck neder dowen, 't welk verſekert, dat met minder perijckel kan geſchiede, ob dat het water geduerig ontloopt, en de accidente vemin-

vermindert zijn. Alsdan haelt hy de Steen met de Tang uyt, apparent de wonde door en ſpeculum gedilateert hebbende. Soo de ſteen heel groot is, nijpt hy die met ſijn Tangen aen ſtucken, en haeld den eenen dag voor, den andere na de ſtucken elckemaet maer en tagelijck uyt, en dat ſoo veelmaels als de ſteen is verdeelt; edoch als te krachten het toetieten, ſoude hy datelten eerſte doen. Vete zijn verwondert, ſegt hy, dat hy eeſt vif a ſes dagen na d'inciſie de ſteen af haeld, maer ſegt darby, dat d'experiencе hem geleert heelft ſulck een operatie de doen, die niemand voor hem gedaen heeft: om dat de Patienten in d'operatie ſoo flaeun werden dat onder ſijn handen, of weynigh na't verband, ſouden hebben geſturven, eer de reſterende ſteenen of gebrokene ſtucken ſoude hebben konnen halen. Hy ſegt, dat, als den Patient weder was bekomen de ſteen van ſelfs dickwils heeft ſien uyt fallen: welcke heel klein moet geweeſt zijn. Segt darby, dat de voorſte eerſt uyt gela de als doen grooter was geweeſt: vid. etiam *Edition. German. pag. 271.* Et juxta Guilhelmi Fabricii Hild. *de Lithotom. Veſic. cap. 16. p. 109.* verba latina, Petrus Francus facta ſupra itinerarium inciſione, turundam vulneri accommodatam imponit, nihilque præterea ea vice circa extractionem calculi molitur, niſi forte ipſe in vulnere compareat, tunc eum vel tenaculis, inſtituto ſuo appropriatis, vel hamulis extrahit. Quod ſi vero calculus non ad vulnus prociderit, aut grandior fuerit, tum vulnus more ſolito obligat, ægrumque reponit: diebus aliquot poſt, ubi res ægri melius habent vulnusque ſuppuratur, nec febris adeſt, calculus itidem in vulnere comparet, ut plerumque contingiſſe ſibi ſcribit, tunc eum præfato modo extrahit. Calculo vero non ad vulnus prorumpente, tunc vult, ut digitis in anum immiſſis, atque compreſſione muſculo-

rum abdominis, deorſum ad vulnus trahatur & protrudatur, quem tenaculis educit. Quod ſi vero calculus tam magnus eſſet, ut per collum veſicæ non niſi diſſecta veſica extrahi poſſet, hortatur & monet, ut ſumma adhibeatur diligentia, ne veſica extra collum ſuum, ubi pinguedo ac muſculi conſpiciuntur, diſſecetur. Quin potius, talem calculum ut chirurgus tenaculis confringat, ſvadet. &c. vid. etiam Franc. Tolet *de la Lithotom. cap. 15. p. 140.* Frid. de Leauſon *des Operat. de Chirurg. cap. 10. p. m. 110. ſeq.* de la methode tres aſſurée pour extraire la pierre ſans aucun danger & ſans faire ſouffrir beaucoup de douleurs aux malades.

§. 34.

Sectio Franconiana Præter recenſitum Petri Franci modum idem chirurgus adhuc aliam calculi extrahendi excogitavit methodum, quæ etiam ab hoc inventore vulgo Lithotomia Franconica vel Franconiana, item ab inciſionis loco, cum non, uti in apparatu minore & majore fieri ſolet, in perinæo, ſed in ſuperiori parte, hypogaſtrio nimirum, ſive ſuper oſſe pubis, & in fundo ſeu ſuperiore veſicæ parte exerceatur, *Apparatus altus* Apparatus altus vel ſummus, Gallis haut Appareil, nominatur; de cujus inventionis occaſione jam ſupra egimus, dictumque Francum, aliis Franconem, in infantis bimuli ingvine & ſuperiore oſſis pubis parte calculum, ovi gallinacei circiter magnitudinis, exſecuiſſe ex Guilh. Fabric. Hild. *de Lithotom. Veſic. cap. VI. p. m. 114. ſeq.* adduximus. Hanc tamen operationem, ob varia metuenda ſymptomata, imprimis ob veſicæ in parte membranoſa læſionem rejiciunt nonnulli Medici, alii nihilominus commendant, uti ipſorum verba teſtantur. Inquit enim Guilhelmus Fabricius *l. a.* quamvis experientia conſtet, vulnera veſicæ interdum etiam ſanari, cujus rei plurima in medium afferri poſſent exempla, ipſeque ſimilia vulnera ſa-

navi,

navi, raro tamen illud contingit, firmumque manet, quod ſcribit Hippocrates *Lib. 6. Aph. 18.* vulnera veſicæ lethalia eſſe: quemadmodum enim una hirundo non facit ver, ita etiam ſe habent veſicæ vulnera, & quamvis unum aliquod ſanetur, econtra tamen decem aut plures deplorati obeunt; propterea quod caro ſive parenchyma veſicæ non facile ſanationem recipit, ſed quoniam veſica e genere nervoſo & fere exſanguis eſt, ideoque ipſius vulnera non facile raroque coaleſcunt; idque imprimis etiam propter gravia atque periculoſa, quæ ſuperveniunt ſymptomata, uti ſunt dolor vehemens, calor & inflammatio interna, tumor, ſpaſmus & ſimilia. Interdum etiam urina per vulnus effluere non poteſt, ſed in infima ventris cavitate congeritur, ubi quidem putreſcit parteſque circumjacentes accendit atque corrumpit. Cum dicto igitur Petro Franco fideli atque induſtrio cuivis chirurgo periculoſæ hujus lithotomiæ adminiſtrationem iterum atque iterum Fabricius diſſuadet. De hoc calculum extrahendi modo, abſque mentione inventoris, ita ſcribit Paulus Barbette *Chirurg. Cap. 26. pag. m. 67.* Digitis in anum immiſſis chirurgus calculum verſus anteriora ventris detrudit, mox, per foramen, ſecundum fibrarum ductum in muſculo recto ſupra os pubis factum, ope lapidilli aut forcipis calculum extrahit. Hoc modo ſi procedat operatio, urinæ ſtillicidium nunquam eſt metuendum, & præterea amplior calculo educendo conceditur locus: ſed interim per ſe periculoſa atque moleſta hæc eſt operatio, nam ſi labia vulneris in veſica facti haud uniantur muſculis abdominis, exulceratio veſicæ ſequitur, quæ non tantum inſignem dolorem movet, ſed & ipſo calculo incurabilior habetur; quæ incommoda etiam hoc effecerunt, quod minus operationibus aliis haberi cœperit a Practicis veris. Et de hac Operatione inquit Jean Baptiſte

Verduc *des Operat. de Chirurg. Cap. 11. p. m. 37.* Le haut Appareil c'eſt de faire une inciſion au-deſſus du penil, à côté de la ligne blanche pour ouvrir le fond de la veſſie. Avant que de faire l'inciſion on met dans le rectum deux doigts pour pouſſer la pierre tout de plus haut, que l'on peut; plus la veſſie eſt remplie d'urine, plus la pierre ſera facile à tirer. On conduit un dilatatoire dans la veſſie, & des tenettes pour tirer la pierre. Monſieur Petit Maître Chirurgien de l'Hôtel-Dieu a vû faire cette operation ſur une petite fille par feu Monſieur Bonnet, qui faiſoit autrefois la lithotomie dans cét Hôpital, mais on ne fait plus aujourd'huy cette Operation. Juxta Andr. Ottomar. Gœlicke *Hiſtor. Chirurg. recent. §. 285. pag. 193.* Bonetus, Chirurgus Pariſienſis, invenit modum lithotomiam aggrediendi, quem hodie Franconicum adpellare placet. Ipſe vero Francus nemini modum illum tanquam imitabilem commendat, multo minus obtrudit, quia ipſemet ſemel tantum, & quidem, ſicuti ſponte fateri non erubeſcit, ſatis ſtolide licet, quod caſui & fortunæ forte tribuendum, feliciter eandem adminiſtravit. Operandi vero ratio in ſequentibus conſiſtit circumſtantiis. Poſito nempe caſu, calculum exiſtere majorem, ut ad cervicem veſicæ retrudi nequeat, partim digitorum in anum immiſſione, partim hypogaſtrii compreſſione, calculus verſus alterutrum ingven compellitur, ut extrinſecus manifeſte compareat; Deinde integumenta abdominis in ingvine una cum veſica ad calculum usque inciduntur, quem demum alter miniſtrorum tenaculo adprehenſum extrahit. Cum vero veſicæ fundus propter fibrarum carnoſo-muſculoſarum paucitatem vel defectum difficulter coaleſcat, adparet ſtatim, hanc operandi rationem non eſſe imitabilem. Licet autem, uti res ipſa loquitur, in praxi non ſuccedat, omnis tamen impoſturæ & fraudulentæ deceptionis expers eſt.

Verum enim vero non Bonetum hanc calculum extrahendi methodum inveniſſe, ſed Pariſiis tantum in ſubjecto quodam hunc modum, qui a loco altiori apparatus altus denominatur, ad imitationem Methodi Franconianæ exercuiſſe, ex fide & relatione Jonnotti atque Petiti recenſet Franciſcus Toletus *de la Lithotomie Cap. 15. pag. Edition. Gall. 139.*

§. 35.

Hinc etiam alii autores hanc calculi per hypogaſtrium exſectionem commendant e. g. Franciſcus Roſſetus *de Part. Cæſar. Sect. 3. cap. 6. p. 50.* inquiens: ſi cæſaream ſectionem, quæ in epigaſtrio fit, tanta ipſius facilitas aut utilitas, nobis commendare debet, certe longe magis difficilia & incurabilia ſymptomata, quæ ex ſectione calculi ſupervenire ſolent, nos a ſectione veſicæ, quæ in perinæo fit, abſterrere debent; aut certe, ut quid melius in humanum genus conferamus, nobis hæc res ſtimulum addere debet, ut modum aliquem meliorem & commodiorem, quo calculum extrahere liceat, inveniamus: qualis erit, ſi non amplius in perinæo, ſed in epigaſtrio (ut in ſectione cæſarea) ſectio inſtituatur, quod variis rationibus & exemplis confirmat. Et *cap. 7. p. 55.* idem Roſetus ita pergit: hujus operationis feliciter peractæ exempla occurrunt, ubi prius varia & diverſa remedia fruſtra adhibita fuerunt. Modus autem hic extrahendi calculum primo uſurpatus fuit, ſalute jam ægri deſperata, partim temeritate quadam, partim vero artificio, a Francone, qui inter chirurgos præſtantiſſimos noſtri temporis habetur, idque in puerulo parentis precibus victus. *Cap. 8. & ſeq. p. 67. ſeq.* ad objectiones, quæ contra ſectionem in parte veſicæ membranoſa fieri ſolent, reſpondet. Inquit etiam Johannes Riolanus *Animadverſ. in Veſling. Anatom. Opuſcul. anat. nov. p. m. 470.* ſi cæſum ſit fundum veſicæ verſus imum ventrem,

Autorum ſententia Roſſeti

calculos etiam extrahi & ejici poſſe, credo, atque hæc operatio olim tentata; & nunc adminiſtratur ſatis feliciter, vid. etiam Joh. Riolan. *Oper. anat. fol. 876.*

§. 36.

Heiſteri Scribit etiam Laurentius Heiſter *Chirurg. Part. II. Sect. 1. cap. 128. p. m. 640. ſeq. Es iſt zvvar die Manier den Stein über dem Oſſe Pubis aus dem obern Theil der Blaſe zuſchneiden, heut zu tage nicht mehr im Gebrauch, meiſtens aus Furcht, daſs man bey ſelbiger die Blaſe tödtlich verletzen müſte. Dennoch ſind verſchiedene verſtändige Medici und Chirurgi, welche ſo vvohl aus denen Exempeln, als aus der Vernunfft urtheilen, und vermeynen, daſs man das Steinſchneiden leichte, geſchvvind und ſicher hier verrichten könne, vvenn man nur die Operation auf behörige Weiſe anſtellete und verrichtete; und melden Autores, daſs ein berühmter Chirurgus zu Loſanna, Petrus Franck genannt, zu erſt dieſe Operation mit gutem ſucces in einem zvveyjährigen Kinde verrichtet habe; bey vvelchem ein ſo groſſer Stein gevveſen, daſs er ihn im Perinæo nicht hätte können heraus bringen, und auf Erſuchen der Eltern die Blaſe oben aufgeſchnitten hätte. Es ſchreibet auch Tolet, daſs Bonet, ein vornehmer Chirurgus zu Paris, dieſe Operation gleichfals offt glücklich auf ſolche Manier practiciret habe. Man verrichtete die Operation auf folgende Art. Ein Diener muſte ſeine zvvey förderſte Finger in den Hintern des Patienten ſtecken, und mit ſelbigen den Stein rückvverts gegen den Grund der Blaſe drücken, um dieſelbe dadurch zu erlängern. Hernach machte der Chirurgus gleich über der Junctur der Schaambeine (oſſium pubis) neben dem Ende der Lineæ albæ, eine länglichte Inciſion, durch Haut, Muſculn und das Perinæum, biſs in die Blaſe, und nahm alsdann den Stein mit einem Hacken oder Zange heraus. Nachdem aber ſelbiger herausgenommen, heilete man die Wunde mit einem Wundbalſam vviederum zuſammen. Oder man könte*

dem

dem Patienten ein paar Stunden vor der Operation viel Thée zu trincken geben, denſelben keinen Urin laſſen abſchlagen, biſs der Patient ſpüret, daſs die Blaſe vvohl voll vväre; da man alsdenn die Ruthe linde könte zubinden, und die Operation verrichten, ſo dürffte man nicht in Hintern greiffen, noch, vvie Dionis vvill, erſt Waſſer in die Blaſe ſpritzen. Ob ſchon dieſe Methode leichter und beſſer zu ſeyn, als die andern auch viele Vorzüge vor den übrigen zu haben, ſcheinet, ſo muſs ſelbige dennoch durch neue Experimenta vvieder bekräfftiget vverden; ehe man ſelbige zu practiciren rathen kann: indem ſonſten verſchiedene Schvvierigkeiten ſich noch befinden, vvelche mir dieſe Methode verdächtig und gefährlich machen.

§. 37.

Sequenti autem modo ipſe Dionis aquam in veſicam injicere atque operationem apparatus alti exercere docet *Tr. des Operations de Chirurg. Demonſtr. III. p. 160. ſeq.* pour pratiquer heureuſement, il faut introduire dans la veſſie une ſonde creuſe, dont l'ouverture exterieure ſoit aſſez ample pour y faire entrer le bout de la ſeringue, avec laquelle on empliroit la veſſie d'eau, qui auroit un degré de chaleur pareil à celui de l'urine. On feroit une ligature à la verge avec cette bande, afin qu'en ſeringuant l'eau ne s'echappât point de la veſſie à côté de la ſonde; & lorsque l'on jugeroit par la quantité de l'injection, que la veſſie dût être pleine, l'on en retireroit la ſonde & l'on reſſereroit un peu la ligature de la verge, afin de comprimer l'uretre aſſez pour empêcher l'eau de ſortir. Enſuite le malade aſſis dans une chaiſe, preſqu' à ſon ſéant, on lui feroit une inciſion longitudinale avec le ſcapel, entre les deux têtes des muſculs droits, & les deux piramidaux, aprés quoy appuyant du doigt ſur le fond de la veſſie, on ſentiroit la fluctuation de l'eau, dont elle ſeroit gonflée, & pour lors on feroit avec une groſſe lancette armée une *Dionis.*

ponction

ponction à cet organe dans ce même endroit. On connoîtroit aiſément, quand la veſſie ſeroit ouverte, par l'eau, qui en ſortiroit, & auſſitôt avec le crochet, l'on pourroit faire ſortir la pierre, ou bien on plongeroit une tenette longue & étroite dans l'ouverture, par laquelle l'eau s'écouleroit, & ayant trouvé la pierre dans la veſſie, il ſeroit pour lors facile de la charger, & de la tirer par cette ouverture. La playe ſe geriroit ſans peine, parceque tenant le malade en une ſituation presque droite dans ſon lit, l'urine, qui ſe porte continuellement dans la veſſie, ne pourroit point monter juſques à la playe pour en empécher la reünion, comme elle fait aux deux autres manieres d'operer; & de plus l'urine trouveroit toujours ſon chemin ordinaire pour s'ecoler. Si la playe faite au ventre paroiſſoit trop grande, & que l'on crût ne pouvoir pas la reünir avec facilité, l'on pourroit y faire un point avec une aiguille courbe enfilée d'un fil ciré, & mettre ſur la playe un plumaceau couvert du beaume d'Arceus, puis un emplâtre, une compreſſe, & un bandage circulaire fait avec une ſerviette pour finir par le ſcapulaire, qui aſſurera tout appareil. Cette maniere paroit la meilleure; mais avant que de lui donner la préference ſur les deux autres, il faut qu'elle ſoit confirmée par pluſieurs experiences, dont la premiere ſe pourroit tenter ſur quelque criminel condamné à mort, & qui auroit la pierre. Je ne ſuis pas le ſeul, qui approuve cette operation; c'eſt le ſentiment de pluſieurs Medicins & Chirurgiens; & ſur tout celui de M. Fagon, premier Medicin du Roy, dont l'approbation l'emporte par les connoiſſances particulieres, qu'il a dans la nature. De hac methodo ita ſcribit Franciſcus Tolet *de la Lithotomie cap. 15. pag. 138.* ſi l'on ſe trouvoit dans la neceſſité de pratiquer le haut appareil, il ſemble qu'on pourroit y reuſ-

ſir

ſir faiſant coucher le malade ſur un matelas, & le tenant fermement, un ſerviteur indroduiroit (s'il etoit beſoin) les doigts indice & du milieu l'un aprés l'autre dans le rectum, âfin de faire monter la pierre le plus haut qu'on pourroit, & la tenir aſſujettie. Dans le même temps operateur feroit doucement inciſion au deſſus du penil & à coté de la ligne blanche. On ne manqueroit pas d'ouvrir le fond de la veſſie ſans bleſſer les parties du bas ventre, parce qu'elle eſt dans la duplicature du peritoine, & plus la veſſie ſeroit plene d'eau ou de la pierre, plus elle ſeroit apparente: La ſortie de l'urine faciliteroit l'introduction du bouton à curette, qui ſerviroit de conducteur à la tenette. Et comme il y auroit une conjecture apparament certaine, que la pierre ſeroit enorme ſi la tenette ne la pouvoit embraſſer, il conviendroit ce me ſemble ſe ſervir de deux crochets longs, & de les conduire par de là la pierre un de chaque côté pour la tirer; ou d'avoir des tenettes inciſives pour briſer la pierre, & enſuite en tirer le fragmens. Par le moyen l'on eviteroit la trop grande dilaceration des parties. Veſicæ autem calculum per epigaſtrium fuiſſe eductum, annotavit Franciſcus Sanchez in Obſervationibus medicis, uti refert Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 142. p. m. 225.* Cum talis ſectio ſit alea periculi plena, admonet Stephanus Blancardus *Inſtitut. Chirurg. Cap. 23. Oper. med. Tom. II. p. 380.* hunc modum primo in canibus inſtitui poſſet, ut experiamur num is modus ſit probatus. Et licet vulnera veſicæ, ſecundum Hippocratis effatum, lethalia eſſe dicantur, pace tamen magni medici, novimus aliquando fuiſſe ſanata. Quod etiam probant globuli ſclopetorum in veſica integra reperti, de quibus vid. *Urolog. noſtr. Cap. II. §. 23.*

§. 38.

Alius Modus Alium adhuc lithotomiæ modum ex Henrici Roonhuyſen chirurgi Amſtelredamenſis communicatione recenſet Stephanus Blancardus *Inſtitut. Chirurg. cap. 23. Oper. Tom. II. pag. 380. ſeq.* inquiens: tam per epiſtolas, quam patientes intelligimus inventionem novam & mirandam circa lithotomiam, quæ fit Burdigalæ in Gallia, a lithotomo quodam nomine Raoux Chaſtres, nunc vero Nemauſi commoratur. Ejus operatio fit tam in junioribus, quam adultis, idque longe alio modo quam hucusque in uſu fuit. Nam poſtquam patiens ab eo, idque ipſius methodo, cathetere eſt exploratus, absque ullius præſentia, ſemihoram circiter cum patiente per cubiculum ambulat, deinde illum in gremium ipſius miniſtri collocat, qui illum ita absque vinculis tenet; nullisque aliis utitur inſtrumentis, quam ſolummodo cultellulo falcato; aſt nullis faſciis aut vinculis; nullam quoque vim premendo abdomini infert, inſiliendo, aut elevando &c. Ad calculum in digitum dirigendum. Minori etiam fit labore atque periculo, absque anni temporis obſervatione, aut patientis temperamenti aut ætatis. Deinde duos in anum ducit digitos, quod facile fit, deinde digitis ad inguina calculum eo usque premit, quam fieri poteſt, & paulo altius; tunc cultellulo prædicto oblique, ad ordinariam quidem magnitudinem, aſt nonnihil altius, aperturam facit, incipiens a latere inguinis & oſſis iſchii, atque ſic pergens ad perinæum; quæ apertura fit (in eo loco ſecundum fibrarum ductum) uti videre eſt, modo ad rem accurate attenditur; parva enim ſecundum fibrarum ductum apertio plus etiam magis indulget, & ob rupturam melius dilatari poteſt, ſi vulnus nimium ſit parvum. Vulnus enim, quod requiritur in calculi eductione, melius eſt paulo parvum, quam magnum; cujus ope calculum

digitis

digitis facile exprimit, abſque auxilio alterius inſtrumenti. Porro poſt vulnus mundatum veſicæ cervicem iterum in locum ſuum premit, ex quo ante erat expreſſa; atque hoc modo præcavetur, ne per fiſtulam remanentem aut per urethram urinæ ſtillicidium remaneat. Porro vulnus ordinariis faſciis obligatum ad minimum intra ſeptem aut octo dies ſanatum eſt. Aliam inſuper legi epiſtolam, quæ de nova lithotomiæ methodo tractabat atque teſtabatur, chirurgum illum, eo tempore plus quam quinquaginta homines ſecuiſſe, annorum viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, ſexaginta, idque præcedenti modo, ſine ullius fiſtulæ remanentia; imo pauci aut nulli febri tentabantur, multo minus quiſpiam ſtillicidium patiebatur. De hoc lithotomo vid. Heinr. Roonhuyſ. *Obſ. Lib. II. Obſ.* 1. *p. m.* 7. *ſeq.* Plura de hoc Roux vid. Joh. Mery. *Obſ. de tailler de Frere Jacques p.* 7. *&* 10. *ſeq.* & Franç. Tolet *l. a. cap.* 16. *pag.* 146.

§. 39.

Reſtat adhuc alius calculum ſecandi & extrahendi modus monachi cujusdam, Fratris tertii Ordinis S. Franciſci, nomine Jacobi Beaulieu, qui anno 1697 Lutetiæ Pariſiorum vulgo ſub nomine Fratris Jacobi, ſive du Frere Jaques innotuit, de quo *Acta Erudit. Lipſ. An.* 1700. *Menſ. Oct. p.* 460. *ſeq.* ex Johanne Mery ſequentia referunt: Hic Frater, poſtquam Veſontione, ubi in Xenodochio, à la Charité appellato, ordinarie degebat, non minus ac in aliis Regni Franciæ locis pluribus, calculi veſicæ ſectionem, ut rumor tunc ferebat, ſatis feliciter adminiſtraſſet, tandem Pariſiis etiam quædam tentavit operationis ſuæ ſpecimina, & tanta quidem dexteritate atque promptitudine, ut vulgi applauſum mox conſequetur, & a pleriſque pro lithotomo inuſitatæ experientiæ & artis haberetur. Rumor hic poſtquam & Academiæ Scientiarum Regiæ in- *Fratris Jacobi*

notuit, Præſes ejusdem examen novi hujus lithotomi concredidit Johanni Mery, qui, viſa & obſervata in Noſocomio l'Hotel Dieu dicto prima ejusdem ſectione, facta in cadavere viri, in cujus veſicam ſtudio calculum intruſerant, non dubitavit in Reſponſione, Præſidi transmiſſa, fateri eſſe hanc Fratris Jacobi operationem conſvetæ aliorum lithotomorum omnino præferendam, quippe quam absque ulla muſculorum virgæ læſione, & ſine inciſione vaſis cujusdam majoris ſequenti modo inſtituiſſet. Immiſſo ſcilicet in veſicam cathetere ſolido, exacte rotundo, non ſulcato, differente itaque ab illo, quo utuntur, qui modo hactenus conſueto calculum ſecare ſolent, arripuit ſcalpellum ſimile illis, quibus utimur ordinarie, longius tamen, quo ipſo inciſionem fecit circa latus ſiniſtrum atque internum protuberantiæ oſſis iſchii, & progrediens inde oblique ſuperiora verſus, diſſecuit omne id, quod occurrit a dicta protuberantia usque ad catheterem ſuum, quem hactenus firmatum retinuit. Facta ſic inciſione, intruſit in vulnus veſicæ digitum, ad calculum explorandum, atque explorato ejusdem ſitu, immiſit in veſicam peculiare inſtrumentum; ad dilatationem vulneris atque exitum calculi faciliorem adaptatum. Supra hocce inſtrumentum intruſit in veſicam forcipem oblongam, & reperto tandem calculo, retraxit catheterem ſuum ex urethra ſimulque forcipem cum veſicæ calculo per patentem vulneris viam: id quod ſingulari præſtitit promptitudine, licet adæquaret fere calculus ovi gallinacei magnitudinem. Abſoluta ſic ſectione, inquirens Dominus Mery in partes illas, quas ſcalpello ſuo lithotomus hic penetraverat, obſervavit, applicaſſe eundem ſcalpellum inter muſculum erectorem atque acceleratorem ſiniſtrum, absque eorundem læſione, ac diſſecuiſſe tandem veſicæ collum per totam ſuam longitudinem, a latere, ſimulque corpus veſicæ

ipſum

ipſum, ad menſuram pollicis dimidii. Poſtquam autem Dominus Mery non ſolum altera vice operationem novi hujus lithotomi in Noſocomio l'Hotel Dieu examinaſſet in fœminæ & infantis cadavere inſtitutam, ſed & Anno 1698 inquiſiviſſet in partes læſas tredecim ſubjectorum a Fratre Jacobo ſatis infeliciter ſectorum, plane aliter de novo hoc lithotomo ſentire cœpit atque obſervavit, eundem rei anatomicæ penitus ignarum atque inconſideratò audacem, in hoc ſubjecto perforaſſe inteſtinum rectum, in illo ſeparaſſe urethram & virgam a veſicæ collo; in aliis corpus veſicæ perforaſſe, modo per exploratorium, modo per ſcalpellum, in aliis laceraſſe vaſa hypogaſtrica cum venis, arterias itidem ac nervos ſanguinem & ſpiritus ad corpus virgæ cavernoſum & portionem urethræ ſpongioſam ferentes, & iterum in aliis muſculos virgæ cum elevatore anus ſiniſtro diſſecuiſſe; in fœminis & puellis perforaſſe hinc inde vaginam; per operationem autem apparatus minoris fere ſemper contuſionem excitaſſe lethalem, facta inepta & violenta veſicæ atque inteſtini recti compreſſione. Denique dictus Johannes Mery *l. c.* ad quæſtionem, num Fratris Jacobi operandi modus reliquorum lithotomorum conſueto præferendus ſit? ex his potiſſimum rationibus negative reſpondet: 1) quod ſeparatio colli veſicæ ab urethra ſit effectus ordinarius operationis Fratris Jacobi: 2) quod incontinentia urinæ & fiſtulæ ſint ſymptomata nullo modo in ejusdem operatione vitanda, quæ tamen in ordinaria atque hactenus conſueta rarius ſint metuenda: 3) quod commemorata hæc ſymptomata per Operationem Fratris Jacobi excitata plane ſint incurabilia: 4) quod inſtrumenta, ipſi ſolennia, inepta ſint atque periculoſa, exemplo catheteris minus ſulcati atque dilatatorii inconvenientis. Siquidem præterea annotavit etiam, ex ægris illis, numero ſexaginta, a

Jacobo Beaulieu ſectis, viginti quinque periiſſe, & ex triginta quinque illis, qui ſuperſtites poſt operationem fuerunt non plures, quam tredecim perfecte fuiſſe reſtitutos, reliquos omnes in Noſocomiis reſtitiſſe ægrotantes & laborantes vel urinæ incontinentia, vel fiſtula, & omnes fere tabe atque maraſmo incurabili. Has Operationes Fratris Jacobi edidit Jean Mery Pariſiis 1700 vid. etiam *Hiſtor. Academ. Reg. Scient. An. 1699. p. 42. ſq.*

§. 40.

De hac Fratris Jacobi calculum ſecandi methodo totam Hiſtoriam recenſet Dionis *des Operat. de Chir. Demonſtr. III. p. 167. ſeq.* ubi inter alia ejusdem Operationem his verbis deſcribit: Il fait aſſeoir le malade ſur le bord d'une table expoſée au jour, il le couche enſuite à la renverſe, lui mettant ſeulement un, oreiller ſous la téte, il le fait tenir les deux cuiſſes écartées & ployées en enhaût les talons proche les feſſes par deux hommes tres-fortes, parce qu'il ne le lie point, s'en fiant ſur la force de ceux, qui le tiennent. Il introduit dans la verge une ſonde graiſſée, qui n'eſt point canelée, dont le bout luy ſert à pouſſer de la main gauche en dehors l'endroit de la veſſie, ou il doit faire ſon ouverture; puis prenant de ſa main droite un biſtouri long fait en forme de poignard, il le plonge proche la pointe de la feſſe gauche deux doigts loing du perinée, & le pouſſant droit vers la region de la veſſie, il l'ouvre dans ſon corps le plus prés de ſon col, qu'il le peut: il ne retire point le biſtouri, qu'il ne l'ait ouverte autant, que le demande la groſſeur de la pierre: Il ſe ſert d'un conducteur pour conduire la tenette, qui eſt à peu prés ſemblable aux nôtres; & ſouvent avant que d'introduire cet inſtrument, il examine avec ſon doigt fourré dans, la playe l'endroit ou peut être la pierre. Quand elle eſt chargée, il la tire promptement & rudement, ne reflechiſ-

reflechiſſant nullement ſur les mauvaiſes ſuites, que peuvent avoir les violences, qu'il fait pour l'extraire. S'il y en a pluſieurs, il les tire de même que la premiére, & lors qu'il les voit toutes dehors il croit avoir tout fait, car il ne ſonge pas même à apprêter un appareil, & il ne s'embaraſſe point de panſer ſes malades, ne ſe ſervant n'y d'aſtringens, ny de defenſifs, ſe contentant d'un peu d'huile & de vin pour tout remede appliqué ſur la playe, & lors qu'on luy a repreſenté le beſoin, que le malade a d'être bien penſé, il a repondu: je luy ay tiré la pierre, Dieu le guérira.

§. 41.

Licet autem calculoſorum, ab hujus Fratris Jacobi ſectione defunctorum, longe major, quam ſanatorum, numerus fuerit, nihilominus tamen ipſius methodum non penitus rejicit dictus Dionis, ſed ejusdem meliorationem atque perfectionem *pag. 174.* commendat, quoyque, inquiens, je n'approuve pas la maniere d'operer, de Frere Jacques, je ne la condamne pas abſolument; il y a du bon dans cette Operation. J'eu ay tiré deux utilitez, l'une ſur la ponction au perinée, que je conſeille de faire à l'endroit de la veſſie, où il fait ſon ouverture, pour en tirer la pierre; & l'autre ſur l'ouverture, que je propoſe de faire au fond même de la veſſie pour en tirer la pierre par le haut appareil. Enfin je ſuis perſuadé, qu'un chirurgien, bon Anatomiſte, qui ſçait conduire ſon inſtrument, & qui eſt maitre, de le porter, où il veut, pourroit reüſſir par la maniere de Frere Jacques, parce qu'il éviteroit tous les accidens, qui luy ſont arrivez, &c, De hac Fratris Jacobi calculum ſecandi modo prolixe etiam agit Laurentius Heiſterus *in Chirurg. Part. II. de Operat. Chirurgic. cap. 129. p.m. 642. ſeqq.* qui etiam *p. 647.* inquit: *Herr D. Rau ſcheinet dieſe Manier verbeſſert zu haben: Denn dieſer, wie ich geſehen*

ben habe; folget dem Bruder Jacob im Orte der Inciſion, ändert aber die Inſtrumenta, und brauchet bey der Inciſion einen Catheter mit einer Furche, und hernach die Conductores, das Männlein und Weiblein, gleich vvie bey der zvveyten Manier, und verrichtet dadurch dieſe Operation gar glücklich. Jedoch iſt in dieſer verbeſſerten Methode gar ſchvver eine ſo tieffe Inciſion zu machen und den Catheter zu treffen, ohne andere Theile zu verletzen &c.

§. 42.

Johannis Mery Occaſione autem hujus Monachi, Fratris Jacobi ſupra allegatus Johannes Mery novum ſecandi calculum modum communicat, quem pariter *ex Act. Erud. Lipſ. An. 1700. Menſ. Octobr. p. 463.* addere libet: ſcilicet ægro ligato & poſito in ſitu ordinario immittendus ſtatim manu dextra in veſicam catheter ſulcatus, deinde manu ſiniſtra inclinandus idem quoad extremitatem in manu detentam, verſus regionem ingvinalem dextram, ut curvatura ejusdem applicari queat verſus latus internum oſſis pubis ſiniſtri, ita ut catheteris ſulcata pars lateraliter conſpiciatur: poſtea, aſſumpto in manum dextram ſcalpello incurvato, tres aut quatuor pollices longo, trium linearum circiter latitudine in parte convexa acie inſtructo atque in extremitate ad pollices longitudinem aculeato, recta immittendum id ipſum in partem catheteris ſulcatam, directam verſus angulum, quem oſſa pubis per unionem ſuam efformant, pars aculeata autem ſcalpelli usque in veſicæ collum adigenda, & firmato bene apice in catheteris ſulco, inclinanda manus ad faciendam inciſionem, deſcendendo a collo veſicæ per latus internum oſſis pubis, usque ad protuberantiam oſſis iſchii. Facta hoc modo inciſione, intrudendus in veſicam conductor vel forceps, ut alias etiam fieri ſolet. Si hoc procedatur modo obtineri poterit, ut Autor exiſtimat eadem extrahendi calculum facilitas,

litas, quæ in Operatione Jacobi Beaulieu laudanda, abſque ullo tamen periculo, atrociorum ſymptomatum, quæ illam comitari ſolent. Evitari etiam hoc modo poterunt pleraque illa ſymptomata, in ſectione calculi ordinaria metuenda, ſiquidem urethra diſſecatur ad collum veſicæ usque ſine læſione muſculorum, virgæ, ſcrotum autem penitus illæſum permanet, cujus læſio alias fere ſemper hæmorrhagiis & gangrænæ eſt obnoxia. Abſoluta operatione ægrum dextro lateri incumbere jubet, ut ſcilicet mediante hoc ſitu urina facilius viam invenire per urethram poſſit, neque negligendam ligaturam conſuetam femorum ad genua ſuadet.

§. 43.

Paulo ante recenſitam Fratris Jacobi methodum quoque emendaſſe videtur Johannes Jacobus Rau, de quo Bernhardus Siegfried Albinus *in Indic. Supellect. anatomic. Academiæ Leydenſ. legat. Præfat.* ** *4. ſeq.* ubi curationem, quam calculoſis Rau adhibuit, ita deſcribit: Quod primo in Hollandia calculoſos curaverit, urethram in perinæo incidendo, apparatu, ut vocant, magno, certi ſunt graviſſimique teſtes. Conſtat etiam, quod Fratrem Jacobum operantem non ſolum viderit, ſed & quod mortuorum ab operatione ejus corpora aliquoties fuerit perſcrutatus. Deinde autem methodo nova ſua ſemper eſt uſus, qua eundem, quem Monachus ille, locum incidit. Propoſitum in hac operatione erat, non cervicem veſicæ incidere, ut primo fecerant, nec urethram, ut eo tempore plerique ſolebant, ſed veſicam ipſam, proxime cervicem ejus, a latere, nonnihil inferiora & poſteriora verſus. Quæ quidem veſicæ ſectio periculoſior per ſe multum eſſe non poterat, quam vel cervicis, vel urethræ. Et cum ſic urethra & cervix integra manerent, & neque inſtrumenta introducendo & vi magna diducendo, neque etiam calculum, magnum ſæpe & ſcabrum aſperumque, violenter

Raui

& crudeliter plane extrahendo, viæ hæ neceſſario anguſtæ partesque tenerrimæ, læderentur; & multa, quæ hæc conſequi fere ſolent, maximaque mala præcaverentur, longe vulgaribus antecellere videbatur. At cum veſicæ hæc regio non pateat, ſed penitus recondita ſit, perdifficilem quoque habebat acceſſum. Accedere autem inſtrumenta ad eam tantum poterant, ſi ægro ſupino, genubus ejus erectis, femoribus flexis modiceque diductis, cutis ad latus ani incideretur, & dein per eam plagam, oblique interiora & nonnihil ſuperiora verſus, culter ad dictam veſicæ regionem adigeretur, & vulnerata eo veſica, porro per factam viam forceps introduceretur eaque prehenſus calculus extraheretur. Et modo hæc recte peragerentur, nulla hic repoſita erat pars adeo princeps, ut magnopere obſtaret. Sed difficilem & periculoſam reddebant hanc operam cum diſcindendorum craſſities magna, tum quoque partium nobilium, & quæ lædi nullo modo debebant, vicinitas: Nam ſi chirurgus vel profundius, quam par ſit, cultrum adigeret, vel & ſcindendo de recta via deflecteret, periculum erat, ne aut veſicæ oppoſitum latus quoque pertunderetur, aut rectum inteſtinum ſeminalesque veſiculæ læderentur, aut ureter, colis erector, corpus cavernoſum majus urethra ipſa graviter vulnerarentur, immo abſcinderentur, aut hujusmodi alia, gravia omnia, fierent. Vulnere enim facto, cum per id forceps in veſicam intromittenda eſſet, facile erat a via aberrare, forcipemque non in veſicam, ut oporteret, ſed inter partes, juxta quas tranſire deberet, adigere, ibique aperire, diducere, forte etiam ea, quæ offenderet, prehendere, trahereque iisque omnibus non modo irritam facere operationem, ſed & mala plurima patrare. Et hæc quoque Fratri Jacobo evenire ſolita fuiſſe legimus & audimus; qui neque fabricam ſitumque harum

rum partium admodum intelligebat, neque certi quidquam habebat, quo cultrum forcipemque dirigeret. Quare tantum abeſt, ut methodum ejus laudemus, ut eam potius magno hominum detrimento & in perniciem miſerorum factitatam ab eo fuiſſe, palam affirmare non dubitemus. Et ſatius fuiſſet, de ea unquam ne cogitaſſe quidem, niſi optimæ inveniendæ occaſionem Rauio dediſſet. Hic enim cum fabricam & poſituram earum partium, quæ incidendæ vel vitandæ erant, perſpectiſſima haberet, nihil huic methodo deeſſe animadvertit, quam ut ratio inveniretur, qua inſtrumenta ad eam veſicæ regionem recta certoque dirigerentur. Eam enim invenit & adhibuit feliciſſime. Itaque negari quidem non poteſt, præiviſſe Rauio Fratrem Jacobum, hoc tamen ei hodieque & ſemper eſſe debet laudi maximæque gloriæ, quod peritia, ingenio & induſtria ſua id addiderit; quo ſolo curatio, cœteroquin incerta, periculoſa & plerumque pernicioſa, reddita eſt certa, tutior, & cœteris forte melior & præſtabilior. Addidit autem catheterem, ut vocant, qui gibba ſui parte ſulcum profunde infiſſum haberet: quem per urinæ iter in veſicam demitteret, & ad veſicæ locum qui incidendus erat, gibbo ſuo apprimeret, ut eum extrinſecus deprehendere, e regione ejus plagam cuti infligere, verſus eam cultrum porro dirigere, ſupra eum veſicam certo incidere inſtrumentaque pro forcipe tuto rectaque dirigenda immittere poſſet; plane ut apparatu magno fieri ſolet. Sed cum vulgares catheteres, quibus, qui urethram in perinæo incidunt, utuntur, plerumque leviter tantum curvati, iſti veſicæ loco apprimi facile non poſſent, novum excogitavit a vulgaribus diverſum, primo quod ibi, ubi rectus eſſe deſinit, ad ſulci ſui principium, curvaturam paulo majorem habeat, deinde quod ad curvaturæ iſtius extremum roſtrum rectius ſit &

 longius,

longius, ut cultrum ſupra id commode verſus poſteriora hinc & inde ducere, & amplam ſatis plagam veſicæ infligere poſſet. Videturque quod ipſa earum partium in corporibus humanis contemplatio, collata cum iis, quæ in operatione agenda erant, hæc ei ſuppeditaverint. In curatione autem ægrum collocabat, ligabat, teneri jubebat, eo fere modo, quo ſolent, qui urethram in perinæo incidunt: niſi quod ſupinum menſæ non admodum altæ ita imponeret, ut dorſum ejus depreſſius, nates vero elatiores eſſent; ut nempe locus incidendus eo magis pateret. Ipſe deinde ante ægrum dextro genu ad terram demiſſo innitebatur, cum interim ſiniſtra tibia erecta & cum femore angulum acutiorem faciens corpus magis ſuſtineret. Tum ſiniſtra manu cole prehenſo, dextra catheterem ſuum per urethram in veſicam ex arte demittebat. Hinc catheteris manubrium ſiniſtræ digitis & pollice prehenſum leniter & prudenter verſus ægri ventrem dextrumque inguem inclinabat; ut catheteris curvatura ſulcata, in veſica prope cervicem ejus hærens, applicaretur ad veſicæ locum incidendum, ad latus ſiniſtrum, &, uti dictum eſt, in principio, proxime cervicem, nonnihil inferiora & poſteriora verſus. Quo facto catheterem leniter ad eum locum apprimebat, eodemque tempore dextræ pollicem extrinſecus admovebat ad mollem natium regionem, quæ ad ſiniſtram ani eſt, inter eum & oſſis iſchii tuber magnum quod ſedentem ſuſtinet, e regione curvaturæ catheteris. Tumque catheterem pollicem dextrum verſus leniter impellendo, & viciſſim eodem tempore pollicem dextrum catheterem verſus a ſiniſtris & inferioribus dextrorſum ſurſumque premendo extrinſecus inveniebat & notabat locum, qui curvaturæ catheteris oppoſitus eſſet, cui nempe plaga primo erat infligenda. Is igitur erat ad latus ani ſiniſtrum, pollicem vel digitos transverſos duos

circiter

circiter ab eo verſus tuber oſſis iſchii remotus. Non propior ano, ne rectum inteſtinum facile læderetur; nec ab eo remotior, ne cultrum nimis oblique catheterem verſus adigere neceſſum foret. Tamen pro ætate, proceritate & varia harum partium in multis conſtructione & amplitudine, modo proprius anum, modo remotius ab eo, modo altius, modo demiſſius paullo, cutim incidebat; ſemperque locum intus veſicæ appreſſa catheteris curvatura ſatis indicabit. Invento loco, ibi primo cutem fere ſolam & pingvedinis pauxillum incidebat; plaga recta, longa ſatis, a ſuperioribus ad inferiora & exteriora, id eſt, verſus oſſis iſchium tuber nonnihil ducta; ut nempe a recto inteſtino recederet. Hanc autem primam plagam faciebat animo non valde ſollicito. Mox in eam plagam adigere ſolebat dextræ pollicem, vel & indicem, ea parte, quæ ungvi opponitur, catheterem verſus, quem ad locum veſicæ incidendum ſiniſtra, quantum poterat, applicatum tenebat; quærens iterum catheterem. Quo reperto retrahebat pollicem, ſtatim cultri ſui apicem in plagam prudenter, nec alte admodum, immittebat, & verſus catheterem, quem pollice paulo ante exploraverat, caute dirigebat, leviter diſcindens, quibus occurrebat. Et ne ſic rectum inteſtinum facile vulneraret, plerumque digitum in anum ægri leniter prius demittebat, ut recti inteſtini poſituram penitus cognoſceret, idque tanto certius vitaret. Cum ſic leviter ſcindendo fere ad veſicam perventum eſſet, iterum in vulnus introtrudebat pollicem indicemve, catheterem ut ante quærens, eumque, ſi ægri jactatione remotus forte eſſet, reſtituens; ſimulque accurate obſervans & memoria retinens locum poſitionemque curvaturæ catheteris, ſupra quam veſica ipſa proxime erat incidenda. Quod facturum circumſpectius agebat; hortabatur & obſecrabat adjutores, ne

ægrum ſe cluneſque præſertim ſuas jactare ſinerent; ægrum ut ſe contineret: ipſe catheterem ſiniſtra ad locum incidendum applicatum retinens, dextra confeſtim cultrum per plagam ad catheterem caute admovebat, ita ut ille non ſcinderet, ſed ut mucro ejus ad catheterem recta tenderet. Tunc attente & prudenter operam dabat, ut cultri mucronem in catheteris ſulcum punctim demitteret. Id autem ex ſententia ſucceſſive ſciebat, quamprimum cultri mucronem & catheteri inniti, & in latus utrumque leniter motum ſulci parietibus retineri deprehendebat. Tunc igitur cultri mucronem in ſulco catheteris circumſpecte & firmiter ſurſum deorſumque ducens, magis tamen deorſum, catheterem etiam cultro perite accommodans, veſicam incidebat, plaga non admodum magna. Eam vero a ſuperioribus ad exteriora nonnihil deſcendere faciebat ipſa catheteris poſitura; quod & neceſſarium plane erat, ne vicina læderentur. Curabat deinde, ne catheter a veſicæ plaga recederet, & immiſſo digito plerumque magnitudinem plagæ nudumque catheterem explorabat; præſertim ſi eum loco motum eſſe ſuſpicaretur: oportebat enim catheteris ſulcum veſicæ plagæ nudum adſtare, ut conductorem marem in eum certo demittere poſſet. Itaque poſtquam quietem iterum imperaſſet, dextera conductorem marem prehendebat, & per vulnus verſus catheterem attente, prudenter, firmiterque adigebat, & pertentando efficiebat, ut ſulcum catheteris ingrederetur, nihilque eſſet interceptum; quod reſiſtentia & durities ſatis ei indicabant. Qua de re cum eſſet certiſſimus, conductorem dextera fortiter impellebat, catheteremque eo repellebat, & eodem tempore catheteris manubrium ſiniſtra ad ſe leniter ducebat. Qua opera efficiebat, ut catheteris curvatura a plaga veſicæ recederet in cavum ejus, & ſimul conductor, ſulco curvaturæ

vaturæ catheteris ſemper innitens, impulſusque, tuto certoque in veſicæ cavum penetraret. Hinc conductorem leniter huc & illuc movebat: qui ſi nudo tunc catheteri & calculo præſertim occurreret, tanto firmius ſciebat, hærere eum in cavo veſicæ. Cætera, ut apparatu magno fieri ſolet, peragebat. Nam dextera conductorem marem in veſica detinebat; ſiniſtra catheterem ex ea per urethram protrahebat. Dein conductorem marem ſiniſtra prehendebat; dextera fœminam, ducente mare, in veſicam demittebat. Tum ambos conductores ſiniſtræ digitis ſcienter diductos tenebat, & inter eos forcipem dextera in veſicam recta introtrudebat. Hinc conductorem fœminam extrahebat. Forcipe pertentando calculum quærebat; ut eo reperto ſecurus eſſe poſſet, forcipem a via non aberraſſe, ſed vere in veſicæ cavum introductam fuiſſe. Dein conductorem marem quoque extrahebat. Forcipem plerumque aliquoties & valide ſatis aperiebat, cum, ut vulnus diduceret, tum ut veſicam dilataret, & quantum poſſet a calculo removeret. Denique forcipe calculum quærebat, prehendebat & extrahebat; easdem plane adhibens cautiones, ac ii ſolent & debent, qui urethram in perinæo incidendo hanc curationem bene peragunt. Extracto calculo, inſtrumentis per vulnus immiſſis explorabat veſicam, ut, num & alter adeſſet, cognoſceret. Calculorum fragmenta, arenulas & ſanguinis grumos, cochleari apto vel indice, ſæpe educebat. Ægrum ſtatim plerumque in lectum reponi ſupinum curabat. Vulnus nec turunda, nec emplaſtro, nec ligatura occludebat, ſed primis ab operatione diebus apertum ſervabat. Interim ptiſanam vel tenuem emulſionem affatim bibendam dabat, ut copioſa aqua in veſicam influens eam elueret, & per vulnus patulum continuo effluens, arenulas & ſanguinis grumos, & ſi quid præte-

præterea peregrini adeſſet, ſecum abriperet. Quo facto vulnus dein recentis inſtar ſanabat. Quam dextere autem, & quam celeriter, iſtam operationem ſemper peregerit, teſtes ſunt pene innumeri; & recitare poſſem graves, doctos, celebres, viros præſentesque: quam bene & feliciter, eventus poſtea confirmavit; plerique enim curationi iſti graviſſimæ ſupervixerunt; ab ea belle ſatis ſe habuerunt, & tempore etiam extra fidem brevi ita convaluerunt, ut nec fiſtula, nec urinæ præter voluntatem effluvium, nec ſterilitas, aliaque, quæ urinæ iter ſectis accidere ſolent, eos dein afflixerint. Et licet hæc res majorem in fœminis habere difficultatem habere videatur, iis tamen eandem curationem adhibuit, modo viro uſæ non fuiſſent, nec peperiſſent: atque in iis etiam ſucceſſu non caruit. Ibidem etiam catheteres novos, a dicto Rauio pro meliori operatione inventos, æri inciſos reperire licet.

§. 44.

Item Hujus Rauii modum explorationis calculi veſicæ atque lithotomiæ annotavit Chriſtianus Henricus Erndelius *in Itinerario ſuo Anglicano & Batavo pag. 120. ſeqq.* ſequentibus verbis: Die 21. Januar. 1707 veniebat ex pago Cromenic puer ſedecim annorum, incontinentia urinæ ac doloribus in regione hypogaſtrica enormibus laborans. Indicia aderant calculi, quo de ut certus eſſet præceptor noſter D. Raw, ſequenti modo explorationem inſtituebat: Proſtrati ac reſupinati in pavimentum pueri caligis exuti virgam læva apprehendebat, ac dextra catheterem incurvatum conſuetum, oleo prius madefactum, in urethram intrudebat, eo quidem modo, ut catheteris pars incurvata primo perinæum verſus duceretur, donec usque ad os pubis venerat, quo in loco ſenſim catheterem invertebat, ita ut partem incurvatam in cavitatem ventris dirigeret

atque

atque ita in veſicam ipſam ſtatim penetrabat. Nobis tunc etiam tractandi catheterem, atque explorandi in hoc ſubjecto calculum copiam dabat, & facillime quidem, moto hinc inde cathetere ſentiebamus lato ſatis ac grandi calculo eundem inſiſtere. His peractis promittebat ſectionem menſe Martio, remittente frigore hyberno, peragendam, atque interim patienti potum lactis calidi, loco potus ordinarii, injungebat. Cauſam autem incontinentiæ urinæ a magnitudine calculi, parietes veſicæ continuo prementis, unde nunquam deſinens veſicæ contractio atque involuntaria mictio, deducebat. Poſtea die 17 Februar. Anni 1707 ego & Dn. Wickham Anglus proficiſcebamur cum D. Raw Cromenicum, pagum in ditione Harlemenſi ſitum, ubi in puero illo calculi ſectionem ſequenti modo adminiſtrabat: Inſtratis arculæ ſesquipedali altitudine a pavimento prominentis, duobus pulvinaribus, quorum alterum alteri ex parte erat ſuperimpoſitum, ſtratoque ſuper his mantili duos cubitos lato, quod in anteriori arculæ parte pavimentum fere dependens attingebat, puerum veſtimentis usque ad induſium exutum, atque in ventre faſcia ligatum, ita locabat, ut poſteriora ejus altius fere, quam ipſum caput eſſent poſita. Tunc utrique pueri brachio circa carpum injiciebat vincula ex lana parata, quibus, repreſſis aliquantum pueri genubus, pedibus ejus manus alligabat & firmabat. Pedes ex utroque latere manu prehendens famulus divaricabat aliquantum, aliis duobus paraſtatis caput & ventrem pueri ſtringentibus, ne loco moveretur. His præmiſſis, & puero ita locato, ut poſteriora ejus arculæ oris incumberent. D. Raw, inflexo altero ſaltem in pavimentum genu, ſe ante ægrotantem ſiſtebat, catheterem communem oleo madefactum virgæ intrudens, calculum denuo explorabat, mox eundem extrahens, alium ſulcatum immittebat, adeo

profunde quidem, ut in perinæo digitis eundem ſentire poſſet, mox inciſionem in ſiniſtra perinæi, quatuor digitos a tuberoſitate oſſis iſchii, & digitum latum ab ano, ſcalpello faciebat, quem inciſionis locum catheter monſtrabat verſus perinæum depreſſus. Erat autem ſcalpellum foliatum, pollicem fere latum, lanceolam communem figura exprimens, quod faſciola ita involutum erat, ut articuli digiti altitudine cuſpis ejus denudata ſaltem emineret. Facta hac prima per cutem, pinguedinem & muſculos inciſione, itinerarium applicabat, & ſuper hoc ſcalpello in collum veſicæ usque penetrabat, tunc ſcalpellum vulneri infixum manu firmiter tenendum mihi tradebat, ipſe autem interea forcipem arripiens, eandem inter itinerarium ac conductorem, extracto prius ſcalpello, intrudebat, dilatatisque, per dicta duo inſtrumenta, vulneris labiis, prehenſoque cum forcipe calculo, feliciter eum extrahebat. Erat autem calculus extractus ovi gallinacei minoris magnitudinis, ſanguine madidus, atque ex altera parte tenuiſſima membranula obductus, ubi forte cum veſicæ latere aliquantulum coaluerat, ſphæricæ de cætero fere figuræ, ac ſaxi craſſioris arenoſi ad inſtar, inæqualis. Vulneri ſpongia deterſo nil niſi lintea carpta applicabat, idemque obligabat, impoſito ſaltem plumaceolo. Ita obligatus ægrotus lecto immittebatur, natibus autem pulvinar avena infarctum ſubſternebatur, ut urina ex vulnere ac fecibus ex alvo excipiendis inſerviret. Feneſtras cubiculi claudere jubebat, ne lux ægrotanti quietem impediret; pro conciliunda autem hac emulſionem anodynam pro lubitu uſurpandam, porrigebat. Poſt operationem lecto jam traditus de doloribus intenſiſſimis in glande penis querebatur calculo liberatus, quod per conſenſum accidit in omnibus, quem urethræ membrana cum interiori veſicæ habet. Et *p. 125.* pergit Erndelius: Die ſeptimo Martii vidi aliam litho-

lithotomiam ab eodem meo præceptore, in puero hebræo ſeptenni adminiſtratam, in qua præter jam enarrata nihil ſingulare occurrebat, niſi quod inteſtinum rectum ſæpius inter clamores patientis prolaberetur, quod ſemper oleo madefacto digito reponebat, ne in operatione impediretur.

§. 45.

Alius adhuc calculum ſecandi methodi mentionem facit Johannes Freind *Hiſtor. Med. Part. III.* juxta verba gallica *d'Etienne Coulet p. 96.* P. Franco fait mention de l'une de nouvelles manieres, qui ſe trouve recommendée par Rouſet, & que l'ingenieus Monſieur Jean Douglas a fait revivre parmi nous. C'eſt de faire une inciſion dans la veſſie même, â travers le muſcles abdominaus, au deſſus de l'os pubis. Il y en a encor une autre que l'on apelle ſection laterale, dont le Dr. Douglaſs a donne une deſcription ſi ample, & ſi exacte. C'eſt une Operation, dont Frere Jaque eſt l'inventeur; & que le Profeſſeur Rau a beaucoup perfectioné. Mais comme tant l'une que l'autre, de ceus deus operations, eſt encor aujourd'hui comme dans ſon Berceau parmi nous; quoi qu'il ſoit vray qu'il n'y a point de lieu ou on le faſſe avec plus d'adreſſe; on doit s'en remettre à l'experience, & attendre, qu'elle decide, la quelle des deus merite d'étre preferée à celle, dont Marianus nous vient de donner la deſcription. *Douglaſs*

§. 46.

Ad fœminarum quoque progrediendum eſt lithotomiam, paulo enim aliter illæ tractantur, & quidem ſub minore aeque ac majore ſecandi apparatu. In minore enim, digito in puellis tenerioribus per anum, in majoribus per vaginam uteri immiſſo, ſimulque per miniſtrum compreſſo hypogaſtrio calculus cervici veſicæ adducitur. *Sectio fœminarum.*

Hinc catheter ſulcatus rectus & brevior urethræ immittitur, ut hujus rima extrorſum vergat, manu miniſtri detinendus. Quo facto orificium dilatatorio per foſſulam illius introducto dilatatur, ita tamen, ne per nimiam diſtenſionem fibræ ſphincteris lacerentur & involuntarium urinæ profluvium contingat. Poſtmodum vero inſtrumentis his extractis, digitis meatus apertus detineatur, calculusque lapidillo aut tenaculo congruo educitur. In majore vero apparatu poſt decentem ſituationem atque deligationem introducitur conductor & cum hoc dilatatorium ſimplex, quod, dum apertum, latus urethræ alterum paululum incedit, dilatatorium vero eousque contineri debet, donec calculus forcipem ſequatur. Vix enim credibile, quantum urethra in fœminis æque ac viris diſtendi queat; Id quod etiam ex ſupra adductis magnorum calculorum e veſica excretis apparet.

§. 47.

Methodum apparatus minoris pro ſectione fœminarum Albucaſi fuiſſe notam, quanquam ipſe operationem non exercuerit, ſtatuit Joh. Freind, cujus verba anglica ex *Hiſtor. Medicin. Part. II.* gallice ita reddidit *Etienne Coulet p. 94. ſeq.* Albucaſis donne en particulier la methode de faire l'Operation aux femmes par inciſion. La methode qu'il preſcrit eſt d'introduire le doigt dans la partie naturelle & en preſſant ſur la veſſie avec la main gauche, conduire doucement la pierre auſſi bas, qu'il eſt poſſible depuis l'orifice de la veſſie, jus qu'aus bas, ou a la racine de l'ós coxæ: & la, de faire une inciſion ſur tout l'endroit, ou l'on ſent la pierre. Cette inciſion doit neanmoins être fort petite d'abord. On doit enſuite introduire un radius; & ſi on ſent la la pierre, on doit aggrandir l'inciſion a proportion de ſa groſſeur. Il paroit par cette deſcription, que la place d'inciſion eſt bien plus

baſſe,

baſſe, que Celſe ne preſcrit de la faire ; à ſavoir, entre le paſſage de l'urine & l'os pubis, en commençant probablement depuis la partie inferieure du vagina. Cela paroit encor évidemment par une autre circonſtance: car l'une des raiſons, qui donne de la difficulté de cette Operation, beaucoup plus grande, dit il, dans les femmes, que dans les hommes, eſt que l'endroit, ou ſe fait l'inciſion, eſt beaucoup plus éloigné dans les femmes, de celui, ou eſt la pierre; & par conſequent demande une inciſion plus profonde, ce qui ne ſe peut faire ſans que le danger en ſoit plus grand. L'endroit marqué ici pour l'inciſion par Albucaſis, eſt entierement le même, que celui ou Frere Jacques & aprés lui Mr. Rau avoient accoutumé de la faire; quoique ie ne me puiſſe pas facilement perſuader, que ni l'un, ni l'autre, ait apris cette maniere de tailler de la pierre, de l'auteur, donc je parle ici. On peut encor faire une remarque, qui eſt qu' Albucaſis ordonne deus ſortes d'inciſions, dont on doit ſe ſervir ſelon les occaſions, comme feſoit Mr. Rau, pour arriver plus ſurement à la pierre. On peut faire l'inciſion à cet endroit ſans bleſſer le vagina (faute dont Frere Jacques étoit ſouvent accuſé) particulierement dans les vierges. C'eſt pour cette raiſon ſans doute, que M. Rau remarque fort judicieuſement, que l'operation eſt bien plus difficile dans les femmes, qui ont eu la compagnie de quelque homme, ou qui ont en des enfans: Car alors le vagina étant beaucoup plus dilaté, il ſe rencontre bien plus aiſement dans le chemin de l'inſtrument; & dans ce cas on voit bien, qu'il faut neceſſairement, qu'il ſoit ouvert en deux endroits. &c.

§. 48.

Juxta Guilh. Fabric. Hild. *de Lithot. Veſic. cap. 22. p. 144.* muliere ad inciſionem diſpoſita & alligata chirugus ſtylum *Autorum Verba*

ſuum exploratorium ſeu catheterem ad calculum usque in veſicam immittat; catheterem vero iſtum non usque adeo incurvatum & intortum neque etiam tam longum, ut in viris, ſed dimidia parte breviorem, & paulo craſſiorem, habita imprimis ægræ ratione, eſſe oportet. Supra hunc quidem catheterem, conductorem ſeu ſemiſpeculum ad calculum usque intromittat lithotomus, quo facto, tenaculam in parte anteriore non plane rotundam, ſed aliquo modo acuminatam, per ſemiſpeculi cavitatem, donec calculum inveniat, intrudat, tumque ſemiſpeculum, ut manus utraque libera ſit, extrahat: poſtea indicem & medium digitos ſiniſtræ manus in collum matricis immittat, calculumque ad tenaculam adducat, & ut eum prehendere atque extrahere poſſit, omnem diligentiam adhibeat. Quod ſi prima vel ſecunda vice non ſuccederet, ita ut calculus e latere ſaltem prehenſus, e tenacula elaberetur, tunc non minus in fœminis, quam in viris ab opere minime deſiſtendum, verum tenacula toties, donec prehenſus extractusque fuerit calculus, immittenda erit. &c.

§. 49.

Fieni De ratione ſecandi calculum in mulieribus adultis ita loquitur Thomas Fienus *Libr. Chirurg. Tract. IX. cap. 12. p. m. 76.* Ratio ſectionis in mulieribus adultis ac conjugatis eſt talis. An calculus in iis ſubſit, exploratur digitis non in anum, ſed in cunnum immiſſis, & antrorſum verſus ſitum veſicæ incurvatis. Exploratur etiam per immiſſum catheterem; ſed catheter in illis debet eſſe rectus, & minime, ut in viris, curvus, & debet eſſe brevior, quia meatus urinarius in illis & rectior & brevior eſt, quam in viris, & imponitur minori moleſtia & dolore, eo quod in iis canalis ſit laxior. Ex quibus apparet, quod modus explorandi calculum in iis ſit longe facilior, quam in viris. Cum conſtiterit, eas calculo laborare, compoſitis in

ſcamno,

ſcamno, ut de viris dictum, catheter ille, qui itinerarium dicitur & foſſulam habet, ſeu rimam, in canalem urinæ imponi debet, ſic ut in rimam extrorſum vergat, & ut novacula in eam incidere poſſit. Illud itinerarium quoque debet eſſe rectum & brevius, quam in viris. Tum ſuper pudenda, inter canalem urinæ & os pubis, & non in perinæo, uti de viris diximus, facienda ſectio eſt, ſic, ut novacula itinerario reſpondeat & in ipſum incidat. Tunc digitis ſiniſtræ manus in cervicem uteri immiſſis calculus ad vulnus protrudatur, & vel uncis, vel tenaculis extrahatur &c. Et de puellis & virginibus ſcribit: Cum puella ſecari debet, ſi eſt infra ſeptem aut decem annos, debet ſecari, ſicut pueri maſculi, digitis in anum, non autem in genitalia, ſicut in mulieribus, immiſſis & tota reliqua ſectio eſt minoris apparatus. In iis, propter ætatem digiti ſine magna violentia in genitalia immitti non poſſunt. Locus ſectionis idem eſt, qui in magnis mulieribus ſecandæ ſunt virgines provectioris ætatis, poſſunt illam digitorum in genitalia immiſſionem tolerare. Itaque præſtat eas ſic ſecare, quam digitorum in anum immiſſione. Facilius enim ac ſecurius tam ſectio procedit; propterea quod uterus veſicæ ſit vicinior, quam rectum inteſtinum.

§. 50.

Secundum Johann. van Horne *Microtechn. §. 21. p. 449.* in fœmineo ſexu, ſive ſit virgo, ſive nupta, longe minori negotio & citra ſectionem aut ſanguinis magnam effuſionem hanc operationem peragere licet; quia enim veſicæ foramen in pudendo ſtatim occurrit viſui, ſufficit ſolum catheterem immittere, & intra ejus ſulcum mox dilatatorium inſtrumentum indere, denique lapidem extrahere. Interdum tamen ob calculi magnitudinem parva inciſio facienda in orificio veſicæ, a qua nihilominus, ut & a nimis *Hornii*

violenta

violenta dilatatione, periculum eſt metuendum, ne læſo ſphinctere ſequatur involuntaria urinæ emiſſio &c. Breviter etiam, quomodo in fœminino ſexu lithotomia peragatur, delineat Stephanus Blancardus *Inſtitut. Chirurg. cap. 23. Oper. p. 384.* eodem, inquiens, modo fœminæ ac viri vinciuntur, & urethra iis ſpeculo matricis ſenſim dilatatur, per cujus aperturam calculus extrahitur. Aut unctis digitis, vaginæ immiſſis, lapis verſus urethram premitur & a lapidillo prehenditur. Sed aliquando lapis adeo magnus eſt, ut per dilatatam urethram nequeat educi, tunc digiti vaginæ immittuntur, ut calculus usque ad veſicæ collum adducatur, ſupra quem per vaginam & veſicæ calculum ſecatur, cultello vaginam dilatando, deinde in circumferentia colli veſicæ aut urethræ, interim ſerum effunditur. Vagina ac urethra primo oleo per ſiphonem lubricata, conductor urethræ intruditur, cavitatem verſus vaginam convertendo, deinde oblongo cultello ſecatur, ſecundum longitudinem lævæ manus, quæ in vagina eſt. Tunc foramen inciditur, ac pro calculi magnitudine, requiritur, cultello recta perſecando. Operatio illa melius videndo addiſcitur, quam legendo, ideo raro tuto aggreditur, niſi ab iis, qui ſæpe adfuerunt. vid. etiam ejusdem Blancardi *Kunſt-Kammer der Chirurg. Lib. II. c. 21. p. m. 145. ſq.*

Blancardi

Valentini

Annotante Michaele Bernh. Valentini *Chirurg. Med. Sect. III. cap. 7. p. 351.* in fœminis quandoque ſolo inſtrumento dilatatorio urethra extenditur, & calculus, ſi minor fuerit, duobus digitis ano vel vaginæ uteri immiſſis, ad veſicæ collum pervolvitur, poſteaque obtuſo unco vel forcipe, nulla ſectione facta, extrahitur: ubi vero calculus grandior eſt, quam ut per urethram dilatatam educi poſſit, majori inſtrumentorum apparatu opus eſt, & prius catheter ſulcatus atque rectus, vel conductor cum dilatatorio in veſicam immittendus, dein urethra dilatata ſcalpello

pello dextre admoto paulatim incidenda, calculusque tenaculo idoneo caute protrahendus eſt.

§. 51.

Secundum verba Johannis Baptiſtæ Verduccii *des Operat. de Chirurg. Cap. II. p. 42. ſeq.* on peut faire l'Operation de la taille dans les femmes & dans les filles par le petit appareil, mais il vaut mieux le faire par le grand appareil, parce qu'on ne leur fait pas tant de violence. On les taille au petit appareil, en mettant le doigt indice & celuy du milieu dans le vagin ou dans le rectum, ſi on le peut, pour tenir la pierre ſujette: de l'autre main on comprime l'hypogaſtre pour la faire deſcendre; on introduit la ſonde canelée dans l'uretre; on le donne à tenir à un ſerviteur; on dilate l'uretre avec un dilatatoire; que l'on conduit dans la canelure de la ſonde. Il ne faut par dilater trop avant, parceque l'uretre étant court, on dechireroit le ſphincter, ce qui cauſeroit un ecoulement involuntaire d'urine. Apres avoir dilaté, on retire la ſonde, & l'on tire la pierre avec un crochet, ou avec des tenettes. Le grand appareil pour les femmes ſe fait de cette maniere: La malade etant ſituée & retenuë, il y en a qui introduiſent dans l'uretre des conducteurs, entre les quels ils gliſſent un dilatatoire pour introduire les tenettes. Si la pierre eſt trop groſſe, on peut faire une petite inciſion à l'uretre à droite & a gauche, & dilater encore une ſeconde fois pour tirer la pierre plus facilement. Il faut, s'il eſt poſſible, eviter l'inciſion, parceque l'uretre des femmes ſe dilate extraordinairement. On peut ſe ſervir d'un gorgeret étroit, qui ſervira de conducteur aux tenettes. *Verduccii*

§. 52.

Hoe men de vrouwen de Steen afhalen ſal, docet Cornelius Solingen *van de Manuale Operatien Part. III. cap. 16. p. 192. ſeq.* his verbis: Tot het ſnyden in de vrouwen *Solingii*

komt men niet ligt, tem ſy de Steen heel groot is, om dat ooek de ſphinĉter veſicæ in het ſnyden gequetſt werd. Indien de Steen ſoo groot is, dat niet wel door de Vingeren in de vulva voor, en heel na by den hals van de Blaes kan gevoert werden: om op die door de vulva, en krop van de Blaeſe, de vulva wat opdringende met het Mesje, en dan in det bovenſtee van de ronte, te verſtaen van de collum veſicæ, of meatum urinarium te ſnydem, op dat het water als door een goot, ſchoon boven open; paſſere, en niet onder doorlecken of druypen ſoude; waer toe oock de opgedrongene, en nu over de ſnede in de waterwegh geſackte of geſchovene gedeelte van de vulva veel helpt, ſoo ſteeckt men in de Meatum urinarium, die ſo wel als de Blaſe, eerſt met een groote quantiteyt olie, door onſe ſpeuyt glad gemaeckt zijnde, een houte glad en holle regte ſtaff dringende des ſelfs holligheyt, na de vulva toe, en dan ſnyd men met een langh Mesje, even als dat voor de cruciale inciſie is gemaeckt, langs de voorſte Vinger van de regter Hand, in de vulva gebragt, door deſelve en den hals van de Blaes, en maken d'openingh ſoo diep en hoog in de vulva, en ſoo lang als de grootheyd van de Steen ſal indiceren; ſettende in 't begin van de ſnede het Mesjes punt regt direĉt door, als van de cruciale of triangulaire inciſie geleert is, ſich wagtende, te na voor aen de rand, of uyterſte van de waterwegh te komen, om d'incontinentie van Water te verhœden. Anderſins in de Blaes olie geſpeuyt hebbende, brengt men door te twee voorſte Vingeren van de ſlincker Hand in de vulva gebragt, de Steen ſoo verre voor als men kon, en ſnyde, als geſegt is, op de Steen, deſelve met de Vingeren uyt douwende, of met een lapidil van boven nederwaerts, den Steen uyt treckende, of men haeld die met een Steentangh die wat krom, breed en weynigh hol of platagtigh is, uyt. &c.

§. 53.

§. 53.

Secundum Dionis *des Operat. de Chirurg. Demonſtr. III. p. 164. ſeq.* l'on taille ordinairement les femmes de deux manieres, ou pour le petit appareil, ou par le grand appareil. Dans le petit appareil, outre qu'on y employe peu d'inſtrumens, on ne fait aucune inciſion, voicy comment: La femme étant ſituée dans une chaiſe haute, panchée en arriere, les cuiſſes écartées, & elevées, l'on prend la ſonde droite, que l'on trempe dans l'huile, & que l'on introduit par l'uretre dans la veſſie pour chercher la pierre avec cet inſtrument. La canelure, qui eſt à la ſonde, ſert pour conduire dans la veſſie le dilatatoire, qui n'y eſt pas plûtôt entré, qu'on retire la ſonde; & avec le dilatatoire on elargit l'uretre, en quoy on n'eſt pas obligé de faire de grands efforts, vû que ce conduit eſt dilatable au de la de ce qu'on en peut croire. On retire en ſuite la machine; puis l'operateur ayant huylé ſes deux doigts de la main gauche, il les introduit, comme on a dit auparavant, dans le vagina, ſi c'eſt une femme, ou dans l'anus, ſi c'eſt une fille; & de ſa main droite appuyant ſur le ventre, il approche doucement la pierre du col de la veſſie, d'où elle entre aiſément dans l'embouchure de l'uretre, que l'on aura dilatée. Lorsqu'il voit la pierre, il ote ſa main droite de deſſus le ventre de la malade, y ſubſtituant à ſa place celle d'un ſerviteur, & tenant les doigts de l'autre main toûjours dans le vagina, ou dans l'anus, avec les quels il pouſſe la pierre dans l'uretre; il prend un crochet, qu'il coule derriere la pierre, pour la faire ſortir dehors, comme aux enfans, que l'on taille par le petit appareils. Il y a des operateurs, qui pretendent, que le grand appareil eſt moins douloureux, que le petit, ce qui fait, qu'ils luy donnent la preference: vous en pourrez decider, quand je vous auray expliqué

Dionis

celui qui nous reſte. Il faut ſituer la malade ſur la chaiſe, lui mettre les echarpes, comme aux hommes, la faire tenir par des ſerviteurs, & lui gliſſer dans l'uretre la ſonde, ou un conducteur, qui puiſſe ſervir de guide a un dilatatoire ſimple fait exprés pour les femmes. En voila de deux façons, l'un ſans reſſort, & l'autre avec un reſſort, qui le fait ouvrir plus commodement. L'on peut ſe ſervir de l'un ou de l'autre; mais, le dilatatoire a reſſort eſt plus d'uſage. Ayant écarté doucement l'uretre, & le dilatatoire étant ouvert, il faut avec un biſtouri étroit, couper à droite & à gauche un peu de l'orifice extreme du canal de l'urine. On en coupera un peu plus ou moins, ſelon que l'on jugera, que la pierre ſera plus ou moins groſſe: on retire en ſuite le dilatatoire, & ſur la ſonde, ou ſur le conducteur, qu'on aura dans l'uretre, on conduit la tenette dans la veſſie, & l'on retire le conducteur: avec la tenette l'on cherche, & l'on ſaiſit la pierre, que l'on doit tirer au dehors par des petites mouvemens, qu'on fait alternativement de côté & d'autre, ſans grande violence. L'on peut ſe ſervir d'un petit gorgeret, plus etroit que celui, qu'on employe pour les hommes; & il y eua, qui ſe contentent d'une ſonde creuſe. Le moins d'inſtrumens, dont on ſe peut ſervir, c'eſt toûjours le meilleur. De toutes les femmes, que l'on taille, il y en a plus des trois quarts, à qui il reſte un ecolement involontaire d'urine, ſur tout de celles dont on a tiré une groſſe pierre, (& accident eſt immanquable par la trop grande dilatation, qui forſe & rompt le reſſort des fibres de l'uretre & du ſphincter. Si l'on pouvoit tirer la pierre par le haut appareil, on eviteroit cette incommodité; mais je n'oſe pas la conſeiller avantque d'en avoir vû pluſieurs experiences: toute fois comme ce moyen à pû reuſſir à des hommes, je ne doute point, qu'il ne convienne auſſi aux femmes. Il ſeroit

donc

donc à ſouhaiter, que ceux, qui ſont dans un uſage ordinaire de tailler fiſſent des eſſais de cette pratique ſur des ſujets privez de vie, & qu'ils ſe hazardaſſent de la tenter ſur des femmes qu'ils preverroient ne pouvoir étre delivrées, que tres-difficilement, & avec beaucoup de danger, par le grand & le petit appareil, qui ſeront toujours plus penibles aux malades que le haut appareil.

§. 54.

Secundum verba Michaelis Bernhardi Valentini *Chirurg. medic. Sect. III. cap. 7. §. 10 pag. 360.* in fœminis, calculus veſicæ minor cathetere recto exploratus, digitis in vaginam uteri poſitis verſus collum veſicæ protruditur, & poſtea ex urethra dilatatorio diſtenta unco eruitur. Grandior autem per urethram dilatatam & cultello utrinque ſecante paululum inciſam forcipe extrahitur, dein partes læſæ deligantur. Quoniam autem urethra & ſphincter veſicæ violenta dilatatione & calculi majoris extractione valde læditur, ac ſæpius dilaceratur, adeo ut debite conſtringi nequeat, ſicque involuntariam mictionem plerisque fœminis inferat, ideo nonnulli ex chirurgis modernis lithotomiam altioris apparatus ſuadent, quam etiam in viris, ſi major calculus extrahendus eſt, proficuam tutioremque eſſe dicunt majori apparatu. *Valentini*

§. 55.

De lithotomia fœminarum inquit Franciſcus Tolet *de la Lithotomie Cap. XVII. p. 149. ſeq.* La pratique nous a appris, que lorsque la pierre eſt tellement ſituée, qu'elle peut être tirée par le petit appareil ſur le ſexe feminin, l'on peut faire cette Operation introduiſant les doigts dans l'anus, tant aux femmes, qu' aux filles, l'epaiſſeur du vagin n'mpêchant pas la compreſſion neceſſaire pour aſſujettir la pierre: on ſe ſert enſuite de la ſonde creuſe droite, qu'on fait tenir par un ſerviteur, aprés que l'operateur *Tolet*

l'a introduite, dans l'uretre, & on en dilate l'orifice avec un dilatatoire ſimple conduit dans la canelure de la ſonde; Il ne faut pas dilater trop avant, parceque le canal eſt court, & que les fibres trop dilatez & presque lacerez ne pourroient plus ſe reſſerrer pour empêcher l'ecoulement involontaire d'urine: la dilatation faite on retire la ſonde & le dilatatoire, & ayant toûjours les doigts où on les a introduits on tire la pierre avec le crochet. On peut exempter les femmes & les filles de la violence, qu'elles ſouffrent par le petit appareil, & le grand appareil leur eſt plus convenable. Pour y reuſſir, aprés avoir ſitué la malade, le chirurgien avec ſon pouce & ſon indice écartera doucement & chaſtement les nymphes ſans toucher au canal de la pudeur; & parce moyen s'il eſt entierement attentif à ce qu'il doit faire, il ne ſe méprendra pas, il diſcernera l'orifice de l'uretre, dans la quelle il introduira la ſonde creuſe droite, ſur la quelle il pouſſera celuy des conducteurs, qui a un bec, & aprés avoir retiré la ſonde, il fera gliſſer avec facilité l'autre conducteur, qui eſt bifide, parceque le premier a une ligne, qui dirige le ſecond. Entre ces deux conducteurs, que le chirurgien doit tenir entre ſe doigts indice & du milieu, en ſorte que le conducteur bifide ſoit ſuperieur à celuy, qui a un bec, il pouſſera, dis-je, entre les conducteurs une tenette droite pour continuer l'operation. C'eſt-à-dire, que la tenette ayant été introduite juſques dans la veſſie, il retirera les conducteurs, cherchera, chargera & avec de petits contours il ébranlera & tirera la pierre. D'autres ſe ſervent fort heureſement d'un gorgeret étroit, qui ſert de conducteur à la tenette. Feu M. Jonnot ne ſe ſervoit que d'une ſonde creuſe droite, ou d'un gros ſtilet pour conduire la tenette, & c'eſt de luy, que j'ay appris, que l'inciſion à l'uretre étoit inutile pour extraire la pierre au ſexe feminin. Il n'eſt pas croyable, combien l'uretre ſe dilate tant aux hommes

hommes, qu'aux femmes. Vide etiam *Laur. Heiſters Chirurgie Part. II. von denen Chirurg. Operationibus cap. 137.* Joſeph de la Charriere *des Operations de Chirurgie Cap. 19. p. 129.*

§. 56.

Exemplum calculi e mulieris veſica urinaria extracti refert Jobus a Meckren *Obſerv. medic. chirurg. Cap. 56. p. 264.* Uxor ſcilicet Eduardi Abbeck per triennium præter propter ardore dolorifico circa pudendum, atrochordonibus variis pravæ notæ nec non urinæ ſalſæ crudæ acrioris, cui quandoque materia mucoſa cruentave permiſcebatur, laboraverat, & ob varia ſymptomata alia lue venerea laborare a quibusdam medicis judicabatur, quibus tamen alii contradicentes potius viam urinariam circa orificium ſeu exitum ab inſigni aliquo calculo anguſtatam eſſe ſtatuebant, quapropter calculi hujus extractionem unice deſiderabat ægra, non ſolum quo ſymptomata, quibus longo adeo tempore miſere afflicta fuiſſet, hoc medio tollerentur, ſed & fœdi morbi, quo laborare dicebatur, ſuſpicio omnis auferretur. Extractionem autem medici ad hunc modum inſtituebant: ſiniſtræ manus digito indice in vaginam uterinam immiſſo calculum apprehendebant, mox lapidillo per meatus urinarii orificium ſupra calculum inſerto, eundem celeri manu extrahebant; cujus figura & magnitudo ibidem depicta habetur. Sic Viennæ Matronæ cuidam nobili, jam grandævæ, annum ætatis ſuæ ſexageſimum nonum agenti, Hieronymus Stromair absque ſectione calculum ovi gallinæ inſtar ponderis unciarum duarum & drachmarum duarum per inſtrumenta exemit; Atque ita citra omne periculum matrona hæc a calculo liberata fuit, & poſtmodum per annos tres adhuc cum mitioribus doloribus ſupervixit juxta Diomed. Cornar. *Obſ. med. Cap. 16. p. 31. ſeq.* Calculus ſeptem Exempla

integros

integros annos in veſica fœminæ cujusdam Bregenſis moram trahens atque ſiliceæ duritiei tandem poſt varios cruciatus ab Urbano Johanne Holſt, Chirurgo Vratislavienſi Anno 1675 extractus fuit, juxta Obſervationem Gothofredi Chriſtiani Winckleri *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 9. p. 15. ſeq.* Anno 1675 d. 22 Januar. Georgius Henricus Mejer lithototomus ex muliere ſexagenaria calculum trium unciarum cum dimidia feliciter exſecuit. vid. Caſpar. Theoph. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. VI. p. 41.*

§. 57.

Lithotomia non ſemper feliciter ſuccedit

Circa quamlibet autem lithotomiam ſive calculi e veſica exſectionem & extractionem notandum, ejusmodi operationem tam in maribus, quam fœminis non ſemper feliciter ſuccedere, imprimis ſi calculi fuerint veſicæ annexi, vel nimis magni; quapropter Johannes Helwigius *Obſerv. 119. Schol. pag. 328.* optime monet, chirurgi vel lithotomi eſſe, ut dignoſcat, num calculus liber, vagus, vel veſicæ, adnatus & absque periculo eximendus ſit? ſiquidem ſecundum Guilh. Fabric. Hildan. *de Lithotom. Veſic. Cap. 4. p. 51.* Calculi veſicæ adnati extractio non absque ſummo periculo tentari poteſt; Veſica enim in extractione dilaceratur, unde multa periculoſa ſymptomata ſequuntur. Et *Cap. 8. pag. 74.* inquit idem Autor: ſi certus eſſes (quod difficulter tamen agnoſci poteſt) calculum veſicæ adnatum eſſe, tunc lithotomia non facile inſtituenda erit: quoniam in avulſione calculi ſimul etiam veſica dilaceraretur; unde nihil aliud, quam mortis periculum expectandum foret. Deinde recenſet Obſervationem de Nobili quodam, qui a multis annis atrociter calculo divexabatur, in ipſo tamen a Celeberrimis Medicis atque lithotomis neque inſtrumentis unquam calculus in veſica deprehendi potuit; in cujus tamen defuncti corpore calculi aliquot ingentes peculiari ſacculo ſive veſicula, veſicæ innatæ &

Ob annexionem

adnatæ

adnatæ, incluſi reperti fuerunt. Si igitur caſtrator lithotomiam inſtituiſſet, forcipes immiſiſſet, ac calculum cum involucro ſuo prehendiſſet, & extraxiſſet, quomodo cum ægro factum fuiſſet? De hac calculi ad veſicam accretione ita judicat Joſeph de la Charriere *des Operat. de Chirurg. Cap. 19. p. 125. ſeq.* Si l'adherence étoit conſiderable, il ne faudroit, point violenter la veſſie, mais ébranler la pierre par diverſes ſecouſſes. Si les attaches étoient ſi fortes, qu'on ne la pût tirer avec les tenettes, on ſe ſerviroit du bec de corbin dentelet, ou des tenettes inciſives, evitant toûjours d'alterer la veſſie. Et Jean Baptiſte Verduc *des Operat. de Chirurg. Cap. 11. p. m. 40.* inquit: Cette regle de Hildanus ne doit pas étre generale, & l'on ne doit l'obſerver, que lorsque les pierres ſont tout à fait adherentes à la veſſie; il faut attendre qu'elles ſe detachent par la ſuppuration. Quam ſententiam etiam ſuadet Franciſcus Tolet *de Lithotom. Cap. 16. p. m. 122. Edit. German.*

§. 58.

Hanc equidem calculi veſicæ agglutinationem inficiari quaſi videtur Fridericus Ruyſchius *Theſaur. anatom. II. p. 31.* inquiens: inter ramoſas veſicæ excreſcentias, a calculi attritione productas, calculi aliquando latitant, quemadmodum pilæ luſoriæ, nuces &c. inter plantas gramineas; hinc non raro contingit in calculi extractione, ut lithotomus non ſolum calculum, verum etiam dictas ramoſas excreſcentias forcipe arripiat, unde lethalia ſymptomata ſæpe ſuboriuntur; & hoc demum eſt, quod calculus dicitur adhæſiſſe veſicæ, cum poſt extractionem calculi aliquid carnoſi reperiatur in forcipis cavitate. Rariſſime enim, ſi unquam, calculus connaſcitur veſicæ. Nihilominus tamen varii Autores calculos non ſolum veſicæ annexos, ſed etiam in ipſius ſubſtantia vel inter ejusdem membranas occulte latentes annotarunt, qualia exempla *Agglutinatio an videtur.*

jam ſupra *Cap. II. §. 40.* adduximus. Ab ejusmodi autem calculorum, veſicæ lateribus adhærentium avulſione dilacerationem, inflammationem, ipſamque mortem oriri poſſe docet Nicolaus Tulpius *Obſ. medic. Lib. III. Cap. 5. p. 196.* de Viro Brabantino, cujus diſſecti veſica calculum continuit membrana involutum & fibris ſuis tam ſtricte veſicæ tunicis alligatum, ut vix inde ſine manifeſta dilaceratione avelleretur. Ruſtico etiam lithotomus calculum ablaturus, ſimul etiam veſicam, utpote calculo tot & tam tenacibus vinculis accretam, ut nequiverit ulla arte ab eo ſeparari extraxit. Et juxta Thom. Bartholin. *Epiſt. med. Cent. III. Epiſt. 35. p. 127.* refert Georgius Segerus, Caſparum Bauhinum ſibi oſtendiſſe calculum veſicæ, quem e vivo viro, robuſto & quadragenario fruſtra extrahere conatus erat exercitatiſſimus lithotomus, quia calculus veſicæ lateribus firmiter adhærens omnem artificis operam eluſerat; donec tandem ſupervenientibus acerbiſſimis ſymptomatibus ipſa morte e cadavere eruebatur. Sic in patricii cujusdam Hamburgenſis filio apertus poſt mortem venter in veſica lapidem oſtendit durum, duodecim uncias pendentem, ſicque undique veſicæ agglutinatum, ut omnino ſine ejus ruptura divelli non potuerit. v. Joh. Nicol. Pechlin. *Obſerv. phyſ. med. Lib. I. Obſ. 2. p. 4.*

§. 59.

Non ſemper. Interdum tamen etiam calculi veſicæ arcte agglutinati feliciter eximuntur, quale exemplum his verbis annotavit Vitus Riedlinus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 243. pag. 576. ſeq.* de Hoſpitis cujusdam in pago Neuſaſs habitantis filiolo, undecim annorum, qui, cum ante ſeptem annos doloribus calculum veſicæ prodentibus, valde tortus fuiſſet, jam tum quidem, ut ſectione mediante ab hoc tam moleſto hoſpite liberaretur, parentes deſiderarunt, ut-

que ad hoc opus manus ſuas commodaret, lithotomum quendam celebrem rogarunt, qui vero ob ætatem tenellam, ut tam periculoſam operationem differrent, ſuaſit, facileque perſuaſit, cum præſertim poſtea dolores paulatim ſic remiſiſſent, ut jam, an calculo laboret? interdum dubitarint. At cum ante ſemeſtre & quod excurrit, equo conſcenſo puer aliquandiu corpus ſuper eodem nimium moviſſet, inde non ſolum dolores intenſiſſimi, verum & reliqua calculi præſentis ſigna tanto cum fœnore redierunt, ut jam ejusdem chirurgi opem ardentius ac antea imploraverint, quam quidem hac vice eidem addixit, & in pago operationem aggreſſus fuit, & quidem ea via, quam brevem nominare ſolent, puero nempe cuidam viro robuſto in menſa ſedenti alligato, ſiniſtræ quidem manus duos primores digitos butyro inunctos ejusdem ano inſeruit, dextraque ex veſica eo detrudere calculum omni ope conatus fuit, quod tamen prima vice non ſucceſſit, puerque ob inſignes clamores ſolutus denuo urinam cruentam excrevit; Parentibus tamen urgentibus & ſedulo rogantibus, brevi poſt ſe iterum operi accinxit, jam mediante itinerario perficere illud intendens; cum vero hoc puer nullo modo admittere vellet, monitus a chirurgo adſtante, priorem modum denuo tentavit, & quidem hac vice feliciter, haud ita magna enim opera jam calculus ad digitos detruſus fuit, unde ſupra eodem inciſione facta paulo poſt illum extraxit, pendentem drachmas ſeptem, & tum forma, tum magnitudine ovum columbinum aliquantum excedentem. Imprimis vero notatu dignum, quia alteri ejusdem extremitati membrana, duplicem groſſum imperialem æquans, firmiter adhæſit, quæ non niſi vi avelli potuit, quam uti partem eſſe veſicæ nulli dubitavimus, ita merito de curæ difficultate ſoliciti fuimus, at utique illud nos magis confirmavit tum ipſa conſpecta

membrana, tum tam diuturna dolorum abſentia, qui demum calculo, per equitationem aliquantum avulſo rediere, tum difficultas in ipſa operatione prima obveniens ob calculum in principio ſine dubio nondum penitus a veſica ſeparatum, ita omnis ſolicitudo brevi ſublata, dum non ſolum nullum periculoſum ſupervenit ſymptoma, verum quinto jam die lectum reliquit puer, quin duodecimo fere ſic convaluit, ut jam ulteriori cura non indiguerit; quæ magis adhuc poſtea confirmata fuere, cum puer cum patre ſanus & incolumis, nec de minimo malo conqueſtus me viſitaſſet. Ex dictis vero ſicut patet, nec de iis ſemper deſperandum eſſe, quorum calculus veſicæ agglutinatus eſt, ita longe majorem ſpem felicis eventus, concipi poſſe, ſi pueri, quam ſi ſenes ejusmodi curæ ſubjiciantur, itidem ex iisdem facile colliges.

§. 60.

Lithotomia impeditur a calculorum magnitudine. Præter calculorum ad veſicæ latera annexionem etiam nimia eorundem magnitudo lithotomiæ operationem vel extractionem diſſuadet & impedit, cum tales citra enormem ſphincteris veſicæ dilacerationem educi non queant; quamvis ſubjectorum craſſities & teneritudo ſeu exilitas diverſam illam calculorum magnitudinem accuratius determinet. In genere vero in grandioribus etiam & adultioribus viris calculus ovum gallinaceum magnitudine ſuperans, rariſſime, imprimis ſi ipſius durities diffractionem, quam plerique autores commendant, impedit, ſine ſummo vitæ diſcrimine extrahi poterit, ideoque etiam talis Operatio non facile tentari debet. v. Joh. Bohn. *de Offic. Medic. Part. I. cap. 22. pag. 516.* Hinc etiam Guilhelmus Fabricius Hildanus *de Lithotom. Veſic. cap. 15. p. 106.* monitum vult chirurgum, ne calculum facile confringere tentet, propter magnum, quod operationi & fractioni iſti imminet periculum: ſæpe enim calculi duriſſimi in veſica repe-

reperiuntur. Quis autem quæſo calculos inſtar ſilicis duros absque periculo in veſica confringere poſſet? Quoniam etiam calculi duritiem vel mollitiem difficulter percipere poſſumus, ideo ſuadet, ut fidelis atque induſtrius lithotomus a grandiorum calculorum extractione abſtineat. &c. Inquit Jean Baptiſte Verduc. *des Operat. de Chir. cap. 11. p. m. 40.* ſi les pierres ſont extraordinairement groſſes, il vaut mieux les laiſſer, que de faire mourir le malade, ſur tout ſi l'âge & d'autres circonſtances, aux quelles on doit avoir égard, ſont contraires à l'operation. On a veû des pierres ſi groſſes, qu'elles occupoient tout le volume de la veſſie. Paré conſeille dans cette occaſion de les rompre avec des tenettes, qui ayent des dents en ſcie; mais ſouvent ces pierres ſont ſi dures, & il y auroit même tant de difficulté à executer cette operation, qu'il vaut mieux mettre dans la veſſie une canule aſſez longue pour repouſſer la pierre, afinque le malade puiſſe uriner plus facilement. Et Joſeph de la Charriere *des Operat. de Chir. cap. 19. pag. 126.* ait: ſi le volume de la pierre ne permette pas ſa ſortie, il faudroit la dilater avec un biſtouri, & rejetter l'uſage du dilatatoire, à cauſe des grandes dilacerations, qu'il imprime aux parties. Sic Laurentius Heiſter *Chir. Part. II. von denen Chirurg. Operat. cap. 127.* ita ſcribit: *Wenn der Stein dicker iſt, als daſs er durch die Oeffnung ganz könne heraus gebracht vverden, muſs man trachten ihn mit einer ſtarcken Zange, mit groſſen Zähnen, zu zerbrechen und hernach ſtückvveiſe heraus zuziehen. Wenn er aber ſo hart und groſs vväre, daſs man ihn nicht zerbrechen könte, iſt es beſſer, ihn in der Blaſe zu laſſen, von der Operation abzuſtehen, und die Wunde vviederum zu zuheilen, als den Patienten, mit allzubefftigen ziehen vergeblich zu quälen und zu martern oder gar umzubringen.* Vel juxta Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. Med. Sect. III. c. 7. pag. 357.* ſi calculus eſt

oblongus, una illius extremitas tenaculo apprehendenda eſt, quia ſic facilius extrahitur.: at ſi major eſt, quam ut protrahi poſſit e vulnere, hoc inſtrumento dilatatorio paulatim ampliandum, vel, quod præſtat, cultro admoto magis incidendum, ut leviori negotio educi queat. Major calculus, qui ne ſic quidem auferri poteſt, forcipe dentata caute diffringendus, ejusque fragmenta diligenter lapidillo eximenda ſunt, cavendo tamen, ne ſimul veſica lædatur. At ſi ſiliceus fuerit, & forcipe diffringi nequit, nec etiam tuto extrahi, rectius in veſica, præſertim ſi aſper & ſpinoſus eſt, tenaciterque adhæret, relinquitur, quam cum vitæ periculo violenta manu evellitur. De impedimentis calculum extrahendi, inquit Dionis *des Operat. de Chirurg. p. 157.* Monſieur Thevenin, chirurgien ordinaire du Roy, & Juré à Paris, nous apprend, qu' il eſt des occaſions, où il ne faut pas eſſaier de tirer la pierre de la veſſie, par exemple, lors qu'on juge, que la pierre eſt trop groſſe, ou que le malade & ſi vieil & ſi foible, qu' il ne pourroit ſuporter l'effort de la taille, &c. Quod autem in hac Paragrapho de cannula, pro calculi majoris circa veſicæ orificium jacentis atque urinæ ſuppreſſionem cauſantis, repulſione liberaque urinæ emiſſione ex Verduccio vel potius Paræo adduximus, idem etiam admonet Petrus Pigræus *Chirurg. Lib. VII. cap. 4. p. m. 474.* Si omnia, inquiens, remedia liberam reddendæ urinæ facultatem non ſufficiant, immittendus eſt ſiphon, ſive catheter, oleo aliquantulo unctus, in veſicam usque & inde avertendus calculus. Guido, Theodorum chirurgum citans, ait, calculum, ſi ſolerter catheteris opera tractetur, laborante reſupinato, poſſe ad multum tempus, etiam ad trigeſimum usque annum, averti. Quæ quidem curatio, ſi probe fieri poſſet, egregia profecto foret & longe opportuniſſima. Nobilem quendam ipſe novi, qui calcu-

lum per annos viginti quinque in veſica geſtaverat, in ſeſe tentando ita verſatum, ut quandocunque urinam mittere volebat, penem cathetere tentaret, calculum in contrariam partem averſurus; eoque facto urinam ſine dolore ullo ejiceret.

§. 61.

Quod autem hactenus de magnorum calculorum e veſica extractione lethali diximus, idem quamplurima exempla confirmant, ex quibus inter alia ſequens recenſet Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſ. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 51. fol. m. 324.* ſcilicet Anno 1602 Andream Vitellium, oculiſtam & lithotomum intrepidum Hattingiæ calculum monſtroſæ magnitudinis, cineritii coloris, inæqualem, ac ſi ex multis lapidibus compactus fuiſſet, & ad uncias viginti duas pendentem, ex veſica juvenis cujusdam, viginti annorum ætatis. Johann Groten, nomine extraxiſſe; ſed in ipſa operatione, quæ & longa & laborioſa, imprimis vero doloroſa fuerat, ægrum animum Deo reddidiſſe. Hujus calculi monſtroſi delineationem ibidem *fol. 325.* reperies. Atrociter a calculo veſicæ excruciatus D. Johannes Jacobus Schwarzius, dolorum & vitæ pertæſus tandem lithotomo ſe ſubjicere conſtituit. Stante hac ſententia die 28 Martii 1684 Operationem commiſit, qui quidem juxta artis præcepta cordate & dextre inciſionem fecit, ſed ob calculi figurationem, magnitudinem & molem nihil profecit, nec calculum extrahere, multo minus forcipibus confringere potuit, calculo omnium forcipum aliorumque inſtrumentorum ad operationem talem requiſitorum robur, eludente; ita ut trihorio, repetitis conatibus, elapſo, tandem operatori, ab opere deſiſtendum, patienti vero, maſcule hactenus omnia ſufferenti, quies ad virium recollectionem concedenda fuerit. Maximis hinc perpeſſis doloribus vigeſimo quarto ab operatione die,

Calculi magni extractio fruſtranea.

beata

beata analyſi mortalitatem ipſam exuit, referente Petro Rommelio *M.N.C.Dec.II.An.8. Obſ.185.p.477.ſeq.* Cum Dominus Maskosky Archiater Wurtembergicus die tortorem in veſica patientia plus quam adamantina ſuſtinuiſſet, tandem ob internecinos cruciatus lithotomum admiſit ultra quam ſeptuagenarius. Vulnus infligitur, calculus prehenditur, ſed eheu fruſtra per vulnus extrahitur. Tantum erat operationis robur, ut tres forcipes æneï incurvarentur. Tandem ægrotans placide exſpiravit, & abdomine poſt mortem & urinaria veſica apertis, calculus prodit ſtupendæ magnitudinis ovalis, non exacte rotundus, ſed aliquo modo depreſſus ſilicens, colore fuſco uncias octo pendens. &c. v. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. I. & II. Append. p.200.ſeq.* Meminit etiam Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. Lib. I. Obſ. 2.p.4.* Marotto Gallo manum commodante, Patricii Hamburgenſis filium, cum operarius jamjam tenere lapidem ſeſe crederet, propter magnitudinem duritiemque inde & cohærentiam calculi detrito diffractoque forcipe, adeoque deſerta chirurgia, altero poſt carnificinam de obiiſſe. Hujus apertus poſt mortem venter in veſica lapidem oſtendit durum atque duodecim uncias pendentem. Sic etiam in celeberrimi medici Danici, Olai Borrichii, ob acerrimos cruciatus lithotomiæ ſeſe ſubmittentis veſica reperti calculi magnitudo & durities optatum ſucceſſum eluſit, commode enim per inciſuram neque extrahi, neque inſtrumentis diffringi absque præſentiſſimo vitæ periculo poterat, donec tantæ moleſtiæ, tot inſomnes noctes, tot indomabiles cruciatus in mortem terminarentur, uti in ipſius vitæ hiſtoria, conſpectui ſcriptorum chemicorum præfixa refertur. Secundum Jean Bapt. Verduc *l. a. pag. 40.* on a taillé depuis peu à la charité un prêtre, où la pierre ſe trouva ſi groſſe, qu'on fût obligé de la laiſſer dans la veſſie. Quelques jour aprés

il

il mourut; en faiſant l'ouverture de ſon cadavre, on trouva une pierre d'une ſi prodigieuſe groſſeur, qu'il ne s'en eſt jamais vû une pareille. On la montre dans cet Hôpital à ceux, qui deſirent la voir, elle peſe trois livres trois once. Et ejusmodi exempla quamplurima allegari vel adduci poſſent.

§. 62.

Quandoque tamen etiam calculi ſat magni ſine vitæ periculo exſcinduntur & extrahuntur. Anno enim Domini 1570 Duciſſa Ferrarienſis Lutetia Montem-argivum accivit Johannem Collo, qui calculum e veſica piſtori dulciario extraheret: calculus ille etſi pugni craſſitiem haberet novemque uncias penderet, feliciſſime tamen incolumi ægro revulſus fuit, juxta Ambroſ. Paræi *Oper. Lib. 24. cap. 19. fol. 567.* Anno 1652 civi cuidam Auguſtano, annorum ætatis quinquaginta duorum a Benedicto Widemanno calculus rotundus, ovalis, pondere unciarum duarum per ſectionem tuto & feliciter è veſica exemptus fuit, absque ulla veſicæ læſione, homineque poſthinc per plures annos commode & pancratice vivente, uti refert Joh. Helwigius *Obſerv. phyſic. med. Obſ. 120. p. 330. ſeq.* Imo hunc civem a lithiaſi in poſterum immunem ætatis annum ſeptuageſimum quintum attigiſſe in Additamento ejusdem Obſervationis addit Lucas Schrœckius. Et *Additam. ad Obſ. 121. p. 332. ſeq.* hanc obſervationem idem Schrœckius annectit: Anno 1675 menſe Octobri ex civis & Patritii Auguſtani veſica, maximis duarum & dimidiæ horarum cum tormentis, non minori tamen ægri cum magnanimitate & patientia, ingens calculus, ſeptem uncias cum dimidia ponderans, extractus fuit, & quamvis ob ſummam virium proſtrationem, & arteriarum plurimis horis ceſſantem pulſationem, æger animam agere jam crederetur, divina tamen gratia, recollectis iis evaſurus videbatur, *Cum Succeſſu*

niſi crudelior diarrhœa, tertia poſt ſectionem hebdomade, decimo nono ſcilicet die eundem mortalium numero exemiſſet.

§. 63.

Prolixam equidem notatu autem dignam obſervationem chirurgi jurati Lugdunenſis, nomine Bimel, refert Nicolaus de Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. II. Januar. Obſ. 3. p. 3. ſeqq.* ſequentibus verbis: Ante aliquot annos ad me Maſſilia epiſtola perſcripta eſt, per quam conſilium meum expetebatur de affectu quodam, qui meo judicio alius non erat, quam præſentia calculi: ut certius de re conſtaret, nihil aliud ſupererat peragendum, quam ut catheteris exploratione deprehenderetur; At vero cum plurimi incaſſum omnes conatus adhibuiſſent, quo in veſiam immitteretur, quæſitum eſt a pluribus, an poſſibilis eſſet lithotomia absque ſpecilli auxilio? ad quod affirmative reſpondebam. Hinc mercator Ferrarius, Romantius, ad portam urbis habitans, ex conſilio medicorum, qui illius curam gerebant, generum ſuum ad me miſit, rogaturum, illuc auxilii gratia properarem, quod res in anguſto eſſet. Revera anguſtia ſumma erat, ſexageſimum quippe & quintum annum exceſſerat æger, atrocibus adeo doloribus divexatus, ut dies noctesque conducti adeſſent viri robuſti, quos arcte complectebatur ſtringebatque circa renum regionem, quo ex motu & agitatione indeſinenti corporis promoveretur urinæ exitus, guttatim ex veſica deſtillantis, adeo calidæ & urentis, ut ignem ſe mingere, continuo diceret. A dolorum vehementia, quos comitabantur vigiliæ, adeo caro & adeps effluxerant, ut cutis femorum & pedum inſtar ſacci vel peræ propenderet. Introductio catheteris æque mihi ac cæteris impoſſibilis fuit; quandoquidem introitus in veſicam denegatus fuit: Immenſi conatus, quos adhibebat æger ad propellendas

urinas,

urinas, tantam humorum ſaburram invexerant in eam partem; venæ vero hæmorrhoidales ſanguine adeo turgebant, ut inacceſſa eſſent omnia loca. His in anguſtiis conſtitutus, ægri conſangvineis alios preterea in auxilium convocarent ſuaſi. Quatuor medici totidemque chirurgi adfuerunt, præſentibus illis edixi, apud me nullum eſſe dubium, quin æger calculo veſicæ laboraret, a quo affectu nulla ſpes liberationis affulgeret, quam per cyſtotomiam; ut cum nulla ſpes ſupereſſet, quam introducto cathetere, ſententiam illorum me expetere, num arrideret inſtitutum meum, ſcilicet ipſam impetere veſicam ſcalpello incurvo, mihi uſitato, ubi punctim ferienda eſt illa pars, quæ chirurgia nunquam mihi fallax fuiſſet, ſi cætera remedia incaſſum eſſent adhibita, cujus auxilii quoque ope occaſio porrigatur extrahendi lapidem non interveniente ſtylo exploratorio. Aſſenſere omnes, hortati manum operi admoverem, eo quod unicuique illorum probe perſpectum eſſet, me nihil niſi duce experientia tentaturum, atque a temeritate alienum eſſe. Poſtridie operi me accinxi, non eo tamen ſucceſſu, quem ſperaveram; ſcalpello enim incurvo integumenta ad veſicam usque cum diviſiſſem, ad latera illa hinc inde hæc inclinabat, cultri aciem effugiens, adeo ut ferire nulla arte mihi illam licuerit. Erraſſe me tunc cognovi, quod diſtinctione uſus non eſſem inter veſicam turgidam urinaque diſtentam, & veſicam lapillos aliquot cavitate ſua continentem, ideoque neque extendi apta eſt, neque reniti valet, adeoque tactui facile cedit. Experimentum illud infelix, quod ſanationis omnem ſpem præſcindere videbatur, in ægri noſtri ſalutem ceſſit; inde enim ſucceſſit ſuppuratio in loco per ſcalpellum diſciſſo, unde per totam circumferentiam excitata eſt eſchara dimenſionis transverſi digiti, intuentibus ignis veſtigium exhibens. Circa ſeptimam

diem, excidente eſchara vas hæmorrhoidale reſeratum eſt, e quo adeo inſignis ſanguinis effuſio ſequuta eſt, ut æger in agone conſtitutus videretur; monitus protinus ad eum confugi, at in extremis verſantem comperi; lectum ſanguine madidum & vulnus mundavi, poſt cauterium punctale ori vaſis admovi, cujus efficacia deſiit hæmorrhagia. Interim quæcunque ad cadaveris diſſectionem requiſita erant adparantur ægri vita defuncti; ſed a me nihil prætermiſſum eſt eorum, quæ ad ſalutem ejus neceſſaria erant, præſcripta ab ægri medico familiari, ad virium inſtaurationem; ſic per Dei miſericordiam paulatim a languore illo viriumque inſigni evolutione emerſit, adeo ut decima octava die a prima illa punctione, de robore virium cum mihi conſtaret, ad lecti ſpondam pro more illum deduxerim, ſitum convenientem ejusmodi chirurgiæ quæſiturus: cum vero nihil catheteris intromiſſioni obſtaret, nullo negotio & dolore, ſequutus illius ſulcum ſeu foſſam, diſcidi membranam urethræ, intactam a primo ſcalpelli incurvi ictu: Forcipe extractorio in veſicam intromiſſo per hiatum eduxi lapidem magnitudinis globuli majoris e ſapone confecti (Savonette de Bologne) qui cum læviſſimus eſſet, præſertim ex una parte, intuli, ſolitarium illum non eſſe, intromiſſoque iterum forcipe extractorio ejusdem molis lapidem arripui, qui cum etiamnum undique lævore donatus eſſet, coactus ſum iterum tertia vice operationem aggredi; perſpecta autem facilitate, qua prodibant, compendium facturus, temporis & virium ægri tuendarum gratia quæ ſupererant peragenda, ad tempus usque ſuppurationis vulneris diſtuli: Incogitante vero me, & manus a ſorditie eluente, ecce exclamat æger, ſe tertium excluſiſſe lapidem. Exinde tranquille dormit æger, ac, extrema illa macie excuſſa, ope alimentorum, quæ lubentiſſime aſſumebat, exiguo tempore ad ſanitatem rediit.

§. 64.

§. 64.

Calculum ovo columbino majorem juveni cuidam quindecim annos nato majori apparatu exſectum fuiſſe, in cujus medio acicula inventa fuit, ex communicatione Petri Hadriani Verduini recenſet Johannes Dolæus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 253. pag. 591.* Sequentem Obſervationem de ingenti calculo ex inciſæ veſicæ fundo extracto refert Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſerv. Chir. Cent. I. Obſ. 68. fol. 52.* Nobilis Matrona, Urbana Proux, biennio miſerrime cruciata eſt calculo in veſica. Ego tandem adhibitus partim cathetere in veſicam immiſſo, partim impoſito in matricis collum digito, calculum ovi gallinacei magnitudine ſenſi, a quo continuis doloribus afficiebatur, vires plane proſtratæ erant, unde ægra pariter cum adſtantibus de vita deſperabat. Pluries rogatus, inter alia dolores, quoad fieri potuit, emollientibus, fomentationibus & anodynis veſicæ regioni appoſitis & ſyphone in ipſam injectis ſedavi. Tum leviculum ulcus ex ipſo veſicæ fundo in collum matricis, ad uteri orificium intrans deprehendi, quod calculus ſua cum aſperitate, tum pondere eroſerat, quodque una cum calculo, quoties recta ſtaret ægra, acie digiti indicis in collum matricis immiſſi, facile deprehendere poteram. Die igitur 18 Julii 1598 apparatis omnibus ad operationem neceſſariis, ipſaque ægrota in ſede parturientis collocata, veſicam oleo amygdalarum dulcium ſyphone immiſſo implevi. Deinde ipſo ulcere nonnihil partim digiti opera lacerato, partim cultelli acie, ad veſicæ collum inciſo, & per ipſum immiſſis tenacula & idoneo unco calculum ad ovi magnitudinem citra vim, hæmorrhagiam, doloremque magnum eduxi, &c. Sic divino auxilio, nullis ſupervenientibus ſymptomatibus, reſtituta & perſanata fuit, & ad Annum 1611 incolumis ſupervixit. Vir ſexaginta

annorum ex curſu vehementiore urinam reddebat cruentam cum ſubſequente valde gravi dyſuria; quæ illum ad lithotomiam coëgit. Die 1 Decembris 1674 calculus auferebatur ovi magnitudinem habens; licet dum extraheretur confractus magna parte fuerit. Operatione hac peracta dolor in emiſſione urinæ ſtranguriaque gravis miſere adhuc ægrotantem affligebant, ſic ut dies noctesque inquietus valde atque ſine ſomno ullo, traduceret duodecim, antequam moreretur, juxta Gerard. Blaſii *Obſerv. med. Part. VI, Obſ. 21. p. 85.* De calculo prægrandi e fœminæ quinquaginta ſex annorum veſica per dilatationem ſphincteris educto hanc obſervationem annotavit Guſtavus Caſimirus Gahrliep *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 78. p. 147.*

§. 65.

Aliud Exemplum

Excruciata malo nephritico tres circiter annos uxor pocillatoris cujusdam aulici, poſt balneum aliquot dierum quinque excluſit calculos ſatis magnos; inde per annum, & quod excurrit, dolorum ac moleſtiarum inducias paſſa, mox tumore ſub ala dextra genito immenſum increſcentes ut mediam fere ulnam diametro æquaret, ac ad internecionem fere torqueret, per ſesquiennium miſere afflicta, donec ſuppuratus excluſa ingenti puris copia ſubſideret. Ex quo tempore intra quinquennium in veſica coaluit, ac variis eam exercuit cruciatibus moles uncias quinque cum ſemiſſe pendens. A qua ut tandem liberaretur creſcentibus indies cum mole moleſtiis (inter quas non poſtrema, quod ſingulis vicibus urinam reddituræ calculus in collum uteri cum veſica pugni magnitudine deſcendens & aliquousque extra vulvam protruſus, uteri prolapſum, non ſine inſigni conatu & labore identidem reſtituendum, mentiretur) manui ſe lithotomi, natione Helveti, cui nomen Eslinger, commiſit, qui ſyringa prius explorato calculi ſitu, mox & conductorio inſtru-

mento

mento in ſphinčterem immiſſo paululum primo, mox magis magisque inſigni dexteritate dilatavit, ut inſtrumento prius modicæ magnitudinis ingeſto calculum apprehenderet, verum illo non obſecundante, ſed e forcipe rurſus elabente, aliud capacius & fortius, atque cum nec illud moli illi educendæ par eſſet, tertium maximum & valde validum immitteret, ac non ſine admiratione adſtantium quatuor medicorum unius chirurgi, & obſtetricis unius magno niſu tandem educeret. Quo educto, ac veſica & ſphinctere dubio procul valde laceratis, rite deligatis ac ſucceſſu temporis optime curatis intra triduum & exinde hactenus per annum fere integrum, urinam rurſus continere, dummodo a levando onere aliquo graviore ſibi temperet, ſatis exacte poteſt, nec, præter metum recidivæ, nullum a nephritide malum ulterius patitur.

§. 66.

Non autem in adultis ſolummodo utriusque ſexus, ſed etiam in pueris, puellis atque infantibus talis veſicæ lithotomia apud Autores obſervatur, uti Georgius Hieronymus Velſchius *Curat. propr. Decad. VII. Curat. 9. p. m. 441. ſeq.* refert: Filiolus, ſcilicet, quinquennis, alacris cæteroquin ingenii puer, per intervalla urinæ difficultate & quandoque ſuppreſſione vehementer adfligebatur, cum tenaſmo adeo gravi, ut egerendi conatu maximo haud raro inteſtinum prolaberetur, quod digitis repoſitum decocto prunorum ſilveſtrium in loco continebatur. Chirurgus calculum veſicæ ſubeſſe explorando comperit & ſectionem meditabatur. Poſt annum fere integrum demum ſectus eſt. Lapis durus ovi columbini magnitudinem ſuperabat. Diu autem optimeque dictus puer valebat. Puerulus quatuor annos natus jam per aliquod tempus excruciatus fuerat calculo veſicæ, quamobrem parentes illius, aſſiduarum querelarum pertæſi, curarunt, *Lithotomia in infantibus*

ut

ut calculus ſecundum apparatum minorem tolleretur, quod optime ſucceſſit; nam calculus glaber ovi columbini molem adæquans ac figuram repræſentans, integer extrahebatur. Altero poſt ſectionem die puerulus iterum urinæ pauculum per penem ejecit, quod alias raro tam cito contingere ſolet, quia poſt inflictum vulnus collum veſicæ plerumque valde inflammatur atque ita liberum urinæ per penem tranſitum impedit. Ægrotulus inſuper nulla febri toto curationis curſu unquam correptus eſt, ſemperque poſt vulneris coalitum, urinam retinere, atque pro lubitu reddere potuit, teſte Johanne Muys *Prax. med. chirurg. rational. Decad. XI. Obſ. 33. p. 377.* Puer ſeptennis per quatuor annos & ultra calculo veſicæ laborans vix unquam absque inſigni dolore urinam reddere potuit, niſi corpore ſupino decumbens, ac in altum curvatis & contractis cruribus, tunc copioſam ſatis & in altum proſilientem reddebat, Anno 1665 curæ & ſectioni lithotomi cujusdam commiſſus puer, impavide & animoſi lithotomi operationem ſuſtinuit, imo calculum, hoſpitem ſibi tam infeſtum ac exemptum, ipſis oculis contemplari geſtivit & manibus tractavit; ſed qui ſub cura alioquin ſatis morigerus fuit & bene ſe habuit, en! tertia curationis hebdomate, ſuperveniente calore febrili cum parvo delirio, præter ſpem moritur. Calculus exciſus fuit triangularis ad cylindri pene formam recedens, in inferiori parte quodammodo craſſior, atque in unius lateris medio perpaululum incurvatus, ponderis ſemuncialis, annotante Johanne Helwigio *Obſerv. phyſ. med. num. 119. pag. 326. ſeq.* Et Johannes Dolæus *Epiſtol. III. ad Waldſchmid. p. 221.* ſcribit: Nos egregium lithotomum, nomine David Cordier, habemus, qui 28 Octobr. anni decrepiti, puerum ex profugis Gallis, duodecim annorum cultro ſuo ſubjecit, & quidem optimo cum ſucceſſu; exemit

enim

enim lapidem duas uncias pendentem cujus iconem *pag. ſeq.* exhibet. Juxta Diomed. Cornar. *Obſ. 19. pag. m. 34.* Puer undecim ſuæ ætatis annorum per Hieronymum Stromair ſecabatur calculo veſicæ laborans, lapis extractus erat colore rubicundus, ponderis lotonum ſex, convaluit. Sequentes obſervationes ex literis Georgii Riedlini, cognati ſui, refert Vitus Riedlinus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 130. p. 265. ſq.* primam quidem ſuggeſſit puer, nomine Matthæus Zimmermann, undecim annorum, qui diu ſat acerbis doloribus calculi tortus, tandem 1696 d. 14 Maji ſectioni ſe ſubjecit, quam modo nominatus Georgius Riedlinus intra quadrantem horæ tam feliciter abſolvit, ut jam, de quo conqueratur puer, non habeat. Eandem operationem die 16 Junii ejusdem anni in Jacobina Schönnagelin, decem fere annorum puella, pari felicitate inſtituit: licet enim hæc doloribus adeo conſumta fuerit, ut vix binæ carnis libræ in toto corpore reſtiterint, calculo tamen, tam parvo etiam temporis ſpatio extracto, jam integre Dei gratia convaluit, ut jam indies habitior evadat, nec ullo modo in actionibus neceſſariis perficiendis impediatur. Tertia operatio ſucceſſit in Johanne Sigismundo Reichlino, tredecim annorum puero, quem chirurgus præfatus non minus feliciter, nec majori temporis ſpatio liberavit, &c. Annotante Roſino Lentilio *Miſcell. med. pract. Part. 1. pag. 261.* anno 1690 ſeptem annorum filiolus a lithotomo ſecatur, productus calculus friabilis, fuſcus, magnitudine caſtaneæ. Vulnere non rite conſolidato, ſed aperto manente, miſerrimam vitam diu puellus vixit, nempe ad usque quadriennium. &c.

§. 67.

Qnandoque etiam lithotomia veſicæ feliciter non ſuccedit, uti veſica duplex vel diviſa vel male conformata eſt. Sicuti enim, juxta §. 7. hujus capitis, ſigna calculi, *Non ſuccedit ſi veſica duplex*

in iis perſonis, in quibus poſt mortem duplex veſica, vel ſcculi calculis repleti veſicæ urinariæ annexi deprehenduntur, admodum ſunt incerta neque calculi ibidem latitantes cathetere explorari poſſunt, ita etiam circa talium calculorum extractionem ſæpiſſime operatio eſt fruſtranea. Hinc Cornelius Solingen *van de Manuale Operatien der Chirurgie Part. III. cap. 10. p. 179.* inquit: Wann eer de Blaes gualijck geformeert, of door een Vlies verdeelt is, gelijck als Caſpar Bauhinus, en Volcherus Coiter getuygen geſien te hebben, of dat de Vlieſen der Blaeſen gefronſt, en gevouwen, en an 't os pubis vaſt gegroeyd zijn, ſo kan de ſectie ſonder baerblijckelijcke ſchade niet geſchieden: ſomtijds is oock de Steen in deſe gedraeyde en gefronſte Blaes ſoo ingewickelt, dat Æſculapius ſelfs hem ſonder perijckel van het leven daerniet ſoude konnen krygen. Caſpari Bauhini, cujus meminit Solingen, *in Theatr. anat. Lib. I. cap. 21. p. m. 102.* inquit: Veſica urinaria cavitatem unicam habet, (rariſſimum enim eſt, eam membrana quaſi ſepto in duas partes dividi) in qua præter urinam & arenulæ & calculi ſæpe continentur: quamvis ſæpe intus velut ſaccum habeat inferne protuberantem, in qua calculi ſæpe magni hærent, qui cathetere immiſſo detegi ac comprehendi non poſſunt, quod in nobili quodam obſervavimus, in cujus cadavere veſica putrefacta calculi inſignes intra abdominis cavitatem delapſi inventi fuere; qui multis annis ſtranguria laboraverat & ſæpiſſime, & quidem a diverſis, cathetere immiſſo nullus calculus detegi potuit. Et Volcherus Coiter in Virgine duas veſicas urinarias inveniſſe ait *Obſ. anat. chir. fol. 117.* Inquit etiam Johannes Riolanus *Anthropograph. Lib. II. c. 28. fol. 150.* Hominis veſica interdum intus ſaccum ſive foveam habet, extra capacitatem protuberantem, in qua ſæpe grandiores lapides nidulantur & latitant, quæ im-

miſſo

miſſo cathetere detegi ac deprehendi non poſſunt. Rara, pergit idem Riolanus, eſt veſicæ prava conformatio, quæ tamen accidere poteſt, & diligenter notanda in explorando, ſi quando præſentibus omnibus ſignis pathognomonicis calculi cathetere non deprehenduntur. Nam in quibusdam duplex veſica fuit inventa, aut ſaltem veſica, ſepto membranaceo in duas Cavitates diſcluſa, uti ex Principis cujusdam Onolsbacenſis & Iſaaci caſauboni veſicis & calculis probat. In juvene quodam Illuſtri a Streithorſt a quinto ad decimum quintum ætatis annum atrociſſimis doloribus nephriticis, ſtranguria, dyſuria & iſchuria ſæpe vexata veſica poſt mortem deprehendebatur duplicata, vel potius in duas cavitates diſtincta, quarum dextra cavitas tota mucoſa materia, ſiniſtra vero calculo pyriformi repleta erat juxta Obſervationem Ambroſii Stegmanni *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 110. p. 229. ſeq.*

§. 68.

Quamvis autem lithotomia proprie & ordinario ad calculos e veſica eximendos, uti ex ipſius denominatione apparet, inſtitui ſoleat, quandoque tamen etiam alia corpora aliena dura loco calculi in veſica deprehenduntur, quæ pariter per lithotomiæ operationem extrahi poſſunt. Unde etiam Franciſcus Toletus *de Lithotom. Cap. 1.* in ejusdem operationis definitione, non tam calculum, quam in genere varia corpora aliena pro lithotomiæ objecto venditat. Tali enim Operatione loco calculi, a lithotomo experiſſimo & non ſatis laudabili Johanne Rainoldo Banajuto e veſica extrahebatur flagri funiculus, juxta Obſervationem Johannis Baptiſtæ Scaramuccii *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 142. p. 345. ſeq.* Huc pertinent etiam illa exempla, ubi in calculis varia e. g. globuli plumbei, particulæ ferreæ, acus, fruſta fiſtulæ tabacinæ, reperiuntur, de quibus jam ſupra egimus; Et ſecundum verba Michaelis Bernhardi Valentini *Chirurg. Med. Sect. III. cap. 7. §. 5. p. 346.* Objectum litho-

Per lithotomiam varia extrahuntur.

lithotomiæ non ſolum eſt calculum unus vel numero plures, ſed etiam aliæ res duriores deglutitæ, vel urethræ altius immiſſæ, vel denique vi externa per vulnera, plagas atque caſus violentes corpori impactæ. &c.

§. 69.

Lithotomi Celebres

Cum hactenus adducti lithotomiæ modi tam ratione ægri & adſtantium, quam ipſius operatoris non ſemper, (& quidem ob allegatas cauſas) ex voto ſuccedant, varii nihilominus hinc inde apud Autores allegantur celebres lithotomi, quorum alii operationibus tantum inclaruerunt, alii vero ſimul varias lithotomiæ enchireſes in Scriptis ſuis ſumma cum laude poſteris reliquerunt, eorum adhuc aliquot, absque tamen ordine alphabetico adducere liceat.

Marianus Sanctus

Tales ſunt Marianus Sanctus Barolitanus, qui de Sectione per Apparatum majorem, quam a Johanne de Romanis Cremonenſi didiciſſe fatetur, *Tractatum* ſub nomine *Libelli aurei de Lapide ex Veſica per inciſionem extrahendo* edidit, *Venetiis 1535. in 8. & Pariſiis 1540. in 4.* impreſſum, quem etiam Ambroſius Paræus *Operibus ſuis Chirurgicis fol. 909. ſeq.* inſeruit.

Guilhelmus Fabricius

Guilhelmus Fabricius, Hildanus vulgo dictus, qui non ſolum lithotomiam veſicæ exercuit, ſed de eadem etiam *Tractatum germanico idiomate, von Blaterſtein in 8 zu Baſel 1626* edidit, quem poſtea ab ipſo Autore auctum ejusdem diſcipulus & commenſalis, Heinricus Schobingerus in latinum transtulit, quæ Editio in 4 pariter Baſileæ 1628 prodiit, ſimulque etiam in ipſius Fabricii *Operibus Obſervationum & Curationum medico-chirurgicarum &c. fol. 701* reperitur. Hujus præceptor fuit Coſmus Slotanus.

Tolet

Ex recentioribus huc pertinet Franciſcus Toletus Gallus, exercitatiſſimus lithotomus, cujus Tractatus de Lithotomia Editio quædam Anno 1686 Hagæ impreſſa hoc titulo apparebat. *Traité de la Lithotomie, ou de l'Extraction de la Pierre hors la veſſie*

avec

avec les figures à Paris 1682. 12. enrichi de Figures neceſſaires pour repreſenter la maniere de ſondes, les inſtrumens propres, le malade dans operation, la fonction du perinée & les differentes methodes de tirer la pierre, avec les Appareils, les remedes preſervatifs du calcul & les medicamens pour la tailler, derniere Edition à la Haye chez Boreal Beck. 1686 in 12. Poſtea prodiit Cinquieme Edition, revûë, corrigée & augmentée par l'Auteur, à Paris chez François H. Huguet 1708. Qui Tractatus etiam idiomate germano diverſis in locis prodiit.

§. 70.

Celebrium quoque lithotomiæ operatorum hinc inde apud Autores fit mentio; Meminit enim Guilhelmus Fabricius, Hildanus *de Lithotom. Veſic. Cap. 9. p. 76.* experientiſſimi Lithotomi, Johannis Jacobi Mirckii, Ulmenſis, qui Nobiliſſimo ac ſtrenuo Viro, Dn. Zachariæ Geizcofler, Sacræ Cæſ. Majeſt. Conſiliario, viro quinquagenario, calculos duos, quorum alter tredecim drachmas, alter vero drachmam unam ſemis, pendebat, Anno 1610 die 14 Maji, feliciter extraxit, dictusque Dominus brevi priſtinam ſanitatem recuperavit, ita ut multos adhuc annos poſt operationem illam ſupervixerit. Absque dubio fuit hic Mirckius idem, quem alii Merckium vocant, de quo Gregorius Horſtius Ulmæ 1626 ad Johannem Fabrum ita perſcribit: Lithotomus noſter in hac arte peritiſſimus, Johannes Jacobus Merckius, ſub initium hujus anni a textore quodam per ſectionem calculum octo unciarum artificioſe extraxit, adhuc ſuperſtite laborante. vid. Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 47. fol. m. 236.* Et ſecundum Auguſtin. Thoner. *Obſ. medicin. Lib. III. Obſ. 5. pag. 179.* a dicto ſeniore Merckio, Lithotomo Ulmenſi, Civis quidam Ulmenſis, naturæ melancholicæ, intra decennium quarta vice per ſectionem a calculo veſicæ fuit liberatus. *Mirckius*

 Hiero-

Stromair Hieronymus Stromair puerum undecim annorum ſecabat calculo veſicæ laborantem; qui lapis extractus colore erat rubicundus & ponderis ſex lotonum; Puer autem convaluit, teſte Diomede Cornario *Obſerv. medic. 19. p. 34. ſeq.* Johannes Georgius Pezoldus, Lithotomus Vratislavienſis Nobilis cujusdam fœminæ calculum, quem præmiſſa per catheterem exploratione nimiæ obſervabat magnitudinis, ſine ſummo vitæ periculo, ex prudentia chirurgica, extrahere nolebat; in hujus enim defunctæ fœminæ veſica, exenteratione facta, nulla urina, ſed tantum paucus albus mucor, in veſicæ autem collo magnus & durus lapis duas medicinales pendens uncias inveniebatur, referente Godofredo Thileſio *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſerv.*

Vitellius *106. p. 243.* Andreas Vitellius, celeberrimus caſtrator atque lithotomus Anno 1602, juveni cuidam viginti annorum, Johanni Groten dicto, Hattingiæ in Marchia calculum unciarum duarum & viginti extraxit, ea vero ipſa hora & in operatione occubuit, juxta Guilh. Fabric. Hild. *de Lithotom. Veſic. Cap. 8. p. 73.* Idem Autor etiam *Obſerv. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 51. fol. m. 324.* hanc, ejusdem Andreæ Vitellii oculiſtæ, & lithotomi intrepidi, Obſervationem recenſet. Inquit etiam Johannes Dolæus *Epiſt. III. ad Waldſchmid. pag. 221.* Nos egregium lithotomum, no-

Cordier mine David Cordier, habemus, qui 28 Octobr. anni decrepiti, (ſc. 1687) puerum ex profugis Gallis duodecim annorum cultro ſuo ſubjecit, & quidem optimo cum ſucceſſu; exemit enim lapidem duas uncias pendentem, cujus iconem *vid. ibidem p. ſeq.* De alio lithotomo Helveto,

Eslinger cui nomen Eslinger, Guſtavus Caſimirus Gahrliep Obſervationem recenſet fœminæ cujusdam, in cujus veſica intra quinquennium moles quædam, quinque uncias cum ſemiſſe pendens, coaluerat, a qua ut tandem liberaretur, ſpe alia nuſpiam comparente, creſcentibus indies cum

mole

mole moleſtiis, hujus Eslingeri manui ſe commiſit, qui corpore debite, ac apparatu in rem præſentem requiſito, apte diſpoſito, ſyringa prius explorato calculi ſitu, mox & cum ductorio, inſtrumento in ſphincterem immiſſo, paululum primo, mox magis magisque inſigni dexteritate dilatavit, ut inſtrumento prius modicæ magnitudinis ingeſto, calculum apprehenderet eumque tandem magno niſu educeret. vid. *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 78. pag. 147. ſeq.*

§. 71.

Fœminæ cujusdam Bregenſis calculum veſicæ catheteris ope explorans obſtetrix quædam, ipſum nucis juglandis putamini viridi incluſæ magnitudinis & duritiei ſiliceæ eſſe, pronunciavit; movit illum ſuo loco digitorum & olei amygdalarum dulcium per ſyringam immiſſi adminiculo, ſed ſine levaminis ſenſu. Ad extremum itaque remedium, ſectionem ſcilicet, Medicus, Gothofredus Chriſtianus Wincklerus inclinabat; quæ Urbani Johannis Holſt, chirurgi Vratislavienſis expertiſſimi dexteritati committebatur. Itaque die 29. Octobr. Anno 1675 cum ægra quadrageſimum quintum annum intraſſet, mane hora decima rem aggrediens ſpeculum uteri vaginæ ipſius indidit, & collum veſicæ haud contemnendæ amplitudinis invenit: Calculum in eo deliteſcentem deprehendens præfatus chirurgus, forcipe arripit & ſpem bonam ad extrahendum absque ſectione calculum præbet, ſed fruſtra, etſi tribus vicibus ſumma cum ægræ debilis conſtantia & chirurgi induſtria id tentaretur. Ob ſummam autem ægræ debilitatem operatio per duos dies differebatur, atque interea novam forcipem cum dentibus aculeatis chirurgus cudi curavit, ut firmius calculum apprehenſum tenere & in eo veſtigia figere poſſit, ne, ut antea, elaberetur. Itaque 31 Octobr. hora 10. in inferiore parte *Holſt.*

colli

colli veſicæ, ex conſilio medicorum, ſectionem inſtituit, qua, ſumma cum ægræ conſtantia facta, calculum forcipe nova arripiens, ſummo conatu extrahere nixus eſt, ſed rem perficere non potuit, ægra valde anxia, & præ dolore clamorem alta voce edente. Tandem chirurgus forcipem retrahens animadvertit, illam non probe induratam fuiſſe, & ideo incurvatam calculum non tenuiſſe, eam rejiciens alteram arripit & calculum feliciter extrahit. Exhilarata ægra, vinculis ſoluta & vulnus debito modo deligatum eſt, ſine lipothymia. Calculus pendens uncias duas & dimidiam forma fere æquabat renem vervecinum. Ægra autem diu ſupervixit. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 11. p. 15. ſeq.*

§. 72.

Riedlinus Tres lithotomiæ operationes in pueris & puella feliciter exercuit Georgius Riedlinus, peritiſſimus Ulmenſium Chirurgus, & quidem in puero, nomine Matthæo Zimmermanno, duodecim annorum, quam operationem An. 1696 d. 14 Maji, intra quadrantem horæ feliciſſime abſolvit. Deinde d. 16 Junii ejusdem anni pari felicitate, in puella Jacobina Schönnagelin, a doloribus adeo conſumpta, ut vix in toto ipſius corpore binæ carnis libræ reſtarent, decem fere annorum, idem inſtituit, quæ tamen poſtea integre convaluit. Tertio etiam puerum tredecim annorum Johannem Sigismundum Reichlinum felici pariter operatione a calculo liberavit, uti refert Vitus Riedlinus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 130. p. 265. ſeq.* quo loco dictos lapides depictos reperies. Georgius Platnerus, chirurgus Auguſtanus Vito Riedlino retulit, ſe jam per triginta annos huic arti (lithotomiæ ſcilicet) vacare, & ſupra centum plures quam viginti, a calculo veſicæ mediante ſectione liberaſſe, uti recenſet dictus Riedlinus *Linear. Med. An. 1698. Menſ. Auguſt. Obſ. 20. pag. 684. ſeq.* Et ſecundum

Platnerus

Obſ.

Obſ. 4. Menſ. Octobr. p. 818. 820. idem chirurgus ex viri cujusdam veſica calculum, ſuper tres uncias tres drachmas pendentem, figura ovum gallinæ æquantem ac magnitudine aliquantum ſuperantem, cujus ſuperiori parte membranæ particula adhærebat, extraxiſſe dicitur.

§. 73.

De lithotomis inſignibus ita ſcribit Ambroſius Paræus *Libr. 24. cap. 19. p. 567.* Anno Domini 1566 Laurentii Collo duo liberi calculorum extrahendorum artifices experientiſſimi calculum extraxerunt, nucis juglandis craſſitie, in quo medio acus ei plane, quo ſutores ſuere ſolent, ſimilis depacta viſebatur. Calculoſo nomen erat Petrus Coquinus, via Galandea ad plateam Malbertinam puto illum adhuc ſuperſtitem vivere. Carolo Nono Regi propter rei monſtrificæ novitatem calculus ille, me præſente, oblatus eſt, quem mihi a chirurgis illis dono datum diligenter in ſecretioribus capſulis aſſervo. Item Anno Domini 1570 Duciſſa Ferrarienſis Lutetia Montem-argivum accivit Johannem Collo qui calculum e veſica piſtori dulciario extraheret. Calculus iſte etſi pugni craſſitiem haberet, novemque uncias penderet, feliciſſime tamen incolumi ægro revulſus eſt, Franciſco Roſſeto & Joſepho Javello, Duciſſæ Medicis præſentibus. Calculi hujus extracti figuram ibidem *fol. 568.* reperimus delineatam. Ibidem etiam refert Paræus, quod Anno 1568 Laurentius Collo, filius, cuidam, qui ab ætatis ſuæ anno decimo, calculo jam obnoxius, pudendum aſſidue ſcalpebat, calculos tres e veſica extraxit, ſingulos ovi gallinacei craſſitie, omnes colore albos, & ſimul duodecim uncias pendentes. Ab his artificibus absque dubio etiam deſcendit lithotomus, qui Johanni van Horne *Microtechn. §. 21. p. m. 451.* Collot nominatur, atque generoſo cuidam viro, cui alius lithotomus poſt ſuperficialem in perinæo factam ſectionem ſup- Coll.

poſititium calculum, loco veri exhibuerat, illum verum quo hactenus laborarat, calculum ademit. Fuit enim hic Collot etiam lithotomus Pariſienſis, atavis editus lithotomis, qui ſatis feliciter in urbe Amſtelædamenſi quosdam ſecuit.

§. 74.

Wred Famatus quoque lithotomus fuit ſupremus Regis Poloniæ Chirurgus Fridericus Wred, qui in arte ſua nemini fuit ſecundus. Hic ex certis ſuis indiciis prius habitis ſingulari arte & induſtria & absque magno incommodo & dolore, ex fœminæ cujusdam viduæ, ætatis plus quam quadraginta annorum, orificio cervicis veſicæ lapidem extraordinaria figura extraxit; quæ fœmina poſtea, a continuis ſuis doloribus liberata, ſana Warſoviæ vixit. Lapis vero extractus ex omni parte & loco, virili membro cum glande, præputio, ſcroto & in illo interſtincta ſutura ita erat ſimilis, ut omnes, qui illum videbant, propter lepidam ipſius formam, in admirationem deducerentur, uti refert Martinus Bernhardus a Berniz *M.N.C. Dec. I. An. 2. Obſ. 139. p. 223.* Et ſecundum Obſervationem *140.* idem Fridericus Wred ex Sereniſſimæ Reginæ Confeſſionarii, Reverendi Patris Schœhovii, Soc. Jeſ. ſexagenario majoris veſica, lapidem ſtupendæ magnitudinis, coloris obſcuri rubeſcentis exſecuit. Et juxta Obſervationem ſequentem idem famatus lithotomus puero Nobiliſſimo ſeptem annorum (Palatini Polocenſis filio) ſeptem lapides, partim ex meatu urinario, partim ex veſica extraxit.

§. 75.

Alghiſi Sic Thomas Alghiſi, Academicus Florentinus atque Chirurgiæ Magiſter & Lector in Noſocomio S. Mariæ non ſolum Tractatum Italicum de Lithotomia ſive calculi extractione, Anno 1707 edidit, in quo omne, quod ad ſufficientem ejus Theoriam atque circumſpectam Praxin requi-

requiritur, luculenter deſignat, multisque figuris illuſtrat, ſed etiam artem ſuam calculum extrahendi variis exemplis probat; & quidem primo puellæ alicujus, & monialis, quarum illa exiguum fuſum eburneum, hæc vero candelam parvam ceream per urethram incautius in veſicam eo effectu immiſerit, ut prior ex calculo inſigni, circa mediam fuſi partem concreto, Florentiæ in Xenodochio S. Mariæ novæ perire, poſterior autem a cruſta calculoſa ſuperficiem candelæ inſtar exiguarum cryſtallorum cingente, Autoris manu perita liberari demum habuerit neceſſe. Deinde etiam calculum, fruticem quaſi corallii æmulantem, ex viro ſexagenario, cui Dominici Faltera nomen, dictus Alghiſi exſecuit, uti Collectores *Actorum Lipſienſium Ann. 1708. Menſ. Septembr. p. 418. ſeq.* recenſent.

§. 76.

Georgius Henricus Meier, lithotomus Anno 1675 d. 23. Januar. Halæ Saxonum præſentibus tribus medicis Valentino Andrea Mœllenbrockio, Friderico Hoffmanno & Chriſtophoro Knauthio, ex muliere ſexagenaria calculum trium unciarum cum dimidia feliciter exſecuit, uti refert Caſparus Theophilus Bierlingius *Theſaur. theor. pract. N. VI. ∫. 41.* Manu dexterrimi lithotomi Lugdunenſis Batavi, nomine Smaltzii per inflictum vulnus, calculi loco duas extraxit fiſtulæ tabacinæ partes, calloſa cruſta notabiliter obductas. Quibus oblatis referebat examinatus patiens, ſe ante annos aliquot, poſt lithotomiam, tunc temporis etiam inſtitutam, pruritum vulneris, nondum conſolidati, ſenſiſſe moleſtum, partemque læſam adeo irritantem, ut fiſtula tabacina, quam forte ad manus habebat, vulneris latera exploraverit & fricaverit pruriginoſa, hancque fiſtulæ fractæ partem, veſicam urinariam ſubingreſſam, in illum usque diem, ibidem hæ-

ſiſſe affirmabat, juxta Anton. Nuck. *Adenograph. cap. 7. p. 82.* Hic Noach Smaltzius, induſtrius chirurgus Harlemenſis, ſecundum Johann. van Horne *Microtechn. §. 21. pag. 451.* ex lithotomi Pariſienſis, nomine Collot, cujus paulo ante mentionem fecimus, ſedula inſpectione, dum Operationem faceret, ſimul quoque ex mutuo colloquio tantum profecit, ut hanc quoque chirurgiam aggreſſus fuerit & dexterrime perfecerit, non in bimulis ſolum infantibus, ſed & ſexagenario majoribus, quos compendioſe ad ſanitatem perduxit, quamvis illorum aliqui novem, alii triginta & plures calculos in veſica habuerint. Uſus autem eſt, juxta methodum Calloti, Apparatu magno, in cujuſcunque ætatis ægris; quia cenſet, intruſione digitorum in anum, ut & abdominis violenta compreſſione (qualis in pueris ex veteri formula ſolet adhiberi) non ſolum excitari ſummos dolores, ſed præterea etiam inflammationem & gangrænam dictarum partium.

§. 77.

Schön Lithotomi & operatoris expertiſſimi, nomine Schön, ſenioris, meminit Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. & Curat. medicin. Cent. IV. Obſ. 27. p. 401.* qui lithotomus ipſi inter plures a ſe extractos e veſica diverſorum variæ figuræ & magnitudinis lapides quendam prægrandem ovo gallinaceo non multo minorem, ſubalbum & aſperum calculum oſtendit, in cujus mutilata parte globus vel pila plumbea bombardæ minoris firmiſſime hærebat. Sic refert Nicolaus Tulpius *Obſerv. medic. Lib. III. cap. 4. p. 196.* *Sasboutius* Cornelium Sasboutium in exſecandis calculis omnem ætatem triviſſe. Scribit etiam Guilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſerv. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 24. fol. 309.* ſibi Da- *Epiſcopus* nielem Epiſcopum, lithotomum excellentem & ſenem Bernæ ultra quinquaginta calculos, quos ille ipſe ex corporibus humanis extraxerat, Anno 1615 monſtraſſe. Abrahamum

hamum Cyprianum Medicum etiam lithotomum eximium fuiſſe refert Johannes Dolæus, ſibique illum retuliſſe, ſeſe ſubinde portiunculam ſtraminis cani per penem in veſicam truſiſſe, quo quodam tempore poſt diſſecto, calculus in veſica fuerit repertus, in cujus medio ſtraminis portio latuerit. vid. *M.N.C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 253. p. 592.* quo loco etiam lithotomi Judæi, Samuelis Benarenti fit mentio.

§. 78.

De duobus lithotomis nimirum Georgio Gentnero & Georgio Prodmanno raram Obſervationem recenſet Johannes Georgius Volckamerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 177. p. 414. ſeq.* de mercatore quodam Paulo Lerſch, quam ſupra §. 28. jam adduximus. De Benedicto Widemanno, celebri lithotomo Auguſtano, qui contra quorundam medicorum opinionem, per catheteris ad veſicam usque immiſſionem, certam calculi prope veſicæ orificium adhæſionem prædixit; quem etiam poſt ſexennium in eadem perſona ſeptuagenaria, poſt apoplexiam defuncta, rotundum, oblongum, nucis pene juglandis magnitudine, & prope orificium meatus urinarii firmiter inhærentem, excidere licebat. vid. Johann. Helwig. *Obſervat. phyſ. med. Obſ. 118. p. 324. ſeq.* *Gentnerus* *Widemannus*

§. 79.

Huc pertinet etiam Petrus Francus a quo ſectio Franconica nomen habet, & Apparatus altus, Gallis haut appareil dictus, caſu inventus fuit; item lithotomus ille Monachus Frater Jacobus, vel Frere Jacques, de quorum methodo & operationibus hactenus prolixe egimus. Petri Franci, vel juxta alios Franconis methodo Bonetum lithotomum olim Pariſienſem inſtitiſſe, refert Joh. Guilielmus Pauli *Annotat. in* Johannis van Horne *Microtechn. §. 21. p. m. 422.* *Francus*

§. 80.

Eiſenbarth Lithotomorum Berolinenſium, ut adducamus exempla referunt *Acta Medic. Berolinenſium Vol. II. n. 6. p. 138. ſeq.* binas Obſervationes: Menſe ſcilicet Junii Anni 1717 die 22. ſectionem calculi veſicæ inſtituit lithotomus noſtro ævo ſatis notus, nomine Eiſenbarth, in puero quindecim annorum. Extractio calculi equidem ſatis feliciter peracta eſt, ſymptomatum autem ſubſequentium gravitas inſuperabilis ipſum poſt vigeſimum primum operationis peractæ diem interire fecit. Calculus extractus pependit unciam unam & ſemis. Et Menſe Novembri ejusdem Anni ſecuit Vir *Bude* juvenis, Joachimus Ludwig Bude calculum veſicæ in præſentia plurium medicorum ex collegio medico, in puero duodecim annorum, a patre nephritico prognato; qui puer recordabatur, ſe ſaltem per tres retro annos dolores ex calculo cum urinæ & ardoribus & ſuppreſſionibus ſenſiſſe. Satis animoſe de cætero ſuſtinuit in perinæo ſectionem cum Apparatu majore, perſuaſus, dolorem parum ab ipſa venæſeictone differre. Extractio calculi videbatur poſt inflictum vulnus aliquod negotium operanti faceſſere, dum calculi magnitudo non ſolum vulneris facti capacitatem ferme transſcendere, ſed & modus, quo calculus in lateribus magis craſſitiei, quam latitudinis forcipe prehenſus erat, extractionem difficultare appareret. Hæ tamen difficultates habilitate manuum operantis poſt brevem expectationem ſuperabantur. Idem Bude etiam Anno 1718 die 9 Menſis Maji calculum veſicæ ſecuit in juvene viginti annorum, præſentibus medicis nonnullis ex collegio medico chirurgis in arte ſua exercitatis; ſub optimo autem vulneris conſolidandi proceſſu die decimo quarto ejusdem patiens urinam per urethram emittere potuit; in totum autem reſtitutus videbatur, ubi vigeſimum ſecundum diem Maji attigerat. Calculus

lus autem unciam unam & tres drachmas pependit. vid. *Act. allegat. Vol. IV. pag. 103. ſeq.*

§. 81.

Vixit etiam Hafniæ Anno 1725 lithotomus quidam non incelebris, de quo *Acta Eruditorum Lipſienſium Menſ. Januar. Anni 1726. pag. 42.* ſequentia ex Literis Georgii Friderici Francia Franckenau Anno 1725 d. 9 Octobris ad D. Michaelem Erneſtum Ettmüllerum P. P. datis excerpta communicant. Novam invenit Machinam Johannes Heinricus Heſs, chirurgus & lithotomus apud nos famigeratiſſimus, pro calculo ex veſica, tenaculorum loco, extrahendo, quæ nullam veſicæ vim infert. Experimentum factum eſt die 26 Septembris, me alioque Medico, & quinque Chirurgis Provincialibus præſentibus, felici cum ſucceſſu in juvene viginti octo annorum, qui bene quidem nunc degit, multum tamen materiæ ſabuloſæ ex renibus deſcendentis per veſicam quotidie excernit. Mitto tibi iconem recens inventæ hujus machinæ & calculi extracti, ut publico illa innoteſcat, & a peritis atque curioſis forſan emendetur & perfectior reddatur. Figuram ibidem reperies. *Heſs*

§. 82.

Celeberrimus etiam noſtri temporis lithotomus fuit Abrahamus Cyprianus Anatomiæ & Chirurgiæ in Academia Franequerana Profeſſor. *Cyprianus*

§. 83.

Circa hactenus recenſitam calculorum ejectionem atque exſectionem, ſive lithotomiam, paucis adhuc annotandum venit, interdum tam ratione calculoſorum, quam etiam lithotomorum, ſive vulgo dictorum operatorum, varias hinc inde commiſſas atque detectas fuiſſe fraudes taleſque deceptores non immerito pœnæ aut ſupplicii cauſa a Foro Medico ad Magiſtratum politicum remiſſos. *Fraudis Calculoſorum*

Quale

In Puero Quale exemplum pueri calculos mejere ſimulantis recenſet Thomas Bartholinus *Epiſtol. medicinal. Cent. III. Epiſt. 60. pag. 238. ſeq.* Ex Cimbria, inquiens, calculi ſaxei multi magnitudine conſpicui, a puero per urethram ejecti Hafniam ad Sereniſſimum Regem noſtrum non ita pridem mittuntur. Ut rei veritas eſſet manifeſta, puer ipſe accedere jubetur, &, ne fraus occultaretur, ſolus ſine fratre, quem comitem ſibi adduxerat, in arce regia cuſtoditur. Juſſu Clementiſſimi Domini & Regis mei puerum diligentius inſpicio. Magna vero confidentia non raro certis periodis calculos diverſæ magnitudinis per lotium ſibi excerni aſſeverabat, præcedente ſemper animi quadam commotione & veluti convulſionibus comitantibus. Calculos ſaxea ſoliditate in rei fidem produxit, quos aſſervaverat, ſed quia nonnihil nucem juglandem fere æquabant, per urethræ latus vi viam factam levi cicatrice demonſtravit. Fraudem tamen ſubeſſe eventus docuit. Nam ſecluſus a fratribus & amicis in cuſtodia arcis ſimulabat quidem nonnunquam oculorum torſione & doloribus neſcio quibus in inguine, & advocatis Medicis perſuadere voluit imminere paroxyſmum calculoſum, ſed ſæpius repetitis conatibus in auras omnia evanuerunt. Tanta tamen fuit Regis clementia, ut venia ſupplici data ad aſtum hunc ab amicis inopia laborantibus edocto, juſſerit honeſto opificio regaliter deſtinari.

§. 84.

In Puella Similem fraudem, in puella ſeu muliere viginti annorum obſervatam ex communicatione Theophili Boneti, ſequentibus verbis refert Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 80. pag. 307. ſeq.* Puella viginti circiter annorum, cui vultus, qualis anaſarca laborantibus, dolore renum ſe laborare ait, poſt imi ventris cum gravitate, teneſmo & iſchuria. Accitus Chirurgus Noſodochii catheterem immittit,

mittit, elicit remorantem urinam & deprehendit ex renitentia lapidem: Ejulat puella, auxilium poſcit, immiſſis digitis educit chirurgus non lapidem, ſed ſilicem; poſtridie eadem revertuntur accidentia, adeo, ut ad eadem auxilia confugiendum fuerit, extrahiturque iterum lapis; ſicque ex ordine poſt eadem lamenta ad triginta usque. Novitate perculſus Noſodochium adeo, ejulantem puellam video, quæſita aliquot properanter facio: reſpondet, ſe a plurimis annis dolori renum obnoxiam eſſe, exinde dolorem ad pubem vergere, excreto lapide quietis ſe eſſe compotem, donec novus niſus apprehenderet. Interim chirurgus ad officium ſe componit, catheterem indit vaginæ, hinc urethræ, impellit ad usque renitentem lapidem, quo ubi ſubſtitit, ut apprehendam, rogat, renitebatur cum ſono: introducit digitos atque immaniter ejulanti puellæ ſilicem quadrato-longum, pollicis longitudine, ſed craſſiorem, nullo muco vel ſanguine infectum, extrahit: hinc quietiſſima puella. Affrictum lapidi cultri dorſum ſcintillas elicuit. Medicus Noſodochii oſtendit ſeptem multo minores: atque in his unum perſimilem illi, qui generantur in veſica, figura ovi columbini, aſperum. Sed fraus non diu latuit, ea enim ipſa die, qua hunc excluſit, nidus ſub axillis repertus eſt lapidum in ſentinam illam trudi deſtinatorum. Fraudis haud multum abſimilis exemplum refertur etiam in Dan. le Clerc & Jacob Manget. *Biblioth. anatom. Tom. I. Part. 1. fol. 386. ſeq.* Ante tres circiter annos, Genevæ, in Hoſpitali, paupercula quædam puella, annos viginti quinque nata, atrociſſimos lumborum, pectinis & perinæi dolores ſimulabat, tum de urinæ difficultate & ſuppreſſione multum querebatur. Quadam autem die cum ſymptomata omnia ingraveſcere viſa eſſent, calculum unum fabam craſſitie æquantem, ſubruſum, ſolidiſſimum, ponderoſiſſimum, uno verbo, ſilicem

in fluminis ripa collectum omnino referentem ægre, ut videbatur excrevit. Plures dein tales calculos, etiam multo majores, per aliquot dierum intervallum, obſtetricantibus, mulierculis enixa eſt; Donec caſus inſolentia impulſus, ſimul & dolum ſuſpicatus medicus hoſpitalis ordinarios nos cum chirurgis, qui rem penitius ſcrutarentur, accerſivit. Inquiſitionem primo, pudoris & futuri doloris prætextu, recuſabat illa; ſed mox, fore ut chirurgis etiam imponeret, confidens, ſe ad examen, ut par erat, compoſuit. Diductis vulvæ labiis & nymphis urethræ foramen nullatenus dilatatum apparet. Immiſſo cathetere nullus deprehenditur in veſica calculus. Poſtquam explorata eſt veſica, chirurgus vaginæ ingreſſum apice digiti, virginitatis ocellum violare metuens, leviter primo attingit: at cum ſtratum iter agnoviſſet, digitis altius adactis, lapidem ovo columbino ſimilem e vaginæ fundo extrahit. Nequitiam fateri cogitur mendica, virgisque impoſtura expiatur. Sane ſi improba hæc, unum aut alterum ſubditium calculum primis diebus reddidiſſe contenta, viſitatione & inſpectione fraudis aperte convicta non fuiſſet; ſilices fluviatilibus ſimiles etiam in veſica quandoque ſuccreviſſe, non pauci hodie affirmarent.

§. 85.

Fraus Lithothomorum

Deinde etiam ab ipſis lithotomis ſeu operatoribus quandoque fraudes committuntur, dum ipſorum nonnulli temerarii calculi ſectionem & extractionem ſimulant aliumque lapidem calculo vero ſubſtituunt. De ejusmodi impoſtoribus ita loquitur Johannes Freind *Hiſtor. Medic. Part. II.* juxta editionem gallicam *d'Etienne Coulet pag. 36.* Quelques impoſteurs pretendent tailler un malade de pierre. Ils ſont l'operations; ont une pierre dans leur main, qu'ils montrent en ſuite, & ne manquent pas de dire, qu'il y en avoit deux dans la veſſie, a fin qu' oncroye,

oncroye, qu'ils en ont tiré celle là. Quelque-fois ils introduiſent la ſonde dans la playe, mais n'etant que des ignorans, ſans principes & ſans regles, ils ne peuvent pas même par là diſtinguer s'il y a une pierre, on s'il n'y en a point, & à tout hazard montrent celle, qu'ils avoient toute prête, pour dire qu'ils l'ont enfin tiré. Scribit etiam Hieronymus Fabricius ab Aquapendente *Operat. Chirurg. Part. I. cap. 49. Edit. Francof. p. m. 262. & Edit. Patav. f. 264.* aliquos ex iſtis operatoribus lucri cupiditate adductos, renuente ægro catheterem ad operationem deveniſſe & facta inciſione, cum lapidem in veſica non invenerint, alium, quem in promptu celatum habebant, ſubſtituiſſe atque oſtendiſſe. Quale exemplum recenſet Felix Platerus *Quæſt. Therapeut. pag. m. 169. ſeq.* de lithotomo quodam, qui cum in virgine nobili meatum urinarium dilataſſet & forcipem intromiſiſſet, ut calculum quem adeſſe putabat, & cujus nomine hæc agebat, extraheret, diu multumque eam vertendo quærendoque, cum nihil inveniret, dum forcipes diverſi generis ſub panno occultatas mutat, tandem unam clauſam, clam manibus, illius cochlearia duo anteriora, quibus calculum apprehendere ſolent, tegens, apprehendens in veſicam intrudit; neque enim, uti alias fieri deberet, ad apprehendendum calculum, aperit, ſed hinc inde occluſam tamen quoque torquens, ac ſi illum perquireret, mox ſe inveniſſe clamans, exiguum admodum extrahit. Hunc calculum prius in forcipis cochlearibus occultatum & agglutinatum fuiſſe, omnino ſibi perſuadet Platerus, tum ex ipſa obſervatione, tum quia nullum levamen poſtea virgo ſenſit. Similem dolum in alio lithotomo fuiſſe deprehenſum, qui cum ſectionem inſtitueret, calculum in manibus occultatum gerebat, ut ſi forte non inveniret eum, quem in veſica eſſe prædixerat, hunc tanquam extractum ſupponeret,

ret, Felici Platero confirmavit Amerbachius. Aliud exemplum refert Guilhelmus Fabricius Hild. *Lithotom. Veſic. Cap. I. p. 22. & Cap. VII. p. 67.* ubi primo dicit, ſe ſcire, lithotomos quosdam adeo leves ac temerarios eſſe, ut ex levi quavis calculi ſuſpicione atque ſigno, veſicæ ferrum admoveant, in eaque multum fodicent & quæritent, tandem tamen calculum nullum inveniant. Talis empiricus, pergit idem, meo tempore Coloniam venit, qui magnifice de ſe ipſo ſenſerat. Cum autem cuidam ibidem calculum extrahere vellet, calculum tamen nullum in ipſius veſica reperiſſet, clam & admodum prompte calculum e manica ad forcipem emiſit, & ac ſi eum e veſica eduxiſſet, ſimulavit. Cum vero quidam ex adſtantibus amicis dolum ipſius deprehendiſſent ejusque nequitiam detexiſſent, a Magiſtratu Ampliſſimo examinatus &, ut æquum fuit, caſtigatus atque relegatus fuit. De lithotomo quodam Nemauſenſi, nomine Raones, qui in generoſo quodam viro ſuperficialem in perinæo ſectionem fecit atque ſuppoſititium calculum eidem exhibuit loco veri, quo laborabat, & quem poſtea ab alio chirurgo, cui nomen Callot adimi ſibi juſſit. vid. Johann. van Horne *Microtechn. §. 21. p. m. 450. ſeq.* Hujus lithotomi meminit etiam François Tolet *de la Lithotomie cap. 16. p. 146. ſeq.* inquiens: En mil ſix cent ſoixante-trois le fameux Raoux parut a Paris, qui pratiquoit le petit appareil ſur tout le ſexe maſculin, de quelque age & corpulence que fut le malade, impoſteur en ce qu'il en trompoit pluſieurs, leur laiſſant la pierre & en ſuppoſant atroitement d'etrangeres a ceux qu'il ne tailloit pas reellement, & a qui faiſoit une legere inciſion, les ayant fait ſouffrir beaucoup tant par une compreſſion tres-violente, qu'il faiſoit ſur le bas-ventre du malade, que par l'intromiſſion cruelle de trois & quelque fois quattre de ſes doigts courts noüeux & pleins de verruës, qu'il

pouſſoit

pouſſoit dans le rectum jusqu'aux ventres du tenar, de l'antitenar & de l'hypotenar, ainſi que le marque le ſçavant Drelincourt, Docteur en Medicine, qui pour detromper le public compoſa dans la même année un abregé, des fourberies de ce trompeur, ſous le titre de la Legende du Gaſcon. &c. Et Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. med. phyſic. Lib. 1. Obſ. 5. p. 10.* de calculis pro aliis agens, inquit: cum non ſemper certa ſit calculorum explorandi ratio, evenit, ut qui calculum deprehendiſſe ſe volunt, & tantum non adjurant, ubi eum ſecando non reperiunt, ne ſe fefelliſſe opinio videatur, de fraude ſolliciti ſint, calculumque alium pro alio ſubjiciant. Vidit ejusmodi nefas ante aliquot annos Gallia & certo in eam rem libello exagitavit Illuſtris Gallus, dans la Legende du Gaſcon. Atque hæc cauſa eſt, cur non temere cuilibet, operarium ſe profeſſo, credendum putem, & vitæ integritatem eſſe, quæ lithotomorum munus probare ſola debeat: Neque enim apparet, eum, qui nummis & quæſtu artem metitur, in officii tam laborioſi ancipitisque partibus ſedulum eſſe poſſe atque fidelem.

§. 86.

Etiam ejusmodi dolum ſe Pariſiis vidiſſe refert Carolus Patinus *Orat. de Remed. ſpecific. p. 478.* inquiens: Ante viginti quinque annos ſe Nobilem Hollandum fingens ſceleratus quidam Burdigalenſis, ſpecificam artem ſcire ſe ſparſit, qua levi cum dolore calculum e veſica extraheret. Utcunque primis operibus ſucceſſit ſcelus, donec e proceribus Suecis unus ſe impoſtori permiſerit, & extractum ſibi lapidem confidens cis menſem inter inflammationes diſtentionisque cruciatus ultimum obierit diem. Pro gentis more diſſectum fuit cadaver, & repertus in veſica calculus ampliſſimus, quæ nunquam diſſecta fuerat. Inciſionem quidem in perinæo faciebat perfidus ille nebulo, *Alia Exempla*

& ſanguine illius prodeunte, portatum clam a ſe calculum illinibat, quem e veſica extractum exiguo cum dolore mentiebatur & gloriabatur. Se ideo quenquam ad chirurgicum opus admittere velle negabat, ne ſpecificum ſuum ſecandi modum palam declararet. O teterrimos homines, Dei atque hominum juſtitia puniendos: Item de fraude cujusdam circumforanei, ſpecificum aliquod lithontripticum venditantis ſequentia refert idem Patinus *loc. all.* Domino Dureto aliquotque ejus collegis, Mareſchotto, Pietræo, Hollerio & Gorrhœo perſuaderi non potuerat, lithontriptico cujusdam ciniflonis pulvere lapidem in veſica latentem atteri & in arenas frangi, donec Principem, trium annorum, illo uſum melius valere, ac ſingulis diebus rubeas arenulas in matellam, una cum lotio deponere, ejus tota familia univerſaque plebs lætabunda clamaret. Quid fit? Dominus Duretus ad mictionem calculi pulveriſati excretionem dictam accerſitus, dum impoſtor ille vafer infantis verpam dextra ad urinam fundendam ſollicitare fingebat, e ſiniſtra aliquid in ſcaphium deponi & ejus parietibus adhærere, caute animadvertit. Apprehenſo derepente brachio, chartula inter ſubuculam & cutem reperta eſt, pulvere rubro, ut præcipitato, referta. Et illud erat ſpecificum fraudatoris remedium.

§. 87.

Calculi ſubſtitutio licita

Quanquam autem ejusmodi lithotomi, qui vel ex malitia, vel ignorantia ſignorum calculi veſicæ eo ſeducuntur, ut lapidem calculo vero ſubſtituant, non immerito juſtam pœnam luant, dantur tamen nihilominus etiam caſus, ubi lithotomus artis ſuæ ſatis peritus, ſimulque conſcientioſus, talem calculi ſubſtitutionem absque fraude, ac non ſine laude exercere poteſt vel etiam debet; quam ſententiam etiam fovet Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. phyſico-*

phyſico-medic. Lib. I. Obſ. 5. p. 10. utut, inquiens, ego in totum damnem illam veſpillonum temeritatem, tamen eſſe caſus, ubi prodeſſe poſſit ejusmodi fallacia, facile mihi perſuadeo. Accidit nonnunquam, ut ſub prima ſectione, (ſeu quod magnitudo, ſeu poſitus, ſeu nexus in explorando præterierit) non ſtatim calculus educatur, ſed naturæ relictus vel ſponte per plagam exeat, aut ad virium confirmatus robur ferramentis cedat initio nocituris. Quando autem plurimum in eo ſit momenti, ut in tanto cruciatu ægri animus erigatur; conſultum forte fuerit, fugiente vero calculo, alium ſubjicere, jamjam ægri oculis exponendum: ne deficiens ad tormina animus cogitatione fruſtratæ operationis magis magisque labaſcat, & tolerati in ſpem doloris fructum plane amittat; id quod tale eſſe puto, ut ab expertis animique affectuum conſciis improbari omnino non poſſit. Lactandus interim æger bonis verbis & officioſe monſtrandum, alium adhuc ſupereſſe lapidem, qui, quod vires molitionis diuturnitatem in præſens non ferant vel naturæ, aut leviori manui eadem facilitate in poſterum ſit ceſſurus, allatis quoque in eam rem non vanis exemplis. Et vero norunt Franconianæ & Callottianæ Methodi cultores, ſi poſt juſtos labores nihil ſequatur, inceptam operam differendam eſſe, cum, ut Celſus ait, longa inquiſitione veſica lædatur, excitetque inflammationes mortiferas. Certe quotidianum eſt, calculum calculorumque ramenta, quæ nec forceps, nec alia diruere initio poterant, poſtea ſponte per vulnus egeri, ſoluto quaſi in illa corporis perturbatione, nexu, quo continebantur, tofaceo ligamentoſo. Vidi, pergit Pechlinus, tentatum cathetere calculum jamque etiam forcipe arreptum, fallente ſuperficie, lithotomi, qui erat celeberrimus, manus eluſiſſe; cumque ægrum ulterius lancinare religio eſſet, commiſſo naturæ negotio, tandem ſponte per

vulnus

vulnus prodiiſſe, ægro interea de eventu valde ſollicito. Quid quod famoſiſſimus in Batavia Lithotomus D. Cyprianus, cujus manum & dexteritatem in ſecando Hamburgi miratus ſum, mihi retulit: eveniſſe ſibi, ut exſiliens vulnere lapis (quod fieri ſolet) inter manus quærentis periret, nec ægro oſtendi poſſet, ſuccedente tamen ex voto cura. Imo teſte illo, Jannotto idem Pariſiis accidiſſe, ut præ exilitate inter genua ſecantis diu fruſtra quæſitus, qui proruperat, lapis tandem deprehenderetur. Ubi ſi Medicorum ſuffragio alium & ὑποβολιμαῖον ægro lapidem oſtendiſſet actutum operarius, haud dubie & fiduciæ ejus & bonæ ſpei apud ægrum, quæ ipſa plurimum in curando valet, magnum acceſſiſſet monumentum.

§. 88.

Lithotomorum fraus alia. Cum nonnunquam etiam lithotomi in veſica humana calculos reperiant, lapidi bezoar tam orientali, quam occidentali, ratione coloris atque figuræ adeo ſimiles, ut a ſe invicem diſtingui nequeant adeoque etiam Aromatarios, Pharmacopæos & Medicos oculatos quandoque decipiant, accidit ſæpe, ut vel ipſi lithotomi, vel alii, ab ipſis ejusmodi calculos vili pretio ſibi comparantes impoſtores, tales calculos humanos loco lapidis bezoar magno pretio fraudulenter aliis vendant, uti refert Johannes van Beverwick *im Schatze der Ungeſundheit Part. I. cap. 18. fol. m. 65.* Et Guilhelmus Fabricius, Hild. *Obſerv. Chir. Cent. IV. Obſ. 24. Oper. fol. 309.* meminit Danielis Epiſcopi, Lithotomi Bernenſis excellentis, qui ultra quinquaginta calculos, quos ille ipſemet ex corporibus humanis extraxerat, dicto Fabricio monſtravit, inter quos hic nonnullos obſervavit, qui ex multis tenuiſſimisque laminis conſtabant, & occidentalem bezoar quam eleganter præ ſe ferebant. Quapropter optimus ille ſenex Epiſcopus conſtituit, & hæredibus ſuis mandavit, ut fato ſuo functo omnes, quos ex-

traxerat

traxerat ſibique reſervaverat, feretro ſuo imponerentur, ne forſan impius aliquis impoſtor impoſturam cum ipſis exerceret.

§. 89.

Utrum vero fraudibus, an malitiæ, an ignorantiæ lithotomorum adſcribendum ſit, quando lithiaſis loco varios alios comminiſcuntur morbos, & imprimis luis venereæ ſuſpicione ægrorum famam indocte & malitioſe lædere audent, conſcientioſorum medicorum judicio remitto. *Item loco calculi alii morbi.* Tale autem exemplum fœminæ calculoſæ pro venerea miſere tractatæ, expulſo autem, digitorum adminiculo, calculo curatæ, recenſet Job van Meekren *Obſerv. medic. chirurg. Cap. 56. pag. 264.* Uxor ſcilicet Eduardi Abbeck per triennium præter propter ardore dolorifico circa pudendum, atrochondonibus variis pravæ notæ, nec non urinæ ſalſæ crudæ acrioris, cui quandoque materia mucoſa cruentave permiſcebatur, laboraverat. Ex continuis vigiliis, vomitibus, doloribusque debilitata emaciataque febri affligebatur continua, cephalalgiaque gravi. Symptomata hæc conſiderantes medici varii, lue venerea illam laborare judicarunt. Placuit aliis, haud quidem morbo gallico, attamen gonorrhœa eam vexari. Mœſta hæc ægrotans Dn. Guilielmum Piſonem & Dn. Rocomoro, nobiscum accedere curavit, ſic fore ſperans, ut certi aliquid circa ſtatum morbi conſtaret. Conſiderata hinc urinæ ſanguinolentia purulentave, perſpectis pudendum occupantibus cognita medicorum circa morbi naturam ſymptomatumque cauſas ſententia, eorum imprimis qui morbo gallico omnia adſcribebant, conſultatione debita inſtituta, luem veneream malorum cauſam neutiquam hic habendam eſſe, pronunciavimus, at vero viam urinariam circa orificium ſeu exitum ab inſigni aliquo calculo anguſtatam eſſe. Calculi hujus extractionem, quam unice deſi-

derabat ægra, non ſolum, quo ſymptomata, quibus longo adeo tempore miſere afflicta fuiſſet, hoc medio tollerentur, ſed & fœdi morbi, quo laborare dicebatur, ſuſpicio omnis auferretur, ad hunc modum inſtituimus; ſiniſtræ manus digito indice in vaginam uterinam immiſſo calculum apprehendebamus, mox lapidello per meatus urinarii orificium ſupra calculum inſerto eundem celeri manu extrahebamus, & ſic brevi tempore absque notabili dolore fœdum illud malum, quo laborare eam multi ſibi perſuaſerant, integre curatum. Calculi autem extracti figuram & magnitudinem dictus autor ibidem exhibet. Ejusmodi etiam ſpecimen Auguſtæ obſervatum refert Lucas Schrœckius, Lucæ Filius, in bonæ indolis juvene, ab imperito hac in re chirurgo pro venereo, non ſine aliqua famæ macula, aliquandiu peſſime tractato, usque dum tandem immanibus confectus doloribus; duos inſignes calculos in veſica exhibuiſſet; licet ab ipſo etiam lithotomo, cæterum non inexperto, contra medici doctioris adſertum, a calculi labe immunis fuerit proclamatus. vid. Luc. Schrœck *Additam. ad Johann Helwig. Obſervat. phyſ. medic. 118. p. 326.*

CAPUT XIII.

De Nephrotomia.

§. 1.

Nephrotomia Præter hactenus deſcriptam lithotomiæ veſicæ, ſive calculi ex veſica urinaria diverſis modis exercendam extractionem, a nonnullis autoribus alium adhuc ex vivorum hominum renibus, & quidem per lumbos exſcindendi & extrahendi calculi modum, hinc inde commen-

datum

datum reperimus, qui vulgo Nephrotomia nominari ſolet. Licet autem vocabulum Nephrotomia, juxta ſuam originem & compoſitionem, a νεφρὸς, ren, & τέμνω, ſeco, deſcendens, pro calculi ex renibus exſectione, non proprie, ſed pro aliarum quoque rerum, v. g. materiæ purulentæ, per abſceſſum ibidem collectæ, evacuatione inſerviat, nobis tamen hoc loco pro calculi ex renibus exciſione & extractione ſeu pro Nephro-lithotomia, cum aliis autoribus eodem uti libet.

§. 2.

Solet ſcilicet per lumbos inſtitui inciſio usque ad renes, qui poſtea in parte gibboſa etiam inciduntur vel diſſecantur, & calculi & alia, imprimis materia purulenta, in pelvi renum reperiunda, per has vias eximuntur vel extrahuntur. Poſſe autem in renum ſuppuratione abſceſſum per ſe aperiri, vel nephrotomiam cum ſucceſſu exerceri, varia teſtantur exempla, quale recenſet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. I. Obſ. 52. p. 221. ſeq.* de puella, novem decemve annorum, quæ non ſine magno dolore jam diu urinam reddiderat, ſanguinis nonnihil quandoque purisque ac pituitæ aliquid cum ea ſimul emittens. Cum eadem jam duos tresve annos inter maximas haſce anguſtias tranſegiſſet, in latere ſiniſtro abſceſſus conſpectus fuit, ſupra locum, quo alter renum ſitus eſt, qui ope cataplaſmatum tandem ſeſe aperuit, atque a chirurgo poſtea magis apertus multum puris variis temporibus emiſit, quæ emiſſio continuata eſt, usque dum poſt annos aliquot totus ille ren ſiniſter, ulcere tandem exeſus conſumptusque eſſet, clauderetúrque externa apertura. Ejusmodi abſceſſus in renibus exemplum recenſet Joh. de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 139. p. 279.* inquiens: Dominus Moccan quadragenario major inde a duodecimo ætatis anno prodromos nephritidis ſenſit, hinc ex-

In renum ſuppuratione.

tractionem calculi ex urethra ſuſtinuit, magnos quoque dolores obtuſos in ſiniſtra lumborum regione perpeſſus eſt. Vocatus autem chirurgus affectam partem examinatis in renum regione malum hærere pronunciavit, quippe quod ad fortiorem attactum dolor auctus ſit, & ad pudenda usque devenerit; materiaque in profundo fluctuans, pars vero tumida, urina cum ſedimento viſcoſo, purulento conſpicua fuerit, quam ſententiam obtuſus in rene dolor, & partis debilitas a calculoſa diſpoſitione contracta confirmarunt. Initio ergo cataplaſmata emollientia & ſuppurantia applicata ſunt; tunc cauterium potentiale additum eſt tumori magno cum ſucceſſu, nam cultello pertuſa parte momento citius puris integra libra evacuata fuit, inſequentibus diebus tantundem ſecretum materiæ albicantis, craſſæ haud acris. Perfecte tamen æger reſtitutus fuit. Inquit etiam Franciſcus Roſſetus *de Part. cæſar. Sect. III. cap. 7. p. 63. ſeq.* Ren, licet calculoſus non ſit, ſed ſolum ulceratus, & ipſi detur via per ureterem naturaliter ſe evacuandi, materiam tamen purulentam in eo contentam, ſæpius per lumbos excernit. Id quod poſt diuturnos dolores nephriticos & urinas purulentas ſæpius uſu venire ſolet, quæ etiam iis in locis fiſtulas incurabiles, ſed tamen tolerabiles, imo ad evitandum majus malum, exoptatas cauſant; quod duobus in ægris animadverti. Caſtellione enim mulieri cuidam corpulentæ poſt diuturnos dolores nephriticos, circa externam regionem renum, abſceſſus magnus ortus, qui a Magiſtro Gerardo, chirurgo Regis Henrici, me præſente, cauterio actuali fuit apertus, unde pus ſolum abſque calculo effluxit. Similis morbus, cum in abſceſſum eſſet verſus meoque conſilio apertus, ſimulque diu apertus reſervatus, juvenem quendam, Paillet nomine, viginti aut viginti unius annorum Guignovillæ Belſiæ a talibus

nephri-

nephriticis doloribus & urinis, antea valde purulentis liberavit, ita ut poſtmodum bene valuerit. Bartholomæus Cabrolius ad juvenem in rene ſiniſtro vehementiſſimum dolorem diu ſentientem accitus, abſceſſum ibidem latere contra aliorum medicorum & chirurgorum ſententiam, contendebat, demum vero ægroti, qui ſe malle ſemel mori, quam tot mortes vivendo perpeti ajebat, precibus motus ipſum incidit locumque materiam continentem reperit, ſed nihil inde exiit; duabus poſt horis, apparatum primum mutaturus acceſſit, tractoque penicillo, pelvim accipere coactus eſt, cujus plus quam dimidia pars pure repleta fuit, ſingulisque ſequentibus diebus bis vacuatio fiebat, ita ut tum mane, tum ſero catinus illo pure impleretur, idque per menſem integrum & amplius: Tandem vero appoſitis remediis ulcus deterſum, cicatrix inducta ipſeque perſanatus eſt. vid. Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 22. Obſ. 23, fol. 1165.*

§. 3.

Calculi per abſceſſum renum

Sicuti autem in renibus ſuppuratis ſæpiſſime quoque calculi, tanquam cauſa eroſionis & ſuppurationis, reperiuntur, qualia exempla in *Urolog. noſtr. Cap. 1. §. 14.* recenſuimus, ita etiam ab ejusmodi lapidum attritione & puncturis tam renes quam ipſi lumbi ita perforari poſſunt, ut calculi ſimul cum materia purulenta ex iisdem prodeant; uti refert Nicolaus Tulpius *Obſervat. medic. Lib. IV. cap. 27. p. 337.* inquiens: Juriſconſultus natus patre calculoſo eidemque cruciatui a puero obnoxius, vixit aliquandiu miſere, & tum quidem hoc miſerius, quod calculus a rene per lumbos expulſus reliquerit ibidem ulcus calloſum, profluens perpetim urina ac pure, & quidem fluxu tam perenni ac diutino, ut nullis remediis perſentiſceret opem, quin potius, occluſo per lumbos exitu, febre acutiſſima miſerandum in modum obiit. Inquit etiam

Franciſcus Roſſetus *de Part. Cæſar. Sect. III. cap. 7. pag. 58. ſq.* plurimorum medicorum & chirurgorum fide dignorum teſtimoniis patet, viſos eſſe in nephriticis per lumbos (loco valde incommodo) magnos calculos e renibus rejectos per apoſtema iis in locis periculoſiſſimis genitum, ut aliquando a chirurgis apertum, aliquando beneficio naturæ ruptum. Qua in re neceſſum fuit, ut una cum rene plurimæ partes corporis, tam externæ, quam internæ graviter fuerint oblæſæ. In juvene quodam per abſceſſum in lumbis ſponte apertum duos calculos cum pure egredi obſervavit Dominicus Panarolus *Jatrologiſm. ſiv. Obſervat. Pentecoſt. V. Obſ. 42. pag. 171.* Sic Theologi cujusdam uxor, ſexaginta fere annorum, plurimis annis immanes perpeſſa erat cruciatus nephriticos, qui demum Anno 1681 cum ſumma inflammatione & abſceſſu ſiniſtri renis, aliisque gravioribus ſymptomatibus magis magisque ſtipati & aucti omnem fere ſpem ſalutis præſcindebant; Poſt varia autem a medico præſcripta tam interna quam externa medicamenta, & inter alia cataplaſma ex radice Althææ, mica panis ſimilaginei recentis, Flor. chamomill. ſambuc. ſemine cannab. lini & papaver. albi in lact. caprin. coct. & lumbis aliquoties calide applicatum, optato cum ſucceſſu, rumpebatur abſceſſus renis, & magna puris copia una cum cruore & fragmentis calculi majoribus minoribusque cum urina per aliquot dies profluebat, dolore omnique ſymptomate penitus ceſſante, ægraque ex voto reſtituta, uti refert Chriſtianus Fridericus Paullini *Obſerv. med. phyſic. Cent. III. Obſ. 72. pag. 361. & M. N. C. Dec. II. An. 6. Append. p. 52.* Huc pertinet etiam calculus renalis lumbos perforans in Job. a Meekren *Obſerv. med. chirurgic. cap. 44. p. 183. ſeq.* ſcilicet Franciſcus de Haas, juvenis, ab anno ætatis decimo ſexto ad trigeſimum octavum gravi dolore nephritico ex urinæ excretione purulenta laboravit,

vit, varia ad doloris mitigationem, arenularum excluſionem, ulceris renalis curationem, adhibita, magno cum ſucceſſu, remedia, etiam fonticulus in femoris parte interna ad genu productus, quo hoc effectum, quod & dolor per aliquot annos remiſerit, & urinæ excretio purulenta. Anno uno cum dimidio ante obitum ſubito recidivam paſſus æger, ipſeque ſceleto magis, quam homini ſimilis videbatur, atque medicis tabe dorſali laborare judicabatur. At brevi dolore afficiebatur intolerabili lumborum parte infima, proxime ad oram oſſis ilium, ſine omni protuberantia, intumeſcentia aut craſſitie. Tandem tuberculum fabæ magnitudinis, rubicundum, inferiore magis loco, ac ille, qui doloris, ſe exhibebat. Hoc cultro acutiore aperto puris viſcidi, cinerei, aliquomodo fœtidi, plus quam libra ſemis effluebat, & hæc puris dicti evacuatio, licet non ſemper eadem quantitate, ad vitæ finem perdurabat. Plerique vero medici nullam partem aliam internam, accuſari hic crediderunt, quam renem dextrum, hujusque læſionem doloris in ægrotante cauſam eſſe; idque magis, quod accurata obſervatione notatum eſſet, puris copiam in urina, urinali recepta, imminutam eſſe, quoties ejus per foramen factum evacuatio largior. Imo credibile omnino habebatur, ulcus purulentum exhibens ſupra muſculum glutæum majorem ad oſſis ilii dorſum occurrens ex parte a rene dextro ad muſculum ſerratum & ſacrolumbum deſtillante, ortum fuiſſe; adeoque concludebant medici, ægrum hunc calculo renali cum exulceratione laborare; Quod etiam ſectio poſt ipſius obitum detexit, ſiquidem ren dexter in totum erat conſumptus, locum ejus occupante materia calloſa, cui hærebant calculi, ibidem delineatæ figuræ & magnitudinis, quorum maximus, dorſi exulceratione præmiſſa, viam ſibi, loco ulcerato, fecit, penetrante parte acutiore, relicta intra co-

ſtas ſpurias parte ampliore. Narrat etiam Dalechampius, viſum ſibi hominem, qui per lumborum abſceſſum, qui in fiſtulam degeneraverat, multos e renibus calculos excerneret, nihiloque minus in equo & curru vehi facile ferret. vid. Ambroſ. Paræi *Chirurg. Lib. 24. cap. 19. fol. 568.*

§. 4.

Nephrotomia an in calculoſis inſtituenda. Ejusmodi autem calculorum cum materia purulenta ex renibus per lumbos excretiones absque dubio nonnullis chirurgis etiam lapides in renum pelvi vel ipſis renibus ſuppuratis latentes, per easdem vias arte extrahendi anſam dederunt. Utrum vero hæc operatio, ſive nephrotomia, in tali caſu, quando nimirum calculi in renibus in tantam molem excreſcunt, ut per ureteres ad veſicam deſcendere vel propelli nequeant, poſſibilis atque *Negatur* ſuadenda ſit, differunt autorum medico-chirurgicorum opiniones. Avicenna enim *Lib. III. Fen. 18. Tr. 2. cap. 18. fol. m. 369.* hanc operationem improbat, inquiens: ſunt quidam, qui laborant extrahere calculum per inciſionem ilii & per dorſum, ſed eſt magnus timor in eo, & operatio ejus, qui rationem non habet. Plures huic aſſentientes autores paulo infra reperiuntur.

§. 5.

Affirmatur conditionate Alii tamen & quidem plerique de nephrotomia ſcribentes autores hanc operationem & quidem conditionate concedunt, ſcilicet quod ſi a renibus calculoſis per exulcerationem & ſuppurationem externe circa lumbos exoriatur tumor, chirurgo quaſi locum aperturæ monſtrans, tunc ibidem, tam puris evacuandi, quam calculi extrahendi cauſa, vel lancetta majori vel cultello inciſio fieri debeat; quodſi vero talismodi tumor non appareat, tunc nephrotomia exercenda non ſit. Inquit enim Johannes Riolanus *Enchirid. Anat. Patholog. Lib. II. cap. 29. pag. 159.* Calculi frequenter generantur in cavitate renum, ſive ſint

tubuli

tubuli ureteris, in quibus coralli modo concreſcunt, ſive ſit pelvis ubi rotundus formatur, ſi ita augetur, ut adducat renem ad ſuppurationem & ipſa vergat ad lumbos, per hanc partem cauſtico profundo pertuſam, poteſt pus expurgari, & calculus extrahi: alioquin, niſi natura monſtrante viam, atque præeunte, nefas eſt, nephrotomiam tentare, propter carnium craſſitiem & profunditatem. Ibidem etiam ex Cælio Rhodigino meminit calculi, qui a locis prope lumbos exeunt, ibi facta ſectione, putrefacto rene. Idem Riolanus etiam *Anthropograph. Lib. II. cap. 26. fol. m. 144.* inquit: ex ſitu renum intra duplicaturam peritonæi notabis integra & illæſa abdominis capacitate renes vulnerari & incidi poſſe, quod certiſſimum indicium eſt, nephrotomiam ſecure adminiſtrari poſſe. Imo ipſe Hippocrates *de intern. Affection. Oper. Sect. V. fol. m. 100.* Nephrotomiam, & loco cauterii ſectionem ſuadet his verbis: Si pars, qua præcipue dolor, intumuerit & extuberarit, ſub hoc tempus juxta renem ſecato & extracto pure arenam medicamentis urinam cientibus curato. Si enim ſectus fuerit, evadendi ſpes eſt, alioqui morbus hominem ad mortem usque comitatur. Et Lucas Schrœckius Lucæ Filius *Schol. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 139. p. 280.* inquit: ex his Hippocratis verbis, renem ſcilicet exulceratum, & ad ſpinam tumore ſe manifeſtantem, eſſe ſecandum, forte permoti nonnulli, calculos renales itidem ſectione in lumbis facta poſſe educi ſtatuunt. Item Dominicus Panarolus *Obſ. medicinal. Pentecoſt. V. Obſ. 42. p. 171.* eam tantum ſectionem credit poſſe adminiſtrari, nempe cum ren ſecundum verba Hippocratica intumuerit & elevatus fuerit, vel ut paulo poſt ſubjungit, quando ren ſuppuratus fuerit. In hoc etenim caſu natura ſibi parat iter, & hoc modo ſecti convaluere. vid. etiam Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Qu. 87. p. m. 1140.*

§. 6.

Sine ſuppuratione

Interim tamen nonnulla quoque apud Autores extant nephrotomiæ exempla, in quibus nulla ſuppurationis aut exulcerationis renum fit mentio. Inquit enim Hieronymus Cardanus *de Rerum Varietat. Lib. VIII. cap. 44. p. m. 584.* Albertum vidiſſe mulierem, quæ, cum diu conflictata eſſet dolore renum gravi diſſecto loco decem octo lapides emiſerit, magnitudine aleæ. Ejusmodi hiſtoriam ſecundum Joh. Freind. *Hiſtor. Medicin. Part. II.* juxta verſionem Stephani Coulet ex anglica in linguam gallicam *p. 97.* le ſavant Homme feu Mr. Bernard raporte, que le fameus Dominico Marchetti a fait a Padove au Conſul Hobſon l' Operation de la nephrotomie, ou de lui tirer une pierre de l'un, des reins, & qui néanmoins a vécu en ſuite pluſieurs années en parfaite ſanté. Le cas eſt décrit avec beaucoup d'exactitude, & les reflexions, qui y ſont jointes meritent d'etre lues. Et juxta Johann. Guilielm. Pauli *Annotat. in Joh. van Horne Microtechn. §. 21. pag. m. 450.* Nephrotomiæ, qua calculus per lumbos & renes ipſos inciſos eximitur, uti veteribus non incognitæ, ita a Dominico Marchettis Patavii aliquando feliciter peractæ rarum exemplum ſiſtitur in *Philoſophicis Tranſactionibus Anglicanis N. 223. p. 340.* Aliud extractionis calculi ex renibus exemplum ex gallico quodam libro intitulato: Abbregé chronologique de l'Hiſtoire de France du Sr. de Mezeray Tom. 2. & quidem in vita Caroli VIII. recenſet Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. med. Obſerv. 78. Schol. pag. 303.* Les docteurs de la Faculté en Medecine de Paris ayant ſceu, qu'un Archer de Bagnolet, fort ſujet à la gravelle, avoit eſté condamné à mort pour ſes crimes, ſupplierent le Roy, qu'il leur fut mis entre les mains, pour faire experience ſur luy, ſi on pourroit ouvrir le rein & en tirer

le calcul. Leur operation reuſſit fort heureuſement, & l'Archeur veſcut encore long temps apres en bonne ſanté.

§. 7.

Videntur equidem adducta verba de nephrotomia loqui; quodſi vero Ambroſium Paræum evolvamus, qui eandem obſervationem deſcripſit, ipſius verba *Lib.* 24. *cap.* 19. *fol. m.* 569. nullius calculi renum nec nephrotomiæ mentionem faciunt, & ſic ſonant: Quod ſequitur ex Monſtroleti Chronicis, omnem ſuperat admirationem. Immunis quidam ſagittarius, ex Medono quatuor a Lutetia milliaribus, propter latrocinia damnatus erat rei capitalis. Interim a medicis regi renunciatum eſt, multos ex tempeſtate calculoſis torminibus Lutetiæ divexari, & præ cæteris Boſci Dominum: e re & ſalute multorum futurum, ſi partes ipſas, in quibus tam dirum morbi genus concreſceret, oculis luſtrare & contemplari daretur. Longe hoc melius in vivo homine, quam in mortui cadavere perſpici. Experiri id liceret in ſagittarii immunis morti addicti, & olim his malis diſcruciari ſoliti corpore. Impetratum a rege eſt: itaque recluſo corpore, ſpirantes partes contemplati & ex voto rimati ſunt medici, hisque diligenter & exacte conſultis, ac ſuo loco reſtitutis, juſſu regis conſutum corpus eſt, qua recluſum fuerat, & ſummo ſtudio adhibito curatum. Ita factum eſt, ut ſagittarius ille intra paucos dies convaluerit, culpæque venia impetrata grandi inſuper pecunia donaretur. Hanc Paræi hiſtoriam de militari Arcigero Mudonenſi calculoſo, a Monſtreleto deſcriptam recenſet etiam Franciſcus Roſſetus, annexo tamen dubio, inquiens, cum dictus Arciger jam morti adjudicatus eſſet, concedente tamen magiſtratu, ob inſtantem petitionem medicorum Lutetianorum eidem; quo lapis perquireretur, & locus lapidis obſervaretur, *Annotatio*

venter apertus fuit: Repoſitis dein inteſtinis, vulnus conſutum fuit: ipſe vero ſanitatem priſtinam adeptus eſt: ſententia etiam, qua morti erat adjudicatus, remiſſa propter dolores, invite tum ab ipſo perpeſſos. Dominus Paræus (pergit Roſſetus *de Part. Cæſar. Sect. III. cap. 7. p. 55. ſeq.*) qui tanquam miraculum quoddam hiſtoriam hanc citat, duo in chirurgia apprime notatu digna, quod tamen facile ab ipſo præſtari potuiſſet, non exponit. Primum eſt, calculusne in ipſo rene, aut in veſica ab ipſis quæſitus fuerit. Alterum, quo in loco exteriori ſectio hæc cœpta fuerit: an videlicet in lumbis, aut alia in parte ipſius epigaſtrii verſus ilia. Quoad primum veroſimilius eſt in rene potius, quam in veſica quæſitum fuiſſe, idque non ſolum idcirco, quod mentio fiat doloris nephritici & lateris (quod non ratione calculi in veſica contenti, ſed calculi renalis accidunt) ab ipſo perpeſſi, verum etiam, cum hæc perquiſitio ideo fuerit inſtituta, ut rei alicujus novæ, notatu dignæ anteaque non viſæ, fieret experientia: ut eſt inveſtigatio calculi in renibus hominis viventis, & ejusdem non conſuetæ ſectionis curatio. Veſicæ enim calculum a tantis viris non fuiſſe quæſitum, facile credi poteſt, ut qui de loco & curatione talis calculi non ambigerent. Quoad alterum, conjectari licet, ſectionem hanc externam non per lumbos, ſed per alium locum factum eſſe, cum multa ſint, quæ ſectionem per lumbos impedire poſſint. Memini etiam ante aliquot annos, Generoſiſſimo cuidam, Sereniſſimi noſtri Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ, Generali, Domino de Birckholz, tunc temporis calculi renum tormentis graviſſime vexato, alium Generalem in mea præſentia narraſſe, ſe in Gallia, & quidem Pariſiis ante paucos annos huic nephrotomiæ operationi interfuiſſe atque calculum ingentem ex rene exſcindi extrahique vidiſſe, ideoque Domino ægrotanti noſtro

Obſervatio

ſtro perſuadere conabatur, ut & ipſe hujus operationis perferendæ ac ſanitatis hoc modo impetrandæ gratia, quo citius eo melius Galliam peteret. Cui tamen varia dubia mea exponebam, ſiquidem non ſolum circa renis ſiniſtri regionem, ſed etiam circa ejusdem ureteris tractum intenſiſſimos ſentiebat dolores. Hinc etiam dictus Generalis de Birckholz poſt aliquot hebdomadas vix e tormentorum lecto ſurgens Regiæ Majeſtatis Mandato non Galliam ſed Poloniam petebat ibidemque a ſuo malo per beatam mortem liberabatur. In ipſius autem cadavere non modo renis ſiniſtri ſubſtantia penitus fere conſumpta ejusque loco multi lapides variæ magnitudinis, ſed totus etiam iſtius lateris ureter ſabulo & calculis plane infarctus atque obſtructus a Conſiliario atque Archiatro Regio D. Matthia Pauli in ſectione deprehendebantur.

§. 8.

Utrum etiam Pariſienſes Medici, quorum in hoc paragrapho ex Hardero & Paræo meminimus, permiſſu Regiæ Majeſtatis, pro renum, an veſicæ calculi exploratione, in hominibus vivis, crudeli ſane modo, ſectionem exercuerint, dubius eſſe videtur Andreas Ottomarus Gœlicke *Hiſtor. Anatom. nov. & antiqv. §. 24. p. 22. ſeq.* inquiens: Non eſt mirandum, Herophilum, hominem ethnicum, miſſa omni humanitate, homines vivos, utut nocentes, ſecuiſſe; Id potius vehementer miror, Chriſtianiſſimum Galliarum Regem, Ludovicum II. Medicis Pariſienſibus permiſiſſe, ut milites capite damnatos ſimulque calculo laborantes, in perinæo vivos inciderent, ſicque calculi veſicæ extrahendi modum perquirerent, Barbaros, non Chriſtianos, talia exercuiſſe decet. Interim hanc ſecandi frequentiam non vulgarem ſibi dexteritatem & peritiam practicam adquiſiviſſe Chirurgos Gallos, in propatulo eſt. *Dubium quoddam*

§. 9.

Nephrotomia an ſuadenda

Utrum proinde dicta nephrotomia ſive calculi ex rene exſectio & extractio adeo facile exercenda atque ſuadenda ſit, diſſuadent varia, loci videlicet inter cutem externam & renes craſſities, ubi, juxta Franc. Roſſet. *de Part. Cæſar. Sect. III. Cap. 7. pag. 57.* cum magno periculo præter integumenta & pinguedinem plurimi muſculi, tam exteriores, quam interiores, juxta ipſorum principium incidi neceſſe eſt. Deinde etiam non ſolum vertebræ ſpinæ dorſi, & ipſarum apophyſes proxime adjacentes, ſed etiam vena cava & arteria aorta cum manifeſtis ipſarum ramis. Meſenterium item & pancreas, tali ſectioni impedimento eſſe poſſunt. Quibus adhuc addendi nervi & ductus thoracicus; inſuper dantur adhuc aliæ rationes tum ratione renum, tum calculorum in contrarium, talem operationem fruſtraneam futuram de monſtrantes. Calculi enim non ſemper ſunt uniusmodi, ſed interdum figura ac magnitudine diſcrepant, interdum parenchymati etiam diverſis radicibus ſeu extremitatibus renum carni ſive ipſorum ſubſtantiæ penitius inſident, quam ut ſine omnimoda ipſius dilaceratione exinde extrahi poſſint, unde diſſectis tubulis, ad papillares proceſſus, ſive glandulas ſerum provehentibus, neceſſario ulcus renum, aut alia ſymptomata, ipſo calculo moleſtiora ſubſequuntur. Qualem calculum annotavit Nicolaus Tulpius in plumarum venditore, qui emortuus ob renum ac pectoris vitia habuit, in utroque rene inſignem calculum diſpergentem ſe quadruplici ramo, inſtar crucis, per univerſum renem: adeo ut non potuiſſet inde eximi, niſi decerpſiſſes fruſtulatim totum ipſius parenchyma. vid. Tulp. *Obſ. medic. Lib. II. Obſ. 44. pag. 176.* & Roſſet. *p. 57.* Caſp. a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. 87. p. 1140.* Dominic. Panarol. *Pentec. V. Obſerv. 42. p 171.*

§. 10.

§. 10.

Fruſtranea quoque eſſet hæc Operatio, quando renum ſubſtantia innumeris arenulis adeo eſt obſeſſa, ut culter anatomicus ubique allidat & difficulter ad pelvim adigi poſſit, vel tota ejus ſubſtantia lapidea ſit, aut arenoſa, uti in Theatro anatomico Lugdunenſi obſervavit Johannes Bernhardus Gladbachius, juxta ipſius *Prax. med. pag. m.* 297. In puella etiam octo annorum per longum tempus ſtranguria tandemque totali urinæ ſuppreſſione vexata dextrum renem penitus incruſtatum & quaſi lapideum, tactu durum & materia calculoſa circum circa ita obductum, ac ſi gypſea materia fuiſſet illitus, conſpexit Andreas Cnœffelius. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 4 & 5. Obſ. 64. pag. 54.* In puero ex urinæ ſuppreſſione mortuo apertus alter ren plures exhibuit calculos minores, imo tota ejus ſubſtantia interna conſperſa erat lapillis, milii inſtar, juxta Aicholtzii Obſervationem. vid. Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 24. fol. m. 1207.* Cum in Frieslandia cuidam perſonæ calculus ex rene ſecari deberet, apparebat in operatione, calculum non in pelvi, ſed in ipſa carne hærere, uti refert Stephanus Blancard. *Prax. der Medicin. Part. 1. cap. 62. p. m. 421.* Deinde etiam accidere poteſt, ut non modo renes, ſed ſimul etiam ureteres calculis ſint infarcti; uti in adducto exemplo Birchholziano & ſexcentis aliis patet. *Varia Dubia.*

§. 11.

Ob has & alias fortaſſe rationes & periculoſa vel lethalia ſymptomata plerique medici hanc nephrotomiæ operationem non exercendam judicant. Poſtquam enim Nicolaus Tulpius *l. a.* exemplum de calculo inſigni quadruplici ramo, in utroque rene, obſervato adduxerat, pergit idem: Videant igitur illi, qui ſatis ſpecioſe docent, ex inciſis renibus calculos eximere: quam turpi igno- *Nephrotomia rejicitur.*

miniæ proſtituerent & ſe & artem ſuam, ſiquidem aliquando inciderent in calculum tam firmiter renibus innatum. Et *Lib. IV. cap. 27. p. 337.* poſt obſervationem de calculo per lumbos Juriſconſulti cujusdam excreto, ſequentia annectit: Huic fortuitæ calculorum per lumbos eruptioni, forte innixa eſt ſectio illa, qua Roſſetus ſatagit, per ſcalpellum calculos ex renibus elicere, ſed recte, an perperam videant illi, quibus notus eſt cum ipſorum renum, tum calculorum inibi concreſcentium ſitus, &c. Item Lucas Schrœckius L. F. *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 139. Schol. p. 280.* inquit: Hippocrates, naturam tantum, viam monſtrantem ſecutus, non tam calculo, rene cæteroquin ſalvo exſiſtente, quam ipſi purulento, & ita corruptionem ſubeunti reni, ſive is a calculo læſus fuerit, ſive alia de cauſa abſceſſum patiatur, curam illam (nephrotomiam ſcilicet, ſive calculi ex renibus extractionem) commendat; ipſa quoque renum ſubſtantia ſecundum naturam ſe habens, quin & calculorum quandoque conditio multis eminentiis vel ramis in tubulos usque urinarios extenſis præditorum nephrotomiam hanc quam maxime diſſuadet. Suo etiam tempore hanc renum inciſionem & lapidis extractionem Johannes Arculanus *Practic. ſeu Expoſit. non. libr. Almanſor. Cap. de Lapid. fol. m. 164. a.* inconvenientem & mortalem judicavit. Item Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſerv. 78. Schol. p. 303.* poſt ſuperius allegata verba annectit: hactenus nullum Practicorum audivimus talem operationem moliri auſum fuiſſe, ob imminens ſummum vitæ periculum. Secundum Mich. Bernh. Valentin. *Chirurg. Medic. Sect. III. cap. 7. §. 7. p. 350.* nephrotomiam, ſeu calculi e renibus exſectionem ſumme periculoſam imo exitialem, & hinc nunquam tentandam eſſe judicat Nebelius. Dominicus Panarolus *Pentec. V. Obſ. 42. pag. 171.* ubi per abſceſſum in lumbis ſponte ruptum

duos

duos calculos cum pure egreſſos refert, talem equidem operationem concedit, quando ren ſuppuratus fuerit, in alio vero caſu impoſſibilem omnino eandem credit, ſiquidem optima eſſet, ſi tuto poſſet fieri, ſed ad impoſſibilia nemo tenetur. Quodſi aliquis diceret, ſi hoc fit a natura, ergo poteſt tuto fieri ab arte; reſpondemus plurima recte fieri a natura, quæ ab arte nequeunt: exemplum habemus in hydropicis, in quibus ſponte ortis in tibia ulceribus, ſanitas eluceſcit. Sed ſi ulcera arte parantur, corrumpuntur & mors ſupervenit. Ibidem etiam ita pergit Panarolus: Johannes Benedictus Sinibaldus inſignes Gallos, & excellentiores Romæ chirurgos ad hoc opus his verbis hortatur: Vos itaque Galli eximii in arte viri, vos Larche ac Trulle urbis Coryphæi contendite, brutorum periculo ſectionem experimini; tanto beneficio humanum genus ne defraudetis. Utinam excellentiſſimi urbis viri chirurgi Nicolaus Larche, & Johannes Trullus, hanc cum gloria attingerent metam, gauderemus nos, & multos ægros in cymba Charontis advectos non intueremur; ſed ut diximus, rem difficilem & non difficilem, ſed impoſſibilem abſolute credimus. Hinc oritur, quod multi ex renum calculo moriantur. Inquit etiam Dionis *des Operat. de Chirurgie Demonſtrat. III. pag. 137.* que les pierres groſſes reſtées dans les reins ou dans les ureteres ne peuvent point etre tirées par la chirurgie. In ipſo etiam apoſtemate ſeu vomica renum ſine calculis, quæ extra renes non prorumpit, Nephrotomiam rejicit Petrus Foreſtus *Obſ. medicinal. Lib. 24. Obſ. 33. Schol. fol. m. 494.* Ridiculum eſt, inquiens, quod talem vomicam manu aperire profitentur. Memini forinſecus inciſionem in M. Petro Zuzio, Hagano Canonico, ex conſenſu duorum medicorum, alioquin excellentium, & abſceſſu aperto materiam crudam & ſanguinolentam effluxiſſe, & tertio die mortem obiiſſe. Et

Obſ.37. Schol.fol.501. ſcribit idem: Vidimus nos renes per fiſtulam extrinſecus pus evomere, ut in Hadriano Junio, Medico doctiſſimo, cui in ſenectute ſuomet conſilio exterius inciſio facta erat, fiſtula tamen deinde perpetuo illi adhærente, & per intervalla pus evomente, donec moreretur. Exinde itaque, nullum fere vel pauciſſimos medicorum noſtri temporis lithotomiam renum ſeu nephrotomiam exercendam ſuadere videmus.

§. 12.

An in caſu neceſſitatis. Annon autem in caſu neceſſitatis, & ubi inflammationis, tumoris atque ſuppurationis renum ſigna adeſſent, nullumque aliud humanum auxilium ſperari poſſet, talis operatio, ſecundum Hippocratis, Riolani & quorundam aliorum ſententiam inſtitui debeat, (cum in caſu deſperato potius anceps, quam nullum ſit applicandum remedium,) non adeo abſurdum mihi videtur, imprimis cum Henricus a Roonhuyſen *Part. I. Obſ. 22. p. 122. ſeq.* referat, ſe ex ſuppurato atque lancetta aperto rene dextro calculum ſatis magnum, ibique delineatum, extraxiſſe vulnusque per artem legitime conſolidaſſe, ita ut æger per duos integros annos incolumis vixerit. Exorta autem ibidem poſt biennium nova ejusdem lumbi inflammatione, idem Roonhuyſen, facta denuo relictæ cicatricis inciſione, ex eodem loco alium calculum, minorem tamen extraxit, cum ſubſequente vulneris coalitu, ægrique perfecta reſtitutione. Inquit etiam Joh. Freind *l. a. p. 58.* quoique ces deus exemples, (ſcilicet Dominici Marchetti & Facultatis Pariſienſis paulo ante recenſita) (qui ſont peut-étre les deus ſeuls, dont les Hiſtoires ayent par le) puis ſent a peine capables de perſuader le monde de l'avantage de cette methode, & de la recommender; cepandant on en peut du moins conclure, qu'il n'eſt pas impoſſible, que l'Operation, toute dangereuſe qu'elle eſt, ne reuſſit quelque fois; &

qu'on

qu' on peut du-moins la permettre dans des cas autrement des eſperés; ſur tout ſi ce chemin eſt comme marqué par la nature, & qu'elle commence à y former un abſcés.

§. 13.

Quamvis autem Hippocrates & alii autores ſectionis, Riolanus autem cauſtici, pro Nephrotomiæ operatione mentionem fecerint, veram tamen ejus operationis methodum cum enchiriſibus neceſſariis deſcriptam hactenus apud nullum autorem reperire mihi licuit, quod etiam fatentur Domini Autores Hiſtoriæ Morbor. Vratislav. *An. 1702. p. 164. ſeq.* his verbis: Quando in renibus calculus grandior, quam ut per ureteres in veſicam deſcendere poſſit, urinam ſupprimit, antiquis etiam in uſu fuit alia manualis operatio ac inciſio, nobis hodie ignota, qua lapidem hunc, ad quem urinæ fluxus allidebatur, removerunt. Meminit ejus, pergunt, Hippocrates, ſed quia locus ille (a nobis ſupra allegatus) nobis non incidit, ſiſtimus teſtem anatomicum & chirurgum Dn. Mery ita ſcribentem: On trouve auſſi dans l'Hippocrate, que l'on pratiquoit encore une autre operation de la taille, par la quelle on tiroit la pierre du rein. Mais ſoit qu' l'Hippocrate n'ait point décrit ces operations, ſoit que les ayant décrites, elles ne ſoient pas venuës jusqu'à nous, non plus, que pluſieurs autres de ſes ouvrages, nous n' avons aucune connoiſſance de la methode, dont on ſe ſervoit de ſon temps &c. Quamvis etiam Stephanus Blancardus *Lexic. Nov. Med. ſub Titulo p. m. 442.* dicat, poſſe hanc operationem in uno latere inſtitui, vaſis colligatis, eo modo, quo lien eximitur, ſed raro aut nunquam inſtituatur. Hæc tamen vaſorum colligatio totam operationem nondum exhaurire mihi videtur.

Nephrotomiæ Methodus.

CAPUT XIV.

De Calculi Analyſi Chymica.

§. 1.

Calculi analyſis chymica.

Antequam ad calculi humani uſum medicum progrediamur, nonnulla de quibusdam ex ipſo præparatis medicamentis præmittenda erunt; quamvis etiam analyſis chymica ad meliorem ipſius calculi particularum conſtitutivarum, (de quibus etiam *Capite I.* jamjam egimus) cognitionem non parum faciat; ſiquidem in calculis legitime crematis per microſcopium appareant particulæ metallicæ ſeu ferreæ, quæ ope magnetis ex iisdem extrahi poſſunt, uti ex Martino Liſtero referunt *Acta Eruditor. Lipſienſ. An. 1697. Menſ. Jul. pag. 332.* Et idem Liſter *de Therm. ac Fontib. medicat. Angliæ Exercit. alter. pag. m. 143.* Magnetem maxime fidelem judicem adhibere jubet, is enim, inquit, lapidi humano debite cremato admotus in aliis calculis plurimum, in omnibus paululum ferri extricabit atque in conſpectum dabit, ut non amplius dubitare liceat, quin eatenus calculus humanus verum metallum ſit. Sic in icterici cujusdam poſt chalybis & amaricantium uſum defuncti veſicula fellis quinque calculi reperti ſunt, qui in aquam injecti fundum petiere, contra naturam aliorum ejusmodi lapillorum, in veſicula fellis repertorum; hos ulteriori examini ſubjicientes, eos omnino ex ferro conflatos eſſe invenerunt; nam rubiginem repræſentabant, & magnetis attractionem, vulgo ita dictam obſequebantur. vid. Johann. Dolæi *Epiſtol. IV. ad Joh. Jac. Waldſchmid. p. 253.* Exinde exiſtimat Dolæus, particulas ferri accedente acido in machina noſtra facile poſſe couniri & inſtar calculi concreſcere.

§. 2.

Originem atque generationem calculorum renalium prolixe oſtendit Fridericus Hoffmannus *Obſerv. phyſic. chymic. Lib. II. Obſ. 25. p. 229. ſeq.* & quidem per experimenta, inquiens, curioſa admodum obſervatione digna ſunt experimenta, quæ cum calculis humanis renalibus inſtituimus, hic recenſenda. Sumſimus nempe calculos diverſæ figuræ, coloris, magnitudinis, ſoliditatis & ponderis, ex diverſis ſubjectis, & ſequentia phænomena atque effectus obſervavimus. Primo calculum, qui circiter tria grana ponderabat, carboni ignito & flatu animato impoſuimus, qui mox mutavit colorem flaveſcentem, & nigricans factus, ſtatim odorem ſalis volatilis fortem ſine viſibili ſingulari fumo exſpiravit, & totus fere conſumptus fuit, pauca ſaltem nigra materia relicta, quæ guſtu explorata inſipida, nullum ſalis veſtigium prodidit, neque injecta ſpiritui ſalis efferveſcentiæ notam exhibuit. Deinde aliquot calculos in mortario in formam pulveris ſubflavi redegimus, de quo ſumſimus, quantum cultri cuſpis capit, idque carbonibus vivis injecimus, unde mox totum conclave volatili fœtido odore, qualis ex cornibus combuſtis exhalat, repletum fuit, relicta parva & exigua materia. Sumſimus poſtea grana decem pulveris calculoſi, & adfuſa aquæ pluvialis uncia ſemis coctio inſtituta fuit, ita aqua turbida, ſubalbida, quæ ſupernatabat, apparuit, quam effudimus, & aliam igne paulo acriori ſubdito adfuſam coximus, quæ parum inde mutabatur, pulvere, qui diſſolutionem ulteriorem reſpuebat, in vaſe remanente. Aquam iſtam albidam & turbidam leni calore inſpiſſavimus, ita remanſit albicans ſicca materia, ſaporis paululum amaricantis ſalſi: hæc ſalina materia, candenti carboni impoſita nullum diſpergebat odorem, neque etiam cum illo ſpiritu acido efferveſcebat, neque cum pauxillo ſalis tartari

Calculorum Origo.

Hoffmanni Experimenta.

tari mixta, odorem ſalis volatilis, ut ammoniacum ſolet, prodebat: relictus vero a ſolutione & coctione pulvis ſiccatus priſtinum volatilem fœtidum odorem in nares adſtantium diffundebat. Adfudimus porro integris lapidibus aliquot, qui magnitudinem ſeminis coriandri æquabant, ſpiritum vitrioli, in alio vitro ſpiritum ſalis, ſed nulla inde orta fuit ſolutio, exiguis tantum bullulis in altum elevatis. Aqua autem fortis bonæ notæ, in alio vitro calculis integris adfuſa alium plane exhibuit effectum, ſiquidem mox cum intenſa efferveſcentia ſolutio fuit ſequuta, adeo ut drachma una menſtrui ſcrupulum unum calculorum levi accedente calore penitus diſſolverit: ſolutio turbida albicans paulo ſpiſſior apparebat. Inſtillavimus huic ſolutioni oleum tartari per deliquium ad ſaturationem usque, exorta fuit efferveſcentia, &, quod mirabile, nulla præcipitatio cujusdam materiæ ſolidæ in fundum, ſed mixtura flaveſcens & pellucida fuit, nitroſo ſapore imbuta. Vehementius vero confligebat cum calculis humanis ſpiritus fumans, qui totam compagem calculi ſolvebat, nulla enim præcipitatione poſt affuſum liquorem alcalinum ſequuta. Ex hiſce experimentis diligenter inſtitutis plura in uſum noſtrum elicienda eſſe exiſtimamus. Primo clarius exinde apparet, in lapidibus, quos renes gignunt, nullum ſal fixum alcalinum, neque terram alcalinam manifeſtam contineri, quia nec integri, nec in pulverem contriti, neque etiam combuſti efferveſcunt, nec ſolvuntur a liquoribus acidis, quod alias omnibus alcalinis, ſive fixa ſint terrea, ſive ſalina, proprium eſt. Secundo, luculenter inde perſpicimus, non compoſitos eſſe eos ex ſale tartareo, vel ammoniacali medio, quia ad mixturam tartari nec efferveſcentia, nec odor ſalis volatilis excitatur, neque ſal ex ſolutione cum aqua inſpiſſatum, igni impoſitum, odorem ſalis volatilis exhibet. Tertio, illud quoque

que clare atque evidenter deducendum ex hiſce experimentis videtur, humanos calculos non, uti fert opinio vulgaris, ex terra lapidoſa, fixa & calcarea eſſe coalitos, quia nempe tota ſubſtantia calculi igni impoſita avolat, & in fumum volatilem ſalinum, qualis in animantibus eorumque partibus datur, reſolvitur, id quod omnibus lapidoſis fixis & calcareis terris negatum eſt. Quarto, nullam pinguedinem, vel oleoſum aut ſulphureum principium eorum mixtionem ingredi, ex eo colligimus, quod non flammam concipiunt, nec craſſum vaporem emittunt, neque etiam per deſtillationem, quod ab aliis novimus tentatum, quidquam olei largiuntur. Quum vero ſubſtantia eorum maxima aqueo, acido ſpirituoſo & alcalino liquore indiſſolubilis ſit, ex mucoſa & glutinoſa quadam materia paulo fixiori eos compoſitos eſſe, recte concludimus; quam tamen mucoſitatem, quoniam combuſtibilis eſt, rectius animalis, quam mineralis regni partem habendam eſſe, arbitramur. Quapropter vero ſimillimum eſt, calculorum, qui in partibus animantium concreſcunt, materiam a glutinoſa & terreſtri parte ſanguinis, lymphæ vel ſeri eſſe derivandam, utpote quum animadvertamus, a ſanguine exſiccato atque in aqua fervente ſoluto remanere materiam mucidam fuſci coloris, quæ nullis menſtruis, ſeu aqueis, ſeu ſpirituoſis & acidis, præter ſpiritum vitrioli, diſſolvitur; igne vero combuſta cum odore, ſalis volatilis avolat, idem fit cum caſeo, qui non niſi lactis craſſior & mucoſior eſt portio coagulata, qui omnem reſpuit ſolutionem, igni autem injectus odorem urinoſum volatilem largiter ſuppeditat. Id vero maxime inter noſtra experimenta obſervatione dignum videtur, quod ſolus ſpiritus nitri acidus, ſeu aqua fortis, jus & potentiam habeat horum calculorum compagem & coagulum ex toto diſſolvendi, qua alii minerales ſpiritus, fortius adhuc

concen-

concentrati, plane deſtituuntur. Ex quo id diſci poſſe arbitramur, calculos, qui in partibus corporis hinc inde inveniuntur, non mineralis vel fixioris terræ, ſed animalis eſſe proſapiæ, ſiquidem ſpiritus ille volatilis, penetrans, acidus, qui in nitro continetur, hanc maximam præ aliis acidis prærogativam, ut animantium partes ſiccas, membranas, carnes, oſſa, humores ſiccatos concretos diſſolvat. Quod vero ſolutio calculi renalis facta cum aqua forti, adfuſo ſale tartari ſoluto, non turbetur, vel in fundum ſolutam materiam deponat, id manifeſto etiam arguit, non terreum fixum lapidoſum vel calcareum ineſſe hiſce calculis elementum, ſed in minimas partes diſſolubile, quæ intimam cum partibus alcalinis unionem non detrectant.

§. 3.

Calculi Deſtillatio.

Sic etiam calculi humani deſtillatio tam ad ejusdem partium meliorem cognitionem, quam ad varia ex eodem paranda medicamenta inſervit: Inquit enim Robertus Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. II. §. 19. p. 233. ſeq.* Deſiderio cognoſcendi, utrum chymicorum tormentorum quæſtione concretiones calculoſæ aliquid de natura ſua confeſſuræ ſint, adactus, calculos a lithotomo quodam ex hominum veſicis erutos, ſubtilem in pulverem redactos, exili ſed probiſſime comminutæ retortæ vitreæ impoſui, oblinatam eidem latiorem conjunximus pro recipiente retortam, ac invenimus, quod duæ cum dimidia pulveris unciæ, aliquot horis, per purum ignem deſtillatæ, nobis exhibuerint copiam magnam ſalis volatilis (griſei partim, partim candidi) recipientis præprimis latera obtegentis, quantitatem etiam egregiam ſpiritus rubicundi, in ipſo recipiente ſponte ſua in ſal coagulati: Separatis autem vaſis noſtris in recipientis collo parum olei ſubobſcuri; in retortæ autem collo quantitatem majorem ejusdem olei aduſti, quantitatis ſalis volatilis ſpe-

tioſæ

tioſæ incorporati, reperimus, cujus odor exacte mihi in mentem revocabat, peculiarem fœtoris ſpeciem, quam aliquando in ſale volatili urinæ non fermentatæ obſervavi; verum tactu ſalia hæc bina differebant. Caput mortuum conſiſtebat in puro, levi & anthracino pulvere, nitidiſſimæ fuliginis ſpeciei non diſſimili, & cum ſex drachmarum pondus non excedebat, inde erudiebamur, quod duas trientes calculi humani deſtillati continuerint, &, cum volatile fuerit, a terreſtribus partibus compreſſum, etiam in vaſe occluſo, in quo caput mortuum ſatis inſipidum remanebat quidem, relicto tamen fœtore ſufficientem mihi, ſi deſtilletur, olei aliquam copiam exinde elici poſſe ſuſpicionem movit. Crucibulo igitur impoſitum ac congruo tempore igne vehementi agitatum, redegimus in drachmarum duarum pondus exæquantem fragilem maſſam calcis albæ inſipidæ, quæ inſtar viſci, aqua injecta ſeparatim fundum petebat. Johannes Dolæus calculum ex tartaro lapideſcente generari exinde pro certo judicat, quia lapides ſeu calculi, qui reperiuntur in corpore ſeu vivo, ſeu mortuo, cum in retorta ad ignem uruntur, in oleum fœtidum & ſalem, ut tartarus cum vino, convertuntur, ſed hoc differunt a communi tartaro calculi in corpore noſtro geniti, quod hi lapidei ex magna parte fuerint, illud potius ſal acido-pingue, &c. De calculi analyſi ita ſcribit Johannes Conradus Barchuſen *Pyroſoph. Lib. V. pag.360.ſeq.* Lapides in animalibus generantur, ſi quando oleoſæ cum ſalinis & terreis particulis alicubi moram patiuntur, ſe ſibi implicantes conglobant tunc lapidiceam in ſubſtantiam. Crederet quis, ſi juxta externum aſpectum calculum contemplaretur, maximopere hunc terra gaudere, cui opinioni & ego dudum addictus, donec ego ejus principiorum mixturam videndi cupidus ab igne aliter edoctus. Accepi enim calculi veſicæ drach-

mas decem, quas pulveriſatas retortæ vitreæ immiſſas more ſolito ex arena deſtillavi. Facta deſtillatione reperi drachmam ſemis phlegmatis, ſalis volatilis in recipiente & collo retortæ, cui tertia plus minus pars olei admixta erat, uncia ſemis, drachmam ſemis autem ſuſpicor olei paſſim retortæ adhæſiſſe, quoniam atro colore erat infecta, reſiduum præterea a deſtillatione librabat adhuc drachmas quinque. Ergo media calculi pars deſtillationi obtemperavit, quam partem autem denuo igni aperto crucibulo ſcilicet immiſſam commiſi, experiundi ergo, ſale quodam fixo referta, ut fert Liſterus in Tractatulo de calculo demonſtratione Lœwenhœckiano fretus, an modo hæc pura putaque terra eſſet. Corpora enim quævis non penitus in vaſe clauſo ab igne in ſua primordia disgregari queunt, ob aliquam olei deſtillationi haud auſcultantem portionem. Peracta reſidui ſuperioris calcinatione reperi iterum pondere drachmarum duarum avolaſſe, reſtitiſſe drachmas tantum tres terræ nullo fixo ſale gaudentis. Ex dictis nunc concludendum, terræ modicam portionem a ſale & oleo in lapidoſam ſubſtantiam transformari poſſe; ſpicula deinde ſalina intra olei & terræ poros occultari, ut quoad guſtum odoratumque, ne veſtigium quidem eorum amplius ſupereſſe appareant. Referente Carolo Drelincurtio *Diſſert. de Lienoſ. pag. 178.* e calculis humanis ad uncias viginti retortæ inditis, expulſæ ſunt ſpiritus urinoſi & ſalis volatilis unciæ ſex, ſulphuris fœtidiſſimi uncia ſemis, ſalis fixi drachmæ tres. Quod experimentum Regiæ Societati Londinenſi ita arriſit, ut illud ſuis Actis inſerere dignata ſit. Deſtillatione calculi humani duos ſpiritus, liquidum & ſolidum elicere tentat Otto Tacchenius *Hippocrat. Chymic. cap. 14. pag. m. 65.* inquiens: Accipe calculum de veſica exciſum, vel ſponte, de renibus elapſum; drachma una vel altera ſufficit: hunc

inde

inde vitreæ retortæ novæ ac mundæ, (calculus non ſit in pulverem contritus, ſed in ea magnitudine, ut in collo retortæ non adhæreat) retortam pone in arenam, cui appone receptaculum mundum ac novum, urge moderato igne, & primo exſtillabit alcali, ſimilis urinæ, nullius tamen odoris, in receptaculum, & paulo poſt fixior pars ejusdem alcali ſublimati in retortæ collo videbis; ambos ſpiritus, liquidum & ſolidum miſce, ac diligenter vaſculo vitreo, cera obturato ſerva, alias aperto in auras abiret. In frigefacta retorta reperies calculi fruſtula eadem forma, qua poſita fuerint, adeo tamen levia & friabilia, ut ſi digito leviter ſaltem tangas in pulverem concidant, ſicut cadavera in ſubterranea Roma. Quibus fruſtulis integris, ſi rurſus affuderis alcali ex calculo reſervatum, vel aliud urinæ, ſtatim indureſcit, ut erat &c. De quo equidem Tacchenii aſſerto dubitat Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. I. fol. m. 802.* inquiens: an alcali hoc urinoſum fruſtulis calculi, a deſtillatione relictis & friabilibus, plane denuo affuſum iterum redeat, prout Tacchenius perhibet, ejus aſſerti fides ſit penes autorem. Econtra vero Fridericus Hoffmannus *Clav. Schrœder. Lib. V. Sect. 1. pag. 672.* de hoc Tachenii Proceſſu ſancte atteſtatur, hæc a ſe ſæpius vulcani examini expoſita vera & probata ſe fuiſſe expertum.

§. 4.

Deſtillationem ſeu præparationem ſpiritus & ſalis volatilis calculi humani Carolus Maëts ita deſcribit: Recipe calculorum humanorum q. p. contundantur groſſo modo, & deſtillentur in retorta vitrea, ut artis eſt in præparatione ſpiritus cornu cervi: Ita enim obtinebis ſalem volatilem, collo retortæ & lateribus vaſis recipientis adhærentem, una cum pauxillo olei fœtidi, & ſpiritus urinoſi. Salem, ut artis eſt, rectifica, ut uſui medico inſerviat, vid. *Collectan. Chymic. Leydenſ. cap. 98. pag. 129. Et Prodrom. Chem.* *Alii modi Maëtzii.*

 rational.

rational. cap. 6. p. 56. ita ſcribit: Calculos ſi vulcano examinandos tradiderit naturæ curioſus inveſtigator, per juſtum ignis regimen, multum ex illis ſibi colliget ſalis volatilis urinoſi, imo quandoque quartam calculi partem merum eſſe ſal volatile deprehendet. Quæ verba etiam leguntur *in Chem. rational. cap. 5. pag. m. 93.* cum ſequentibus: unde liquet, ſales calculi terram ligantes, non eſſe tartareos craſſos, ſed tenues volatiles, urinoſos, quod manifeſtius apparebit, ſi terram reſiduam examinaverit; hanc enim calcinatam, vel nullum vel paucum (reſpectu ſalis volatilis) ſalis fixi continere per elixiviationem deteget, quod ſane repugnat omnibus illis, quæ craſſo & tartareo gaudent ſale; hæc enim calcinata in cineribus ſuis multum ſalis fixi abſcondunt. Item de calculi humani generatione & analyſi *in Prax. chymiatric. ration. cap. 24. pag. 108. ſeq.* ita ſcribit: Quidam in ea fuere ſententia, calculum humanum originem ſuam trahere ex materia quadam viſcida, pituitoſa, ſali craſſo tartareo perfuſa: quidam vero ad alkali & acidum omnia naturæ phænomena referentes, ex acidi & alkali concurſu, & coagulatione cum terra, calculi originem deduxerunt: quidam vero ex ſalis volatilis & terræ urinæ concretione, calculi natales deducunt. Qualis ut commodiſſime dirimatur calculum humanum ad examen ignis revocavimus, ut ex ipſius analyſi nobis aliqua lux affulgeat. Capito itaque calculi humani renum ſive veſicæ q. p. rudi modo contundantur, & retortæ vitreæ committantur, deſtillenturque ex arena, augendo ignem in fine, quantum fieri poteſt. Ita enim obtinebis in recipiente portionem aliquam ſeroſam, pauxillum olei, ſal volatile urinoſum quantitate ſatis conſiderabili; quippe calculus ordinarie fundit quartam ſui partem ſalis volatilis. Hunc ſalem ſi cum cineribus oſſium calcinatorum, ut artis eſt, ſublimaveris, exacte æmulabitur ſalem volati-

lem

lem urinæ, & per omnia ipſi ſimilis erit. Caput mortuum ulterius crematum nil niſi meram eſſe terram, experientia ipſa confirmat. Huic enim ſi pluviam affuderis, vix unum ſalis fixi granum colligere licet; unde cadit illorum ſententia ſtatuentium, calculum generari ex ſale quodam craſſo, tartareo cum materia pituitoſa; quippe omnia ſubjecta, quæ ſale copioſo tartareo gaudent, poſt remotionem & examen per ignem multum ſalis fixi poſt ſe relinquunt, quod cum in hoc ſubjecto deficiat, calculi ortum inde ducendum non putamus; cumque in analyſi chymica per ignem nullum acidi ſalis veſtigium appareat, ſed econtra nil niſi alkalicum volatile manifeſtet, idem judicium de alkali & acido formandum putamus &c. vid. etiam Joh. Jac. Waldſchmid. *Inſtitut. Medicin. rational. Lib. 2. cap. 12. p. m. 62.* Hoc Mazii Experimento, (quo in calculi deſtillatione vel ſublimatione multum ſalis volatilis, parum olei, relicto in fundo capite mortuo, vix tantillum ſalis fixi continente, inveni,) Gothofredo Steinio *Lithograph. §. 15. p. 12.* clarum evadit, & ſal, tam volatile, quam fixum, & ſpiritum, qui ſal volatile reſolutum eſt, & ſulphur, oleum nimirum & terram, ſive caput mortuum, e calculo ignis ope productum fuiſſe. Aſt, pergit allegatus Steinius, ubi aqua? præſupponitur hæc ceu vinculum reliquarum particularum, quæ in condenſatione calculi vel ſeceſſit, vel ut glutinoſum quid, ſucceſſive induruit, atque ſic numerus principiorum quinquenarius Williſii e calculo deſtillato elici poteſt &c.

§. 5.

Calculi humani Anatomen chymicam ita deſcribit Stephanus Blancardus *Manuduct. ad Chym. Cap. VI. Oper. Tom. I. p. m. 114.* Accipe calculi humani veſica exſecti uncias duas & ſemis, retortæ vitreæ ac ignis nudi torturæ committe; Materiam elevatam in recipiente majori collige. Mul- *Blancardi*

tum ſalis volatilis, partim coloris griſei, partim albi aſcendet: In recipientis fundo plurimum ſpiritus volatilis rubri ſubſidebit; Collo nonnihil olei craſſi adhærebit, eodem etiam modo retortæ collo, ſed conſiſtentiæ multo craſſioris ac quantitatis majoris, admodum fœtentis. Caput mortuum eſt pulvis nigerrimi coloris, fuliginis inſtar, quantitate ſex drachmarum. Impone crucibulo, ac poſt vehementem uſtionem remanebunt calcis albæ ac inſipidæ drachmæ duæ. Refert etiam idem Blancardus *Collectan. med. phyſic. Centur. VII. Obſ. 21. p. m. 23. ſeq.* Schmalzium per experimentum in tribus unciis calculorum tertiam partem ſalis volatilis accepiſſe. Quæ experimentorum differentia ſine dubio a differente calculorum ſpecie, ſtructura & duritie dependet. Juxta Johann. Bapt. van Helmont *Tr. Tartar. non in Potu §. 7. fol. m. 156.* deſtillatum Duelech clauſis & vitreis vaſis profert oleum fœtidum, ſpiritum denique & cryſtallos ſalis urinæ, qualia ex urina humana diſtillando eliciuntur. Calculus humanus deſtillatus cur parum præbeat olei, hinc credit Johannes Dolæus *de Furia Podagr. Lact. vict. cap. 5. §. 6. p. 93.* quando particulæ oleoſæ non juſta quantitate ſanguini accedunt, ac rite cum cæteris commiſcentur.

§. 6.

Sal fixum. Sal fixum calculi humani alii præparare nituntur per elixiviationem capitis mortui, poſt ejusdem deſtillationem remanentis, uti modo dictum; alii per calcinationem, & quidem vel per ſe, vel cum additione. Per ſe, v. g. calculum in corpore humano genitum & pulveriſatum primo igne circulari, poſtea reverberii per gradus calcinant, donec videatur plane in ſalem abiiſſe. Alii calculum optime calcinant, deinde in aqua coquunt, ut in aquam flavam ſolvatur, hanc filtrant & evaporant; tunc ſal remanet; quod iterum aqua fervente ſolvunt, coagu-

lant

lant atque cryſtalliſationi exponunt. vid. Conr. Khunrath *Medull. deſtillator. Part. I. cap. 4. p. m. 119.* Juxta Johann. Schrœd. *Pharmacop. medic. chym. Lib. V. p. m. 832.* Sal cryſtallinum ita paratur: Recipe calculum optime calcinatum, (ut durities lapidis emolliatur) coque in aqua, & ſolvetur in aquam citrinam. Hinc filtratura evaporata manet ſal in fundo; quod, ſi libet denuo calcina, & in aqua fervente ſolve, ut ſulphur impurum amittat, & coagula, reponeque ad cryſtalliſandum. Calcinatio inſtitui poteſt diverſimode: alii calcinant cum ſale nitri ſex horis: alii cum ſulphure & ſale nitri: alii cum duplo carbonum faginorum, in fornace figulino. Circa hæc vero Schrœderi verba ita ſcribit Fridericus Hoffmannus *Clav. Schrœd. p. 673.* hæc non philoſophica ac genuina eſt operatio chemica, & hoc modo, per calcinationem ſcilicet, in æternum non elicies ſal cryſtallinum, principiis calculi conſtitutivis in auram evaneſcentibus. Si cum nitro, ſulphure vel ſale calcinaveris, non ex ipſo calculo, ſed ex additis ſalibus ſal emerget, toto cœlo a calculo differens. Hæc tamen ſalis fixi per ejusmodi calcinationem plerisque tam priſcis, quam modernis medicis familiaris fuit. Præparatio, fortaſſe quia ex calculo humano per ſe nullum ſal fixum elicere potuerunt; hinc nonnulli e. g. calculos pulveriſatos cum nitro miſceri, mixta invicem per aliquot horas calcinari & inde ſal cum ſpiritu vini extrahi, dehinc ſpiritum ſeparari ſicque ſal parari jubent. Alii calculorum humanorum ſufficientem quantitatem calcinant igne primum moderato, poſt validiore: pulveriſatum cum ſulphuris & nitri æqualibus portionibus reverberant, donec in pulverem albiſſimum vertatur: ſolvunt cum ſucco Berberis clarificato, in leni cinerum igne, donec totus ſolutus ſit: rejectis exiguis fecibus abſtrahunt menſtruum per deſtillationem vel evaporationem, & manet ſal ipſum

in

in fundo. vid. Dan. Beckher. *Microſm. medic. Lib. I. cap. 15. pag. m. 96.* Johann. Beguin. *Tyrocin. Chym. Lib. II. cap. 17. pag. m. 262.* Alii ſal calculi humani cum carbonibus parant; ſcilicet recipiunt calculi microcoſmici pulveriſati partem unam, & carbonum faginorum pariter pulveriſatorum partes duas, miſcent & in tigillo ſuperne operculo ſeu tegula tecto in furno figulino, ſeu reverberii aut igne circulari per viginti quatuor horas urunt, ut ſpiritus carbonum beneficio ignis lapidis duritiem emolliat, utut carbones non abſumantur. Huic miſturæ affundunt aquam ferventem, vel in eadem coquunt, & pulvis calculi ſolvitur in aquam citrinam, qui color eſt a ſulphure fœtido ipſius calculi. Siquid reſiduum fuerit ab hac ſolutione, denuo exſiccant, &, adjecto recenti pulvere carbonum viciſſim, ut antea, calcinant. Solutiones omnes deinde evaporando in ſalem redigunt; quem iterum cum novo carbonum pulvere mixtum calcinant, &, ut pridem, in aqua communi ſolvunt, quam rurſus evaporare ſinunt, donec ſalem candidum, & ſæpe, ſi in loco frigido aliquandiu repoſitus fuerit, in cryſtallos abeuntem accipiant. vid. Matthiæ Tiling. *Prodrom. Prax. Chymiatr. Claſſ. III. Tit. 18. p. 754. ſeq.* Dominus Gallicus le Febure ſal & elixir ex calculo ita parat: Ex calculo ſcilicet, dicto modo cum carbonibus faginis per ſex horas uſto, ſeu calcinato cum aqua quadam lithontriptica, aut cum phlegmate Aluminis aut Nitri lixivium parat, quod filtrat atque ad cuticulam evaporare ſinit; reliquum ad cryſtalliſationem loco frigido exponit, idque tamdiu continuat, donec omne ſal extractum ſit. Quodſi hoc non ſatis ſit purum, crucibulo immittit, ut candefiat, non autem fluat; deinde per crebiores diſſolutiones, filtrationes, evaporationes & cryſtalliſationes illud purificat, ipſumque ſal in vitrea beneque obturata phiala ab aëris acceſſu

ad

ad uſum conſervat. vid. Febure *Chym. Part. II. Lib. 2. cap. 8. pag. m. 198. ſeq.* Et pro paranda eſſentia ſeu elixirio calculi microcoſmici, eundem cum anatica nitri portione, in tigillo ſex horas calcinat, deinde cum ſpiritu vini vulgari ſal extrahit, filtrat, evaporat & cryſtalliſat. Cryſtallos ſiccatas per quindecim dies in Pelicano in B. M. vaporoſo cum ſpiritu vini rectificato digerit; deinde hunc ſpiritum in Balneo per alembicum abſtrahit totiesque cohobat, donec ſal in liquorem puram & ſubtilem abeat.

§. 7.

Sal & Magiſterium calculi humani ſequenti modo atque ſequentibus verbis parare docet Carolus Lancilottus *nella Guida alla Chimica Part. III. cap. 17. pag. m. 31. ſeq.* Piglia delle pietre ò calcoli humani la quantita, che porrai & piſtale beniſſimo, poi piglia Calcidonia, overo della pietra da batter il fuoco, che ſia chiara eri lucente, & la ridurrai in forma d'arena groſſa, e ſii tanto l'uno, come l'altro, poi poni in tegameto non vitriato à fuoco di riverberio mediocre, per hore otto, meſcolando di tanto in tanto con ſpatola, ò verga di ferro; poi leva & raffreddato ſetacci la polvere, & getta come inutile a detto effetto la Calcidonia; poi piglia detta polvere & mettila in un ſaggiolo di vetro, & ponelli ſopra fortiſſimo aceto deſtillato, che li ſopravanzi quattro deti, & poni in luoco calido in digeſtione, & quando l'aceto ſara impregnato e tinto di detto ſale, ſi vouti per inclinatione, & veſe ne rimetti dell' altro, ſino che non eſtræ piu niente; poi filtra & fa ſuaporare, ſino che reſti il ſale nel fondo, quale di nuovo lo tornerai a diſſolvere in acqua di areſto bovis o anonide, & lofiltrerai e tornerai a coagulare, come o detto & haverai un ſale perfettiſſimo per la pietra. Et ſe le vuoi in magiſterio, diſſolto che ſara nella ſopra detta acqua gettali ſopra a goccia, a goccia dell' oglio di Tar- *Lancilotti Modus.*

taro & ſi precipitarà al fondo il magiſterio; del quale ſeparerai l'humidità ſuperflua, laſciando ſeccare, lo conſerverai all'uſo detto. La doſa è da mezzo ſcrupulo fino ad una mezza dramma.

§. 8.

Liquor f. Oleum calculi In liquorem ſeu oleum facile redigitur ſal calculi humani, ſi in tabula vitrea ſeu marmorea in cellam vel alium locum humidum reponitur, ut colliqueſcat, ſeu per deliquium fluat. Et Daniel Beckherus. *l. a. p. 96.* hunc liquorem ita parat: Recipe pulveris calculi humani unciam unam, olei tartari per deliquium facti uncias duas, miſce & in matracio digere in Balneo per quindemum, poſtea eodem temporis ſpatio exſicca lento igne arenæ, extremo pulveriſa: affunde ſpiritum vini, quem poſtea leni Balnei calore evoca & remanebit oleum. Johannes Fridericus Helvetius *Diribitor. medic. p. m. 119.* ex calculo cum nitro & ſulphure calcinato, mediante aceto vini bene deſtillato ſal extrahere atque poſt exſiccationem in tabula vitrea liquorem exinde parare docet. vid. etiam Conr. Khunrath. *Medull. deſtillat. Tom. I. pag. m. 119.* Alio adhuc modo oleum calculi ſeu ludi parat Fridericus Zobelius *in Margarit. Chymic. pag. 153.* ſcilicet: Recipe calculorum ab homine vel rejectorum vel exciſorum uncias tres, ſilicum ſelectorum, uncias quatuor. Silices candefiant & in aceto deſtillato extinguantur, ut diſſiliant, tunc exſiccati in mortario optime pulveriſentur. Deinde calculi microcoſmici pariter, absque tamen calcinatione in pollinem redigantur. Hæc mixta cum æquali pondere nitri pulveriſati in crucibulo bene ignito fluant; tunc injectis carbonibus, usque dum non amplius flagrent aut ſibilum edant, figantur. Poſtea frigefacta materia cucurbitæ indatur eique acetum deſtillatum affundatur; ſtent per aliquot dies in calore & materia ſolvatur in aceto, quod rubicundo colore

lore tingitur. Hoc tinctum acetum effundatur, aliud iterum affundatur atque ad plenariam materiæ ſolutionem calori exponatur. Deinde ſolutiones Balneo committantur atque acetum abſtrahatur; ſic in fundo remanebit ſal, quod in tabula vitrea cellæ expoſitum in liquorem ſeu oleum ſanguineo-rubicundum ſolvitur.

§. 9.

De calculi humani ſolutione, mediante certo liquore Pariſiis par Monſieur Brocard de Beauvais præſtita ſequentia reperimus dans *le Journal des Sçavans Tom. VII. pag. m. 237. ſeq.* ſequentibus verbis: Un aſſez gros éclat d'une pierre ayant eſté mis dans une phiole ſans col, d'aſſez large ouverture, le Sr. Brocard verſa deſſus d'une eau claire, & puis ayant mis cette phiole ſur une platine avec un peu de ſable ſur un petit rechauf, lorsque l'eau fut échauffée jusqu'au degret de la chaleur naturelle, on la vit commencer d'agir ſur la pierre & de la diſſoudre. Il s'eleva enſuite de petites bouillies ſur cette eau, & aprês une moûſſe blanche, qui ſortit hors de la phiole, qu'avoit oſté de deſſus le rechauf, la pierre ſe trouva diſſoute ſi parfaitement, que le tout paſſa par le philtre, ſans qu'il reſtat de ſediment. Pluſieurs de la compagnie eurent la curioſité de moüiller la palme & les deſſus de la main de cette mouſſe, & de l'eau, qui avoit deſſout la pierre, & ils ne ſentirent aucune chaleur ni corroſion, & quelque temps aprés l'endroit moüillé ſe trouva rouge, comme du vermillon. Il n'en fut pas de meſme aprés avoir moüillé la main avec l'eſprit de Nite, que l'on avoit envoyê chercher, car l'on ſentit une grande corroſion, & l'endroit moüille de ſa diſſolution ne changea point de couleur. On mit enſuite dans un verre un peu de la liqueur, dans la quelle la pierre avoit eſté diſſoute, on y verſa de l'eau par deſſus, & un peu aprés qu'on l'eut laiſſé repoſé, on vit precipité an coſté

Liquor pro ſolutione calculi.

ſté & au fond du verre un ſediment, que le Sr. Brocard dit eſtre ſemblable à celuy des urines des malades, qu'il traite de la pierre. Aprés cela on verſa un peu de ſel de tartre ſur de l'eau, qui avoit diſſout la pierre, & il ſe vid mettre une fermentation & une ebullition aſſez grande, jusqu' autant de la phiole & cette liqueur, qui etoit de couleur blanche, un peu jannâtre devint rouge comme du ſang. Ce qui n'arriva pas ayant jetté du méme ſel de tartre ſur un peu de la même liqueur, qui n'avoit encore rien diſſout; car le ſel ſe coagula au fond, & la liqueur, qui ſurnagea toûjours, ne changea point de couleur. Le Sr. Brocard racconta pluſieurs autres circonſtances, qu'il a remarquée, entr' autres, qu'ayant mis pluſieurs fois de ſa liqueur dans une veſſie de porc & l' ayant laiſſé de 24 heures entieres, la veſſie n'avoit paru nullement corrodée, ce qui eſt le plus conſiderable, &c.

§. 10.

Ex Tophis Spiritus.

Ex tophis ſeu tartaro podagrico, qui a calculo parum differt, Kerckringium pariter ſpiritum quendam, inter ſpiritum tartari & ſalis ammoniaci quodammodo medium oleum ab oleo tartari vix diſtinguibile, & ſal quoque fixum ſimile eduxiſſe, refert Henricus Meibomius *Diſputat. de Calcul. §.52.*

§. 11.

Ludus Paracelſi.

Licet autem multi calculum humanum, pro oleo Ludi Paracelſi exinde parando, miſere torſerint, ipſorum tamen laborem früſtraneum fuiſſe, teſtatur Michael Ettmüllerus *Oper. Volum. I. fol. m. 802.* cum longe alius ſit Ludus Helmontii & Paracelſi, de quo pluribus agit Andreas Cnœffelius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 111. pag. 118. ſeqq.* item Roſinus Lentilius Paralelismo in hunc locum, vid. *M. N. C. Dec. III. An. 3. Append. p. 104.* quo loco de Ludo, ejusque oleo & eſſentia ſequentia refert: Roteburgi apud

Tu-

Tuberanos hiſce medicamentis famam ſibi adquiſivit maximam D. Weinlinus, chymicus inſignis, adeo ut ejus oleum Ludi magna copia Viennam usque imperialem adveheretur, aliaque multum diſſita loca, quod ſuis in nephritide viribus ſe commendaret. Communicati mihi Proceſſus bini & olei & eſſentiæ, tanquam genuini ab ipſo Weinlino profecti; & licet affirmare poſſim, me aliquando emptum a ſæpe memorato Weinlino Ludi oleum, & illud, quod ſecundum proceſſum proxime deſcribendum paratur, utraque ſimul & eodem tempore, juxta odorem, ſaporem, colorem, conſiſtentiam, &c. examinata, nil omnino differre deprehendiſſe, propterea tamen pro certo aſſeverare non auſim, illas deſcriptiones eſſe revera cum Weinlinianis easdem. Sit ut ſit, cum tamen & hæc medicamenta ſint elegantia, nec ſpernendi uſus, ea hic propalare nil dubitavi, liberrimum æquis lectoribus judicium de iis relinqueus. Prius vero quam ipſos Proceſſus deſcribam, id mihi monendum, quod Ludum ipſum repererim talem materiam, qualem ex Paracelſo & Helmontio Cnœffelius in obſervatione deſcribit, nempe lapillos pellucidos, ex albo flaveſcentes, plerumque teſſellatos, eosque reperiri in thure, quod aromatarii ſeu materialiſtæ thus hiſce lapillis commiſcere & adulterare conſueverint. Ipſemet ego horumce lapillorum inſignem e thure collegi copiam. Comes quidam Illuſtriſſimus Ratisbonа mihi nihil notabilem Ludi, quod verum ex Brabantia allatum adſeverabat, copiam; erat autem omnino idem cum illo, quod e thure collegeram. His præfatis ita Proceſſus prior habet: Recipe vitrioli hungarici ſubtiliſſime pulveriſati qu. pl. inde retortæ vitreæ, circiter trium librarum capaci, & in arena ſepeli, recipiente mediocris capacitatis, optime lutato, adaptato. Illa die ignem non ſubde, altera vero leni primum igne ſpiritus lente pelle,

ſiquidem per ſe, magno cum æſtu, prodeunt, ſic, ut tactum recipientis calor non ferat: urge, dum ſtillare deſinat, lente refrigeſcant, & die ſequenti, qui prolectus eſt ſpiritus, probe ſervetur in vitro. Poſtea recipe Ludi ſubtiliſſime triti, qu. pl. inde retortæ vitreæ, & ſpiritum iſtum vitrioli affunde, ſic ſolvetur ſtatim ludus in materiam butyraceam: abſtrahatur menſtruum per arenam calore leni ad ſiccitatem. Caput mortuum exemptum ſolve aqua pluviali deſtillata, deſtillatum filtra, filtratum e retorta vitrea per Mar. Baln. ad ſiccitatem abſtrahe; caput mortuum, ſalis ſuaviſſimi forma, caute eximatur, & in phiola ſuperfundatur ſpiritus vini rectificatiſſimus ad duorum digitorum eminentiam. Vitrum H. S. collocetur in digeſtionem lentam, donec omnia ſolvantur in eſſentiam pulcherrimam, ex rubro savirideſcentem. Alter Proceſſus eſt talis: Recipe ſalis communis & ſalis tartari ana uncias quatuor, ſolve in aqua pluvia calente, filtra, quod filtratum eſt, inde retortæ vitreæ, & cochleatim affunde olei ſulphuris, vel vitrioli, libram ſemis, donec omnia deferbuerint. NB. ſi cochlear unum affudiſti, ſtatim cucurbitæ orificium claude firmiter; quum omnia ſunt affuſa & quiete conjuncta, ſuperimpone alembicum probe lutatum, & applicato excipulo igne arenæ lento ſpiritus guttatim evocentur. Ubi denique retortam & alembicum rutileſcere vides, tunc ignem auge, donec omnis rubor evanuit, qui ad duas horas durare conſvevit. Tunc refrigeratam parum retortam confringe, & reperies in fundo ſalem candidum, quem exime. Recipe hujus ſalis & ludi ſubtiliſſime triti ana: terantur probe & miſceantur invicem ſollicite, inde retortæ loricatæ, & lento igne aquoſitatem ſeu phlegma l. a. abſtrahe, aucto poſtmodum igne, ut denique retorta candeſcat: in qua frigefacta invenies lapidem gryſeum; Hunc juxta præſcriptum Helmontii

in

in cella liqueſcere ſine, quod intra viginti quatuor horas fieri aſſolet: inde oleum acquires viridiuſculum ad aliquot guttas in ſpiritu vini, vino, cereviſia aut alio liquore appropriato propinandum. Hi ſunt illi Proceſſus, (pergit Lentilius) quos, qui volet, experiri poterit. Nec enim lectorem celabo, præmemoratum Illuſtriſſimum Comitem ad me Ratisbona ſcripſiſſe, ſe hos Proceſſus legendos communicaſſe chimico cuidam celeberrimo, qui de eorum fide dubitarit. Incertum tamen eſt, utrum id fecerit ſerio, an invidia.

CAPUT XV.

De Calculi uſu medico.

§. I.

Calculi humani uſum medicum quod attinet, ſolet ille tam a vulgo, quam medicis utplurimum pro ſcopo diuretico & contra calculum adhiberi, & quidem vel crudus & per ſe, vel arte chymica præparatus, vel aliis admixtus. Calculum autem ſingulari proprietate atque peculiari quadam vi, a ſpiritu ſalino proficiſcente comminuere ac reſolvere, imo etiam expellere perhibetur lapis in corpore humano generatus, inque tenuiſſimum pollinem redactus, & quidem, juxta quorundam Autorum ſententiam, renalis renalem, & veſicalis veſicalem, ſi quotidie drachmæ unius vel dimidiæ pondere, quotidie ex aqua ſaxifragiæ vel raphani jejuno ventriculo exhibeatur. Scribit enim Leonellus Faventinus *Pract. medicin. Part. II. cap. 69. p. 546.* ſe, certa experientia ductum, lapidem in renibus genitum ad lapidem renalem exhibere, in aqua florum caryophyllorum ſylveſtrium in Alpibus & jugis montium creſcentium. Carolus Lancilotti *nella Guida alla*

Calculi Uſus diureticus

alla Chimica Part. III. cap. 16. p. m. 31. inquit: le Pietre dell' huomo hanno virtu di ſacciare & riſolvere ogni tartareo humore & le pietre, pigliate in polvere, il peſo d'una mezza dragma ò più. Juxta Frid. Hoffmann. *Method. medend. Lib. I. cap. 12. pag. 189. ſeq.* eſt lapis microcoſmi tam diureticus, quam lithontripticus; habet enim is ſingularem vim ſui ſimilem coagulatum lapidem in corpore humano reſolvendi & expellendi, tam interne exhibitus, quam externe appenſus aut in manu detentus. Et *Clav. Schrœder. pag. 673.* Calculus humanus vim ſuam lithontripticam etiam exterius in manu detentus exercet. Secundum Michael. Ettmüller. *Oper. Vol. I. fol. m. 802.* uſus obtinet, quod hic calculus pulveriſatus urinam pellat, quod ſuo modo verum interim tamen huic accedit ſuperſtitio, quod proprios calculos, primum ex homine nephritico prodeuntes pulveriſatos & aſſumptos per totam vitam præſervare a calculo dicunt. Lapidem humanum, potui jejune datum, frangere lapidem, ex Petro Hiſpano & Gattinaria refert Daniel Beckherus *Microcoſm. Medic. Lib. I. cap. 15. p. 95.* Lapides in hominis veſica repertos, medicamentis diureticis & lithontripticis annumerat Emanuel Kœnig *Select. Remed. e triplic. Regn. Sect. III. Art. 2. pag. m. 53.* Joh. Jonſton. *Syntagm. univerſ. Medicin. Lib. V. Tit. 8. cap. 1. Art. 3. p. m. 997.* Lapis microcoſmi, vel qui in renibus vel veſica hominis concretus ac generatus, vel naturaliter expulſus, vel artificioſo per ſectionem exciſus fuit, juxta Matthiæ Untzer. *Tract. de Nephritid. Lib. II. pag. 178.* ſingularem habet vim ſui ſimilem coagulatum lapidem in corpore humano reſolvendi. Lapillus ejectus allegatus ſuper pubem levare cæteros dicitur. vid. Lævin. Fiſcher. *Corp. Medicin. Lib. 3. Tit. 21. pag. 577.* Calculum crudum absque ulla præparatione pulveriſatum, a ſcrupulo uno ad drachmam in vino aut aqua, cui radix bardanæ aut

urticæ

urticæ incocta fuit, ad ſabulum & mucum renum & veſicæ diſſolvendum, commendat le Febure *Chym. Part. II. c. 8. p. 195.* Ipſe etiam memini, civem quendam Lipſienſem calculi tormentis ſingulis fere menſibus miſerrime vexatum experientia credidiſſe, nullum contra hoc malum dari magis præſens remedium, quam ſi proprios calculos, antea ab ipſo excretos, quos in magna copia ſemper aſſervabat, crudos & pulveriſatos in aqua centinodii aſſumeret. Referente Jacobo Hollerio *de Morb. intern. Lib. I. cap. 45. p. m. 138. b.* Solinus, Dioſcorides & alii medici tum renum, tum veſicæ lapides frangere calculum ſcribunt. Galenus non veſicæ, ſed renum. Autor libelli de calculo duplex genus facit, ſcribitque marem e renibus, fœminam e veſica calculum educere. Juxta Franciſc. Calceolar. *Muſæi Sect. VI. fol. 681.* hominis calculus alterius calculum conterit. Et Emanuel Kœnig. *Regn. animal. Sect. III. Artic. 2. p. 248.* inquit: Calculum ope calculi humani, cujus materia jam in ipſa urina continetur, ejici & feliciter extirpari ſcripſit ad nos amicus noſter Johannes de Muralto. Urinam pellere calculum humanum ait Olaus Borrichius. vid. Thom. Bartholin. *Epiſt. medicin. Cent. IV. Epiſt. 92. pag. 522.* Nonnulli equidem autores, raro aut nunquam ſperatum ſubſequi effectum, defendere conantur, ſi absque præparatione contra calculum calculus humanus experiatur, dum ſcilicet a cruditate ſua nondum liberatus, nec ab excrementitiis particulis ſolutus ad operandum inefficax maneat; Imo Roberto Boyle calculus humanus crudus nullius in medicina utilitatis, ſed viliſſimus & abjectiſſimus eſſe videtur *in Tract. de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. 5. cap. 5. p. 220.* Sicuti autem ab aliis medicamentis ſimplicibus & crudis, v. g. a lapidibus cancrorum optatum ſæpiſſime experimur effectum, ita etiam noſtro calculo humano contra experientiam vix

Obſervatio.

quiſquam eundem denegabit; Quin tamen ejusdem virtus lithontriptica per artem chymicam aut aliorum medicamentorum additionem augeri queat, quorundam practicorum autoritate confirmatur.

§. 2.

Item contra calculum. Calculum enim ab ipſo ægro, ſi fieri poteſt, vel ab aliis excretum, cum anatica portione lapidis judaici ſubtiliſſime tritum contra calculum ordinat Felix Platerus *Prax. medic. Tom. II. cap. 12. p. m. 474.* Pulverem ex calculi humani parte una & oſteocollæ partibus tribus contra calculum renum & veſicæ optimo cum ſucceſſu in aqua petroſelini propinavit lithotomus quidam. vid. Johann Hayne *de Morb. tartar. c. 9. p. m. 82.* Lapis e veſica cujusdam Patris Jeſuitæ exemptus & purgatus, in ſpiritu aliquo acido reſolutus, & ſpagirico more in liquorem potabilem redactus, tanquam medicina interna contra calculum puero cuidam ſeptem annorum, quotidie in certa doſi, & in vehiculo idoneo adhibitus, ab eoque totus conſumptus fuit, teſte Martino Bernhardi a Berniz *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 140. p. 224.* Lapis microcoſmicus, in renibus vel veſica hominis procreatus ac generatus, vel naturaliter expulſus, vel per ſectionem erutus, quotidie ad drachmam unam ex aqua ſaxifragiæ vel raphani exhibitus, lapidem concretum comminuit ac reſolvit, ſi cum ſulphure & nitro calcinatus fuerit; & cum ſucco berberum depurato extractus, potens evadit remedium ad omnes calculos totius corporis expellendos, inquit Nicolaus Franchimont a Franckenfeld *in Lithotom. med. F.* vel juxta verba Henrici Petræi *Noſolog. harmon. Tom. II. Diſſert. 40. p. 330.* Calculus ex humano corpore exſectus vel excretus cum ſulphure, & nitro calcinatus, & cum ſucco berberum depurato extractus, potentivum eſt ad omnes calculos totius corporis expellendos. Juxta Johann. Beguin.

Tyrocin.

Tyrocin. Chym. Lib. II. cap. 17. pag. m. 262. Sal calculi humani calculum e renibus & veſica potenter expellit, ſi ejus grana tria aut quatuor in vino albo decreſcente luna exhibentur, atque doſis aliquoties repetitur. Spiritum e calculo humano factum ſæpius probatum contra calculum ſe reperiſſe, ſcribit Wolffgangus Hœferus *Hercul. Med. Lib. III. cap. 4. p. m. 212.* Inquit etiam Georgius Thomſonus *Chymiatror. Acus magnet. c. 15. p. 154.* quidam docent, calculum renum & veſicæ prudenter ordinatum ab experto Pyroſophiſta deſtructa Duelech textura ejusque compage diſſoluta, efficere, ut retrogrado flexu meet ad principium primæ concretionis. De Ludo & oleo Ludi humani renum & veſicæ obſtructionem ſolvente & calculum ſine omni dolore in mucilaginem cum urina excernente, vid. Nicol. Grimberg *Deſcript. Calcul. pag. 45. ſq.* Liquoris ex ſale calculi humani, in marmore in loco frigido humido expoſiti, per deliquium parati, guttæ ſex ad ſcrupulum ſemis, in vino exhibitæ luna decreſcente potenter ipſum calculum in corpore humano ſoſpitantem ſolvunt, & per urinam expellunt, juxta Dan. Beckher. *Microc. med. Lib. I. c. 15. p. 69.* ubi pergit: Liquor ſeu oleum ejusmodi exinde parari poteſt, ejusdem uſus earundemque virium. Recipe, pulveris calculi unciam unam, olei tartari per deliquium facti uncias duas, miſce & in matratio digere in Balneo per quindenum &c. uti paulo ante diximus. Item *pag. 97.* de calculi oleo ſcribit, ipſius guttas a tribus ad duodecim in liquore convenienti aliquoties exhibitas ſingulis diebus tantum ſemel omnes obſtructiones totius corporis aperire, inque mucilaginem ſine omni fere dolore calculum compactum redigere & ad expulſionem diſponere. Calculum in ſucco allii diſſolvi, atque ſpiritum lithontripticum inde parari poſſe, ſcribit Stephanus Blancardus *Prax. med. Part. I. cap. 62. pag. m. 420.*

m. 420. Et Chriſtianus Langius *Patholog. animat. cap. 43. §. 15. pag. m. 420.* dicit: ex calculis in homine & alio animante genitis (cumprimis ſi in primam ſuam materiam beneficio merculialis ſpiritus redigantur) ſpecifica contra calculum remedia parari poſſe, nullum eſt dubium, veluti fundamentum cauſæ & hujus experimenti paſſim in medicina eſt notorium. Pulverem compoſitum lithontripticum magnarum virium, quem calculus humanus ingreditur, deſcribit Arnoldus Weickardus *in Theſaur. pharmacevt. Lib. 1. cap. 15. fol. m. 285. ſeq.* Et Oswaldus Crollius *Baſil. Chymic. pag. m. 328.* Salem deſcribit contra calculum, ex oculis cancrorum, calculo microcoſmi, lapide Judaico, lyncis, ſpongiæ, aquilæ &c. quem pulverem in omnibus calculorum generibus, in quibuscunque ſint membris, a ſcrupulo uno ad duos, pro præſervatione ſingulis lunæ quadris, in cura a ſcrupulis duobus ad drachmam unam propinat.

§. 3.

Ob ſignaturam *ſuſpectus* Calculum microcoſmi ob ſignaturam inter lithontriptica ſeu calculum pellentia locat Oswaldus Crollius *de ſignatur. intern. Rer. p. m. 38.* Quam tamen ſignaturam cum calculi contra calculum, uſum rejicit Auguſtus Quirinus Rivinus *Cenſur. Medicament. officinal. cap. V. §. 5. p. 37.* inquiens. Quod mireris, habent etiam morbi ſignaturas ſuas; cumque alias ſimile ſimile nutriat, magis curioſum eſt, ſimile ſimile curare ac etiam tollere; quemadmodum lapis microcoſmi expellit calculum e renibus atque veſica, pulvis lumbricorum terreſtrium vermes ex inteſtinis puerorum. Si hæc vera ſunt atque adeo fundata in rerum natura, hæreo circa uſum tam frequentem cornu cervi, nec etiam quisquam hactenus attendit, an ad ampliandas, an tollendas potius cornutorum excreſcentias conducat, &c. Ex eodem fundamento etiam aliis calculorum

lorum excretorum uſus contra calculum ſuſpectus eſt, quia nimirum ſimilia ſimilibus conſervantur, ut ita plus detrimenti ex hujus medicamenti uſu metuendum ſit; deinde quia, ſi tanta virtute lithontriptica polleret, potius etiam in corpore ſui generationem & coagulationem præcavere poſſet & deberet, v. Jacob. Pancrat. Brunon. *Diſp. de Medicament. ex Homin. deſumpt. §.14.* Et Nicolaus Venette *au Traité des Pierres Cap. 13. Art. 3. p. m. 265.* non ſolum calculum humanum & brutorum, ſed etiam lapidem bezoar, margaritas, corallia & putamina ovorum e lithontripticorum numero excludit: ces pierres, inquiens, qui ſe trouvent dans le corps des animaux, comme ſont le bezoard, les perles, & les autres, dans quelques parties, qu'elles ſoient, y ont eſté fabriquées par un ſuc petrifiant, qui conſerve encore dans ces pierres les mêmes vertus, qu'il avoit auparavant. Ainſi ſelon la penſée de Galien, on ne doit pas croire, que ce ſuc puiſſe faire des operations contraires a ſa propre nature, & chaſſer au lieu que de former les ſablons & les pierres. &c. Quid autem alii de hoc ſpiritu, ceu calculi coagulatore ſentiant, ſupra vidimus.

§. 4.

Ad tartarum in omnibus totius corporis partibus reſolvendum omnesque obſtructiones, inde ortas, reſerandas commendatur calculus humanus, & ex eo præparata medicamenta, vid. Joh. Schrœd. *Pharmacop. med. Lib. III. p. 340. & Lib. V. p. 851.* Et Carolus Lancilotti inquit *nella Guida alla Chimica Part. III. cap. 16. p. 30. ſeq.* le pietre e calcoli, ſi generano nel corpo humano e per il più nelle reni & nella veſica, & il più hanno una figura ſimile à quella del Bezoar, & io ne hò viſto alcune da perſone ancor viventi, che paſſavano quaſi meza libra; hora le dette pietre hanno virtù di ſcaciare & riſſolvere ogni tartareo humore *Ad Tartarum*

& le pietre pigliate in polvere il pezo d'una meza drama, o più, &c.

§. 5.

Ad Icterum In ictero calculus in boum veſicula fellis repertus hinc inde laudatur. Inquit enim Caſparus Schwenckfeld *Theriotroph. pag. m. 72.* naſcuntur in tauri folliculo fellis lapilli quandoque crocei, friabiles, poti icteritiæ medentur. Caupo quidam Poſonii ictero laborans aſſumpto pulvere lapidis e veſica bovis fellea, cum ſalibus abſinthii & centaurii minoris, quibus ſolis antea diu, ſed ſine fructu uſus, inſigniter fuit adjutus. Et Matrona quædam Nobiliſſima laborans ictero pertinaci totius corporis fere ad nigredinem declinante, a ſolius vini, in quo talis calculus infuſus & liquefactus, potu, urina craſſa prope nigra copioſe excreta fuit curata, annotante Carolo Raygero *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 283. pag. 500.* Lanio quidam haud procul a Lipſia pollinem horum calculorum ictericis vendidit, ejusque ſcrupulo in vino calente propinato mox icterus ceſſavit, quos admirandos effectus ipſe Roſinus Lentilius perſpexiſſe teſtatur *M. N. C. Dec. II. An. 10. Append. pag. 51.* ubi etiam tanti effectus rationem annectit; ſal nempe volatile, cujus in iſtis lapillis abundantiam vis ptarmica & odor acerrimus produnt, aptum eſſe bilem attemperare porique choledochi infarctus expedire. Ibidem etiam *An. 7. Obſ. 136. pag. 263.* idem Lentilius non ſolum in negotiatore quodam Nürtingenſi, qui per decennium de ſummo circa hepatis regionem dolore atque tumore, conqueſtus fuerat; quamplurimos demum ex flavo rubentes lapillos excretos cum ſubſidentia farciminis vel tumoris in epatis regione, obſervavit; ſed etiam tales lapillos e cyſtide bilaria prodiiſſe nil quidquam dubitat, cum hoc in genere pecudum non ſit omnino novum, prout hos lapillos e bovis felle aliqui non ſine fructu & effectu tantum non certiſſi-

mo

mo ictericis propinent, quorum fidem & ipſe Lentilius teſtis oculatus ibidem confirmat. Judæos in regionibus orientalibus in morbo regio nullum præſentius habere remedium, quam lapidem in bovis felle inventum, ex Bellonio refert Michael Bernhardus Valentini *Polychreſt. exotic. Diſp. III.* §. 2. *pag.* 43. Lapillus ex ventriculo bovis exſectus medetur icteritiæ, ſpecifice comminuit ac conſumit calculum, juxta Sam. Dale *Pharmacolog. Part. III. pag.* 559. Calculum, qui eſt in felle tauri ad icteritiam facere, Moſes Kimhi ſcriptum reliquit. vid. Jul. Cæſar Scaliger *de Subtilit. Exercit.* 125. *p.* 422. Boum in ventriculo menſe Martio, vel e veſicula fellis menſe Majo lapillum erutum commendari ad icterum & ad calculum in vino diſſolutum ait Philippus Jacobus Sachſ. a Lewenheimb *Gammarolog. cap.* 14. *pag.* 296. Lapidem fellis & ventriculi bovis medicamentis calculum frangentibus & expellentibus annumerat etiam Johannes Georgius Macaſius *Promptuar. Mater. medic. Lib. poſter. cap.* 22. *p. m.* 353. Inquit etiam Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. mortuor. Lib. III. Tit.* 3. §. 96. *p.* 1125. Lapis porcinus noſter etiam imprimis in icteritia nomen meruit, & a quibusdam etiam in calculis celebratur. Addit tamen Garmannus, ſe bis vel ter a vulgaribus adhibitum recordari, ſed absque ſingulari levamine. Quodſi proinde lapides in brutis reperti tanta contra icterum virtute valeant, quis quæſo, etiam a calculo, e cyſtide fellea hominis, tanquam omnium animalium nobiliſſimi, petito eandem aut majorem contra hunc affectum expectandam eſſe operationem, dubitabit? De lapidibus in bubulo felle inventis ſequentia refert Petrus Bellonius *Obſerv. Lib. III. cap.* 46. *fol. m.* 198. Lanii Turcici aliarum nationum lanios in concinnandis carnibus agilitate longe ſuperant. Et ubicunque ſunt, jugulato bove extisque exemptis, fel obſervare ſolent, an lapidem contineat; nam ple-

rumque

rumque innaſcitur lapis ab Arabibus Haraczi nominatus; cujus facultates ab Avicenna ſigillatim ſunt deſcriptæ. Judæi longe pluris æſtimant hujuscemodi lapides, quam Turcæ, qui, Judæis ſaniores, illo magnopere non indigent. Judæi magna ex parte ineleganti colore ſunt præditi & regio morbo laborant, naturaque taciturni ſunt & melancholici, non modo in turcico dominio, ſed etiam in Germania, Italia, Gallia & Bohemia. Apud Turcas viventes nullum præſentius remedium adverſus eum morbum norunt, Haraczi lapide. Quod adnotatum voluimus, ut quem hæc legere continget, lanios ſuæ regionis admoneat de perquirendo eo lapide in bubulo felle &c. Hunc calculum Julius Cæſar Scaliger *de Subtilit. Exercit. 125. pag. m. 421.* Arabice Harathzi dici, ait; ſed metatheſi literarum deceptus, ut videtur Georgio Hieronymo Velſchio, *Obſ. phyſ. medic. Hecatoſt. 1. Obſ. 93. p. m. 117.* niſi Typographi hæc culpa ſit &c. Joannes Curvus Semmedus *Hiſtor. Simplic. pag. 50.* ita ſcribit: in felle quarundam vaccarum generantur calculi, crocum amaritie ſua æmulantes, qui egregiæ ſunt efficaciæ in curando ictero, ita ut præmiſſa evacuatione æger aſſumat ſcrupulum unum hujus calculi pulveriſati per quindecim dies jejuno ventriculo, cum ſex unciis decocti foliorum mori aut radicis graminis. Poſſideo ego in domo mea remedium adeo efficax ad curandum icterum, ut per quinquaginta annos medicinam facienti infallibilius non obvenerit &c.

§. 6.

Contra Philtrum. Contra philtrum & furorem exinde contractum calculum ex microcoſmo exſectum, non in ludum ſive liquorem verſum, ſed tantum in pulverem comminutum cum aqua vel ſucco naſturtii aquatici propinatum, multum profuiſſe, experientia ſe didiciſſe, ſcribit Henricus ab Heer *Obſerv. 13. pag. m. 130.* Adoleſcenti cuidam quartum deci-

mum

mum ætatis annum explenti juvencula, jam olim familiaris, ruri potum petenti amatorium pulverem in cereviſia exhibuit, dicens: levandæ laſſitudini non alius præſentius eſſe remedium. Poſt hauſtum autem pulverem varia ſymptomata fere lethalia incidebat, cui tandem, jam ſanari incipienti (nam cruſtarum, per totum corpus, bona pars & cum iis omnes pili capitis, manuumque & pedum ungues deciderant) Ardelio quidam Paracelſicus remedium dedit, quod, urinis copioſius motis, ſanitatem acceleraſſe videbatur. Dixit ille tandem, hoc vocari Ludum Paracelſi. Et poſtea experientia docuit, calculum microcoſmi exſectum non in lutum ſive liquorem verſum, ut ille propinabat, ſed tantum in pulverem comminutum, cum aqua vel ſucco naſturtii propinatum philtro potatis, vel erotico amore furentibus multum profuiſſe. vid. etiam Georg. Abrah. Mercklin. *de Incantat. Caſ. VIII. pag. 67.* Et *pag. 247. ſeq.* inquit idem, philtris magicis in ſpecie ex ſanguine menſtruo fœmineo potatis, calculum ex homine exſectum & in pulverem redactum in aqua vel ſucco naſturtii exhibitum, utiliter amore furentes reſtituere. Philtrum delirii genus quoddam infert amatorium, quo amorem involuntarium maleferiati homines ſibi conantur comparare; curatur calculo humano pulveriſato, inquit Wolffgangus Hœferus *Hercul. medic. Lib. I. cap. 7. pag. m. 59. ſeq.* Et Petrus Moravius in Epiſtola ad Johannem Aicholzium hiſtoriam narrat de Barone quodam Bohemo, cujus filius accepto philtro, totus contabuerit tandemque mortuus ſit. Cadavere vero ſecto inventum eſt in ſtomacho ejus quiddam durum cornu aſſimile, unde pater in filii memoriam cochlear fieri curavit, quo longo poſt tempore uſus eſt. Tandem illud caſu quodam in ſucco naſturtii aquatici diſſolutum fuit. Inde experientia comprobatum, naſturtium iſtud magnam vim contra philtra habere. Eodem

dem præſidii genere alius quidam Nobilis a Selterwiz uſus eſt, atque ex ſimili morbo reſtitutus. vid. Laurent. Sholz. *Epiſtol. medicin. 231. fol. m. 409.* vid. etiam Joh. Phil. Gieswein *de Mater. med. pag. 496.* Contra philtra poſt præmiſſum vomitum tanquam egregium ſpecificum a ſcrupulo uno ad drachmam unam calculus humanus commendatur, vid. Mich. Ettmüller. *Oper. medic. Volum. I. fol. m. 220.* Et *Vol. II. fol. 980.* inquit: idem calculus humanus pulveriſatus a ſcrupulo uno ad drachmam unam in aqua naſturtii aquatici aſſumptus, contra philtra & melancholiam eroticam plurimum confert, expellendo ſimul urinam plurimam, imprimis ſi a ſanguine oriatur. Secundum Frider. Hoffmann. *Method. medend. Lib. I. cap. 19. p. 291.* philtrorum, ex menſtruo & leporino ſanguine paratorum, remedium ſunt Margaritæ præparatæ & pulvis calculi humani cum ſucco naſturtii aquatici.

§. 7.

In febribus malignis.

Ad ſudorem, in febribus malignis & ipſa peſte tanquam alexipharmacum nonnulli lapidem microcoſmicum laudant, cum, juxta Frider Hoffmann. *Clav. Schrœder. Lib. IV. Sect. 1. pag. 673.* ſudores inſtar bezoardici lapidis potenter cieat, & ſudorificum melius ac excellentius non inveniſſe teſtatur Jacobus Bontius, cum admixta theriaca aut mithridatio, addito tantillo oleo deſtillato ſuccini aut juniperi: Scribit etiam Michael Ettmüllerus *Oper. medic. Vol. I. fol. 220.* Calculus uti nobis maxime nocumento eſt, ita e contrario virium quoque ratione, ſudorem promovendo, & vi alexipharmaca egregium eſt nobis medicamentum. Talem vim a ſcrupulo in aqua appropriata experti ſunt plurimi medici; in peſte conducit; & *fol. 383.* calculum humanum lapidi bezoar orientali & occidentali præfert; licet enim ſit minime pretioſus, nihilominus tamen optime ſudoriferum atque in morbis peſtilentiali-

lentialibus inſigniter proficuum eſſe; item *fol. 802.* idem his verbis repetit: ſane calculus humanus per ſe, doſi ſcrupuli unius in aqua cardui benedicti aſſumptus vi ſudorifera & antipeſtifera a non paucis lapidi bezoardico æquiparatur, unde eundem vocarunt bezoar microcoſmicum, quoniam non minus reſiſtit malignitati, nec minus convenit in febribus malignis & peſtilentialibus, quam lapis bezoar orientalis, imo in ipſa peſte præfertur etiam lapidi bezoar orientali. Et *in Volum. II. fol. 427.* inquit Ettmüllerus: Lapidem microcoſmicum a ſcrupulo ad drachmam unam in aqua cardui benedicti in peſte Londinenſi, ubi in die 10000. homines mortui ſunt, expertum fuiſſe. Sic etiam Paulus Barbette *Tract. de Peſt. Oper. pag. 238.* non modo lapidem illum in veſica fellea porcina genitum, qui ex India orientali advehitur, Pedra Porco dictus, de quo ſupra egimus, multum in peſte præſtare, ſudorem expellere & cor reficere dicit, ſed ejusmodi etiam lapides ſæpius in veſica fellis quorundam hominum reperiri addit, qui jam nominato ſubſtantia, ſapore, duritie atque colore, ſimiles ſunt: Imo ſi quis tales ad uſum revocaret, fortaſſis easdem, ſi non meliores, operationes ſua virtute efficere poſſet. Tempore etiam peſtis Lugduni Batavorum Anno 1624 & ſeqq. graſſantis, calculi humani crudi vim alexipharmacam & ſudoriferam obſervarunt atque in defectu lapidis bezoar eodem uſi ſunt, & easdem cum illo virtutes, imo ſudorificum melius in eodem deprehenderunt, uti ex Bontio refert Robert Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experimental. Exercit. V. §. 13. p. 223.* Calculum humanum urinam & ſudorem prompte exigere, quin & in peſte excellentioris eſſe uſus, quam decantatum illum bezoardicum lapidem, ex Boylei obſervatione refert Olaus Borrichius in Thom. Bartholin. *Epiſtol. medicin. Cent. IV. Epiſt. 92. pag. 522.* Secundum Viti Riedlin. *Linear. Medic.*

An. 1697. Menſ. Decembr. Obſ. 10. p. 848. nonnulli in calculis tum renum, tum veſicæ alexipharmacam quandam vim quærunt, ipſeque Riedlinus meminit, ſe in eruditi cujusdam viri ſcriptis olim legiſſe, hos ipſos lapidi bezoardico præferendos eſſe; cujus aſſerti veritas experientia confirmatur. Ex felle quoque tauri lapides rotundos, triquetros, badzahardicos deſumptos annotavit Georgius Hieronymus Velſchius *Obſ. med. Hecatoſt. I. Obſ. 93. pag. 116. ſeq.* ex quibus pulcherrimus & rariſſimus ipſi videbatur durus, nonnihil nigricans, & lapidem orientalem badzahardicum exacte repræſentans, pro quo ab inſciis haberi poterat. Huc pertinent etiam lapides ex aliis animalibus deſumpti v. g. Bulithi, Hippolithi &c. In ſpecie lapidem porcinum ſive Malacenſem, qui in hiſtrice reperitur, lapidem bezoardicum uſum ſuperare credunt nonnulli autores, ſiquidem juxta Paul. Ammann. *Manuduct. ad Mater. medic. Sect. IV. c. 4. §. 5. pag. 182.* Malacenſis lapis, in felle Hiſtricis repertus, ſupra vires bezoar a Garzia æſtimatur. Hic enim, quantum forma ac colore bezoardico inferior eſt, tantum uſu eundem exſuperat. Quicquid enim emolumenti pulvis bezoardicus ſemel duntaxat, id ipſum lapis porcinus plus centies corpori impertitur. Quoties enim liquori alicui per horam ſolummodo immaceratur, toties eandem vim illi communicatum it; idque cum tam exiguo ponderis detrimento, ut vix animadvertas ipſum imminui a frequenti uſu. Liquor autem ipſius licet aliquantulum amaricet, ingratus tamen nequaquam eſt, daturque facillime potui, delicatis corporibus ac teneræ puerorum ætati, convenitque maximopere febri malignæ, morbo comitiali ac variolis, cum ob ſudorem, quem elicit, tum quod malignitati adprime adverſetur, idque fortaſſis meliore cum eventu, quam ullum aliud, iſti operi ſpeciatim dedicatum. vid. Nicol. Tulp. *Obſerv. med.*

med. Lib. IV. cap. 51. p. 383. ſeq. De lapide hiſtricis ejusque virtutibus ſcribit Joannes Curvus Semmedus *Hiſtor. varior. ſimplic. ex India p. 21. ſeq.* Inter virtutes, quas dictus lapis poſſidet, præcipua eſt, quod ſit egregium antidotum contra febres malignas, adeo ut poſt bezoardicum meum nullum aliud ſciam remedium tantæ utilitatis, quam illum lapidem. Signum, quo cognoſcimus, eundem eſſe verum & genuinum, eſt, quando idem immiſſus aquæ per horæ quadrantem, eam reddit extreme amaram; & quo magis aqua ab eo fit amara, tanto excellentior eſt lapis. Exhibentur illius infuſi tria vel quatuor cochlearia pro doſi. Notandum autem, quod aqua, cum qua fit infuſio, debeat eſſe pura, nec infuſum hoc cum alia aqua miſceri. Solent quidem chirurgi & alii imperitiores, per errorem infuſum illud diluere, affuſa nova aqua, ad moderandum ejus calorem & amaritiem, cauſam interſerentes, lapidem ob naturam ſuam calidam, talem temperaturam requirere. At illi miſeri & in luce meridiana cœcutientes homines non advertunt, quod ea proportione, qua deſtruunt amaritiem, debilitent, atque tollant virtutem hujus infuſi. Inde autem fieri ſolet, ut quum ægris vitam ſervare ac vim febris vincere potuiſſent, ſi infuſum hoc purum, integra virtute & amaritie præditum, exhibuiſſent, fruſtratos ſe ſentiant, ægrosque morte captos, dato dilutiore. Non tamen hi tantum errant, qui temperant infuſum lapidis porcini, ad imminuendam amaritiem, & naturam ejus calidam corrigendam; ſed alium inſuper committunt errorem longe pejorem ii, qui, perterriti auſteritate hujus infuſi, ob quam lapis porcinus naturæ eſt calidioris, non audent dare plus, quam unicum cochleare ejus infuſi pro doſi. Non attenduut illi, quod quantitas iſta exigua ſit remedium prorſus inſufficiens ad vincendos morbos adeo exitioſos, quales ſunt febres malignæ. Ego

propterea nunquam propino minus quam quatuor cochlearia hujus infuſi pro doſi; & novi plures, ad quos, febre maligna laborantes vocatus ſum eo tempore, quo jam tum inuncti, & in agone conſtituti fuerunt, quos exhibitis tribus unciis hujus infuſi, a morte liberavi. &c. De calculi equini virtute ita ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 246. p. 438.* Uti ludus humanus non abs re a recentioribus nonnullis ipſi lapidi bezoardico præfertur, ob inſignes virtutes alexipharmacas, reſolventes, diureticas, præcipitantes; ita nullum dubium eſt, lapidem equinum, qui id circo non immerito inſignitus eſt lapis bezoar equinus, viribus pollere iisdem, cujus experimenta data occaſione faciam plura. Et juxta Olai Borrichii verba: ne ſolos calculos Indicarum beſtiarum felleos æſtimemus in alexipharmacis, ſunt, qui bubulo felli in calculos denſato tantundem attribuunt; imo novi, qui in Galliis, maligne febricitantibus bubulum fel, ut eſt, nativum & adhuc liquidum, ad dimidium cochleare ptiſanæ permiſtum cum fructu propinant &c. vid. *Act. Hafn. Vol. V. Obſ. 65. pag. 159.*

§. 8.

Virtus Bezoardica.

Hanc autem virtutem bezoardicam non ſolum in hominum calculis renum & veſicæ, item, folliculi bilis, ſed etiam in aliis partibus, repertis lapidibus obſervarunt, uti de uteri lapidibus refert Michael Angelus Morus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. Obſ. 77. p. 148.* Honeſtiſſima, inquiens, Matrona quadraginta octo annorum per menſes decem de acerbiſſimo in infimo ventre dolore conquerebatur, qui nullis cedebat remediis, licet multa in uſum parata fuerint, ad tactum tumor ſcirrhoſus in utero deprehendebatur, a quo materia acris & loturæ carnis ſimilis deſtillabat. Tandem pleuritide correpta e vivis diſceſſit; diſſecto cadavere uterus lapidibus plenus repertus eſt ad numerum

merum triginta duorum; maximi eorum magnitudinem amygdali æquabant, minimi fabis conſimiles erant, & inter plicaturas & tubulos uteri infarcti & incercarati conſpiciebantur. Aliqui erant coloris flavi, aliqui æruginei, & rupti ad ſimilitudinem cepæ varias habebant tunicas: de iſtis periculo facto in pauperibus ad pondus mediæ drachmæ ſudor promovebatur, unde bezoardici lapides a me nuncupabantur, & tam frequenter in uſum dedi, ut jam paucos illorum conſervem; quare qui mortem cauſati, nunc ſalutem donant. Plura vide ſupra *Cap. IX. de Calcul. Brutor. §.13.*

§. 9.

Contra Venena

Sicuti etiam contra venena lapis bezoar a variis autoribus ſuadere ſolet, ita quoque a quibusdam lapis hiſtricis, vulgo porcinus, contra eadem commendatur; ſiquidem Garcias ab Horto *Lib. I. Aromat. Hiſtor. cap. 46.* ſcribit; Lapidem Malacenſem unice venenis reſiſtentem inveniri tradunt: ſaltem in Pam Regni Malacenſis Provincia. Hactenus ejus facultates experiri mihi non licuit; ſed clariſſimus vir & inſignis Medicus, Dimas Boſque Valentinus illas experimento comprobaſſe in duobus viris, qui venenum hauſerant, mihi affirmavit. Vulgari autem aqua (cum cordialis deeſſet, & periculum eſſet in mora) hunc lapidem aliquam diu maceravit; quam deinde ægris propinavit, qui illam guſtu amarum invenerunt; attamen eorum ſtomachus roboratus eſt, & venenum nihil obfuit. Multum certe huic viro debent omnes Indici Medici, quod hujus lapidis facultates nobis aperuerit. Nam neceſſaria admodum ſunt hac in Regione medicamenta, quæ venenis reſiſtunt, Alexipharmaca Græci appellant. vid. Carol. Cluſii *Exotic. Lib. VII. fol. m. 217. it. 218.* ubi ſequentia *in Annotat.* addit: Anno a Chriſto nato ſexcenteſimo tertio ſupra milleſimum, oſtendebatur mihi lapillus planus,

nus, unguis humani digiti magnitudinem non ſuperans, lævis, coloris ex cinericeo candicantis, ſed parvis quibusdam rubiginoſis maculis aſperſi, quem valde commendabant adverſus venena, imo etiam lapidi bezahars præferebant. Et Ferdinandus Lopez *Hiſtor. Indic. Lib. 1.* meminit lapidis cujusdam, quem non minore facultate præditum eſſe aſſerit, quam ſit lapis bezar, aut Malacenſis, quippe qui mirifice omnibus venenis reſiſtat. Eſt vero lapis magnitudine avellanæ, rarus admodum, ut qui e capite animalis, quod Indi Bulgoldalf appellant, eximatur: Lapidem in felle hiſtricis repertum omnem veneni vim tollere, jam ſupra adduximus. De lapide ſerpentis pileati ad morſum viperarum v. *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 2. pag. 2. ſeq.*

§. 10.

Ad Paſſionem hyſtericam. De uſu lapidis bezoardici ad paſſionem hypochondriacam refert Georgius Hieronymus Velſchius *Obſerv. med. phyſ. Hecatoſt. II. Obſ. 29. p. 17. ſeq.* quod Illuſtriſſimus quidam Comes hypochondriacus infinita propemodum remediorum genera conſilio medicorum in Hiſpaniis & Germania expertus ſæpius atteſtatus ſit, ſe præter lenientia nullo magis unquam levatum, quam lapide badzahardico, cujus drachmam unam ſemis cum radicis Scorzoneræ Hiſpanicæ drachmis tribus permiſcebat.

§. 11.

Errhinum Lapilli in boum folliculo fellis nati, nonſolum icteritiæ medentur, ſed etiam triti betæ ſucco immiſti ob vim ptarmicam a ſalis volatilis abundantia dependentem in errhinis, comitialibus ſubveniunt & viſum mirifice acuunt, juxta Caſpar. Schwenckfeld. *Theriotroph. Sileſ. pag. m. 72.* Et annotante Johanne Schrœdero *Pharmacop. med. chym. Lib. IV. pag. 808.* Lapillus ex bovis veſicula bilis exemptus in pulverem redactus errhinum exhibet egregium. In-

quit

quit etiam Petrus Borellus *Obſervat. Cent. I. Obſ. 5. pag. 10.* Lapis iſte bovinus notus fuit Arabibus & vocatus ab iis Alcheron Haratzim valetque ad calculum, ad epilepſiam, ad venena & ad viſum acuendum. Et Petrus Andreas Matthiolus *in Dioſcorid. Lib. II. cap. 71. fol. m. 308.* de fellis bubuli lapide ejusque viribus ait: Gignitur in bubulo felle lapis quidam nonnunquam ovi magnitudine, croceo colore, facileque friabile; hic, ut plerique perhibent autores, potus veſicæ calculos comminuit. Naribus inditus viſum mirifice acuit, & aquam in oculos fluentem inhibet. Tritus lentis quantitate & betæ ſucco commiſtus & in errhinis naribus attractus, comitialibus ſubvenit. Non deſunt etiam, qui idem magno ſucceſſu ex vino exhibeant potandum felle ſuffuſis.

§. 12.

Lapidem Malacenſem ſive in felle hiſtricis repertum menſes & abortum provocare, ideoque in tali caſu ab eodem eſſe abſtinendum admonet Paulus Ammannus *Manuduct. ad Mater. medic. Sect. III. cap. 4. §. 5. p. 182.* Item in Dyſtokia ſeu partu difficili externe adhibiti calculi humani mentionem facit Thomas Bartholinus *Epiſtol. medic. Cent. III. Epiſt. 28. p. m. 103.* ſcilicet in Muſæo Regis Daniæ Friderici III. calculus fuit, quem in Norwegia mulier per vulvam excrevit, tanta præditus virtute, ut manibus puerperæ detentus, oborto in vola ſudore, potenter fœtum propellat. Tantaque fuit Sereniſſimæ Reginæ clementia, ut non paucis in partus difficultate conſtitutis felici ſucceſſu conceſſerit. *Fœtum Pellit.*

§. 13.

Calculum humanum cryſtallinæ duritie & ſplendore tantaque magnitudine, ut pro ſigillo potuiſſet uſurpari ſe excreviſſe, Salomoni Reiſelio retulit nobiliſſima quædam Virgo de Dünheim, nephritidi valde obnoxia, paulo ante *Pro Sigillo.*

obitum ſuum Anno 1674 ſeſeque eundem pro memoria ſuo tum temporis medico, Johanni Wilhelmo Mogio dediſſe, qui eundem eo fini aſſervavit. vid. *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 29. pag. 53. ſeq.*

§. 14.

Ad orthopnœam. Huic calculi humani uſui medico annectere quoque liceat obſervationem de calculo renum orthopnœam ſolvente, quam Rembertus Dodonæus *Obſervat. medicin. c. 20. pag. m. 50. ſeq.* recenſet: de mercatore quodam, qui etiamnum juvenis orthopnœa correptus fuit. Nullum hic remedii genus intentatum reliquit, ſanguinis detractionem ſæpe admiſit, frequenter purgatus, aquam fontis in agro Leodienſi bibit, ſed nullo ſuccedente fructu. Tandem calculi, in renibus, doloribus ac podagra correptus ab orthopnœa liber factus, decumbere potuit, qui antea quoque aliquot non paucis annis in ſedili ſomnum capere debuerat. Item calculoſi per peſtem curati obſervationem communicat Johannes Ludovicus Hannemannus in Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. II. Obſ. 102. p. 249.* inquiens, cum peſtis in Friſia orientali ante aliquot annos graſſaretur, inter alios puerum calculo graviter laborantem invaſit, qui & periculoſe peſtis vehementia lecto fuit affixus. Cum autem hic a peſte convaluiſſet, ſimul quoque a calculo curatus fuit, & nullum poſthac calculi ſymptoma paſſus eſt.

CAPUT XVI.

De Lithontripticis.

§. 1.

An dentur Lithontriptica. Vidimus hactenus, calculum humanum a variis Autoribus inter lithontriptica ſpecifica referri atque ad calculum tam renum, quam veſicæ comminuendum & expel-

expellendum commendari. Cum vero quæſtio illa, utrum talia dentur medicamenta ſaxifraga ſeu lithontriptica? nondum videatur plane determinata, dum alii talem, calculum diſſolvendi vel diffringendi vim, a calculo humano & aliis medicamentis, ſibi promittant, alii econtra hanc calculi comminutionem, tanquam impoſſibilem negent, nonnulla eorundem argumenta atque verba adducere nobis liceat. Et primo quidem ratione arenæ, ſabuli & parvorum calculorum nonnulli ſtatuunt, quod iſta medicamenta, quæ tales lapides minutos & ſabulum expellunt, ſimul etiam de novo talem materiam arenoſam ex maſſa ſanguinea ad renes & veſicam iterum appellant; Deinde ratione calculorum majorum & duriorum quidam præſupponunt, quod ad lapides duros reſolvendos atque diffringendos absque dubio tam acris medicina requiratur, quæ potius partes calculum continentes, membranas ſcilicet & ſubſtantiam renum ac veſicæ, quam ipſum calculum, diſſolvat, arrodat vel dilaceret. Hanc ſententiam negativam amplectitur etiam Gideon Harveus *Art. curand. morb. expectat. cap. 7. pag. m. 38.* inquiens: quod calculi in veſica & renibus geniti diſſolutio & comminutio intra medicamentorum actionis ſint ſphæram, fides eſt, quæ poſſibilitate cum ſummo Poëſeos figmento æquiparabilis eſt. Qui adamantem oculi pupillo incumbentem mallei vi diffringere ſupponit, faciendi modum vel rationem, qua imaginarie fieri debeant, quidem exprimit; at reducere velle in grumos, ſabulum & pulverem & lapillum durum in parte adeo ſenſili ac veſica, ope ſanguinis hirci, pulverum teſtaceorum, &c. de modo agendi ὑποτύπωσιν, ſive conceptionem acutiſſimi Philoſophi transſcendit; nihiloſecius ſaxifragarum medicinarum vires tanta medici amplectitur fide, ut ultra poſſibilitatem his dietim rem peractam perfricta fronte propalent in illis, qui calculo *Negatur.*

 laborant.

laborant. Porro lapidem in veſica diſſolvere qui profitentur, diffindentium medicamentorum vi, quorum acies in ſtomacho & cæteris viſceribus, quæ longo circuitu trajicere tenentur, prius obtunditur, quam veſicam, actionis vel pugnæ circum appellere poſſunt, ſesquipedalia efferunt verba multis paraſangis hariolos ethnicos ſuperanti. Ibidem etiam annectit Harveus exemplum ex Dureti annotationibus in Hollerium de medico, cujus medicationi nepos vel filius cujusdam principis Condæi lithiaſi ſubjectus amandatus erat, quam iſte, lapidem in veſica paucis diebus diſſolvendo peracturus pollicitus eſt. Prudenter tamen a principe præcautum fuit, ut in puero vilioris proſapiæ eidem morbo ſuccumbente ejus medicamenti periculum fiat, vel ſecundum medicorum adagium, fiat experimentum in vili anima. Primo vel ſecundo die ab aſſumpto illius diſſolvente elixirio, diros paſſus cruciatus animam efflavit; cujus ventriculus diſſecto cadavere corroſus & ulceribus terebratus ſpectabatur. Inquit etiam Wilhelmus Huldericus Waldſchmied *ad Diſſertat. de Superfœtat. falſo prætenſ. B.b.* Notum eſt prudentioribus, quid de vi lithontriptica ſit ſentiendum, adeo ut prorſus mirandum ſit, quod ejusmodi tincturæ & medicamenta per relationes hebdomadarias publico obtrudantur, & puris putisque mendaciis commendentur. Peſſima ſane iſta remediorum nundinatio, qua remedia ſive panchreſta, ſive polychreſta, ſpecifica aut evporiſta ita promiſcũe in publicum laudantur & commendantur, nullo vel temperamentorum vel individuorum habito diſcrimine, res eſt periculoſa & maxime fraudulenta, præſertim cum in hac mercatura non ſolum loculi credulorum, ſed ipſa hominis ſanitas imo vita periclitetur: tantoque magis deteſtanda eſt ævi noſtri hæc conſuetudo, quanto id non apud agyrtas, circumforaneos, aliosque id generis crumeni-

mulgos, ſed apud ipſos quoque medicos invaluit. Ita ſcribit etiam Ido Wolfius *Obſ. Chirurg. med. Lib. I. Obſerv. 47. pag. 153.* Varia equidem a medicis excogitata ſunt remedia, quibus calculum in veſica ſolvere tentarunt; hactenus autem nemo fortaſſis repertus eſt, qui calculum jam factum & ſolidum ita ſolvere ſciverit, ut inſtar mucilaginis vel ſabuli ex urethra prodierit: quod interioris veſicæ tunicæ textura delicatior ſit, quam ut liquidorum corrodentium vim ſuſtineat. Vivebat enim ante aliquot annos Amſtelodami Germanus quidam metallurgiæ & chymiæ ſcientia clarus; gloriabatur ille ſe poſſidere liquorem, quo calculum in veſica diſſolvere poſſit. Sed ex eo hominis levitas vel vanitas judicari poterat, quod ipſe ſibi bis ſecari calculum curaverit. Extra corpus quidem ſpiritus nitri & terebinthinæ, in comminuendis calculis tam veſicæ urinariæ, quam felleæ officium faciunt, nec minus utiles ſunt interius hauſti, ſed tam late non patet eorum virtus aut energia. Juxta verba Auguſtini Thoneri *Obſerv. medicin. Lib. III. de morb. veſic. Obſ. 6. pag. 182.* Diuretica lithontriptica ad veſicam pertingentia, abſterſa materia molliore, ceu ſabuloſa, eam cum lotio exterminant, calculum autem reſiduum aſperum & anguloſum reddunt, majorem dolorem concitantia; quod luculento comprobat exemplo, de juvene quodam Ulmenſi, qui calculum habens in veſica ſat diu eum toleravit citra notabilem dolorem: cum autem cujusdam medici conſilio aqua quadam monachali uti cœpiſſet eamque aliquandiu continuaſſet, indies intenſior dolor illum torſit, ut tandem lithotomiæ ſe ſubjicere ſit coactus, aſtite etiam illo medico. Cum calculus a lithotomo exemptus aſper & inæqualis in circumferentia apparuit, in medio autem perforatus; exin lithotomus ad medicum præſentem converſus, graviter objurgavit, & culpam imputavit, quod miſer ille ad ſectionem admittendam compulſus,

cum alias, ſi ab aqua illa abſtinuiſſet, per complures annos, tolerabili dolore vitam tranſigere, ob calculi lævorem licuiſſet; cum haud levis altercatio inter medicos, utrum calculus veſicæ per lithontriptica qualiacunque ſit curabilis. Etſi proſtant quædam exempla reſtitutorum; tamen Fabricius Hildanus propendens in partem negantem aſſeverare non dubitat, ſe neminem unquam vidiſſe, per interna medicamenta ſanatum, quin tandem, urgente neceſſitate, lithotomiæ ſe commiſerit. Etſi in juvenibus interdum medela per lithontriptica ſuccedat, ſi calculus friabilis, non compactus ac ſolidus, at in corpore ſenili, omnino ἀδύνατον ille cenſet &c. vid. etiam *Caſp. a Reies Elyſ. Jucund. Quæſt. Camp. Qu. 87. p. 1137.*

§. 2.

Alii Autores Hanc ſententiam negativam ratione calculi veſicæ magni & ſolidi defendit etiam Dominicus Panarolus *Pentecoſt. II. Obſ. 2. p. 34.* inquiens: in veſicæ calculo nullus adeſt remedio locus, excepta ſectione, dicant quidquid velint medici, nugæ ſunt, errores & figmenta. Nos inter tantas remediorum farragines nullum invenimus aptum, quod huic morbo opituletur. Poterit vero, ſi arena friabilis fuerit, aliquo modo in unum compacta, ut non ſit lapis, diſſolvi, & hinc oritur, quod lapides veſicæ attritos vi alicujus medicamenti decantent. Sed cum jam lapis formatus ſtabulatur in veſica, deſperatus morbus eſt, niſi ad ſectionem venias. Renum vero calculo adeſt remedium ad comminuendum & frangendum illum. Nos oleum petroleum naturale, non artificiale, externe ſupra renes unctum ſummopere laudamus. Experiantur medici, maximum enim remedium habebunt. Veſicæ calculum medicamentis atteri poſſe, variorum medicorum autoritate negat etiam Caſpar a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Qu. 87. §. 15. p. m. 1137.* Ad quæſtionem an ad calcu-

lum

lum renum juvent medicamenta lithontriptica? reſpondet Johannes Jacobus Waldſchmidt *Prax. Medicin. ration. Caſ. 43. p. m. 123. ſeq.* juvant, non quatenus frangunt. Neque juvat, quod calculus in certo aliquo menſtruo poſſit reſolvi: Medicamentum enim non defertur ad renes, ſalva manente vi calculum comminuendi, ſed primarius curationis ſcopus eſt dolorem lenire &c. Medicamenta lithontriptica præter nomen nihil realitatis in ſe continent, modo non λιθοποιέτικα evadant, ait Georgius Dethardingius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 31. pag. 46.* Inquit etiam Robertus Boyle (uti ex eodem allegat Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Mirac. Mortuor. Lib. III. Tit. 3. §. 73. p. 1109.*) cum inciderem aliquando in calculos e veſicis humanis exſectos, eorum textura adeo erat compacta, ut non poſſem menſtruis corroſivis ſenſibilem ullam in eorum uno ſolutionem efficere, quantumvis ad promovendam liquoris operationem partem ipſius in pulverem redegiſſem. Cogitent id Thraſones, qui quemlibet renum & veſicæ calculum medicamentis ſuis arcanis frangere aut reſolvere gloriantur. Item Stephanus Blancardus *Inſtitut. medic. cap. 14. Oper. Tom. I. pag. 522.* ad quæſtionem, num dentur ſaxifraga, quibus calculi in corpore humano poſſent frangi? reſpondet, ſe in ea eſſe opinione, ejusmodi medicamenta non eſſe inventa, neque unquam inveniri. Nam ſi conſtent ex particulis acribus, æque afficient alias partes, quam ipſum calculum. Non nego, extra corpus poſſe ſolvi in fluidam materiam, verum in veſica & renibus iſta ſolutio non fiet, neque exempla proſtant. Novi ſatis talia dari, quibus urina valde præcipitatur, ſed illa calculo confringendo & atterendo non valent. Hoc facile concederem, ut calculi cauſa remota, calculi accretio etiam tolleretur, atque ſic ſenſim a præterfluente urina atteri poſſe, & uti eſt in proverbio.

Gutta

Gutta cavat lapidem, non vi ſed ſæpe cadendo,
Verum ut illud efficiatur, multum temporis inſumeretur. Inſuper petrificatio illa ita impediri non poteſt, ſi vel ſanguis in ſummo gradu non eſſet culpandus, tamen ſemper adſunt quædam particulæ ſalinæ, quæ ſuperficieculis ſuis poſſunt calculo adhærere. Omnia ergo ſunt incaſſum tentata, quæ calculo frangendo tentantur: abſolute itaque nego, dari λιθοντρίπτικα ſeu calculum frangentia, quantum mihi notum.

§. 3.

Item Calculum veſicæ remediis ore ſumptis non poſſe diſſolvi, defendit etiam Jacobus Primeroſius *de Errorib. Vulg. in Medicin. Lib. IV. cap. 41. pag. m. 470. ſeq.* inter alia inquiens, ſi difficile admodum renum lapis comminuitur, multo difficilius veſicæ calculus, cum remotior ſit & renali durior, tum periculum adeſt, ne validiora ejusmodi remedia partes alias lædant, per quas tranſeunt. Quin, etiamſi confringi poſſe lapidem remediorum uſu concederemus, niſi ita comminuatur, ut in pulverem ferme abeat, aut in ea fruſtula, quæ commode excerni poſſint, nihil aliud conſequemur, niſi quod ex uno lapide plures eosque angulares remedia fecerunt, veſicæ cruciatum majorem inferentes, quique etiam forſitan paulatim additione mucoſæ materiæ augebuntur. Non eſt igitur credendum iis, qui remedia ad id præſcribunt. Refert etiam Duretus in Hollerium, ſe vidiſſe ejusmodi remediis exulceratam veſicam & mortem ſequutam, nequaquam detrito calculo. Quidam, ut idem narrat, veritus ſectionis crudelitatem, quorundam conſilio bibit ſuccum limonum per menſes tres, interim aphthis ab eo ſucco in ventriculo excitatis. Neceſſe eſt enim, acria medicamenta partes, per quas tranſeunt, vi ea, qua pollent afficere & exulcerare. Refert Sanctorius, quendam medicum Italum,

dum

dum ad frangendum veſicæ calculum uteretur Electuario de Vitro, loco comminutionis calculi, lethalem induxiſſe dyſenteriam. Narrat quoque alium quendam, qui valentiſſimis diureticis uſus erat ex conſilio cujusdam circulatoris, quæ cum pituitam plurimam abſtergendo vacuaſſent, ægerque melius habere videretur, calculus tamen factus aſperior cœpit veſicam acrius pungere, & facto ulcere eoque gangrænoſo, ſicut ſecto cadavere apparuit, miſerrime periit ægrotans. Sic Philippus Guibertus *Medic. officioſ. Libr. de tuend. Valetud. Cap. II. pag. m. 578. ſeq.* ſcribit: Nonnulli circulatores & empirici de hirci ſanguine jam pridem deblaterant, eum lapidem in veſica exiſtentem confringere; nonnulli etiam cervi & vulpis ſanguinem veſicæ calculum conterendi vi pollere; Ego vero lectorem rogatum velim, ne tam turpiter decipi circumvenirique ſe patiatur, neve credat, ulla eſſe in toto terrarum ambitu præſidia, quibus hujusmodi inſit facultas. Ex fruſtratis empiricorum experimentis opinionis noſtræ fides eluceſcit. Sique materia hujusmodi, qualis eſt prædictorum animalium ſanguis, ea proprietate ornata eſſet, calculoſis male conſultum eſſet operationis chirurgicæ tormento ſeſe ſubdere non citra manifeſtum vitæ periculum. Aſt in hoc vera certaque conſiſtit doctrina, nullum eſſe præſidium ſumptum admotumve lapidi in veſica frangendo ſatis validum &c. Hujus Guiberti verba Gallica allegat etiam Michael Bernhardus Valentini *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 167. pag. 379.* priant le lecteur de croire, qu'il eſt tres vray, qu'il n'y a remede aucun en la nature, qui puiſſe caſſer les pierres des reins ou de la veſſie, & que quiconque ſe vente d'avoir quelque remede ou ſecret pour cela, c'eſt un charlatan & affronteur, c'eſt une folie de croire, qu'il y en ait.

§. 4.

Petro. Inquit etiam Joſephus de la Charriere *au Traité des Operat. de Chirurg. cap. 18. p.m. 119.* Les Charlatans tachent par leurs impoſtures de perſuader, qu'ils ont des ſecrets infaillibles pour fondre la pierre dans les reins & dans veſſie: Ces douces eſperances flatent d'abord agreablement l'eſprit de ceux qui en ſont incommodés; mais lorsqu'on leur fait voir par experience, qu'outre que les acides les plus violens & les plus cauſtiques, comme l'eau forte & l'eſprit de nitre ne la ſçauroient diſſoudre, on leur fait encore connoître, que quand même ces impoſteurs auroient des remedes capables de produire un tel effet ſans alterer aucune partie auparavant qu'ils euſſent paſſé dans le ventricule, dans les inteſtins, dans les reſervoirs du chile, dans le cœur, dans les poulmons, & dans les voyes les plus inſenſibles, où ils ſe mélent avec le ſang & toutes les humeurs; ils perdroient ſans doute leur qualité & leur vertu diſſolvante. Il n'y a donc que l'operation ſeule, qui puiſſe nous tirer d'une ſi cruelle maladie, aprés qu'on a mis en uſage les remedes generaux &c. Et juxta verba Petri Dionis *dans le Cours d'Operations de Chirurgie Demonſtrat. III. p. 140. ſeq.* Si par la ſonde l'on eſt aſſuré, qu'il y ait une ou pluſieurs pierre dans la veſſie, le ſeul moyen de les tirer c'eſt par l'operation; c'eſt un abus de croire, qu'il y ait des remedes capables de diſſoudre un calcul dans les reins ou dans la veſſie. Tous ceux, qui ſe ſont vantez d'en avoir trouvez, ſont des charlatans & des impoſteurs, qui profitans de l'etat pitoyable du malade & de la frayeur, qu'il a d'une telle operation, luy promettent plus, qu'ils ne peuvent tenir. Je ne blame point un malade, qui cherche à s'épargner de la douleur, il n'y a rien de ſi naturel, que de s'abandonner entre les mains de ceux, qui nous font entrevoir une guerison ſure & facile; mais

ces

ces ſortes de gens ſont d'autant plus dignes de punition que leurs promeſſes choquent les bon ſens. Il n'y apoint de diſſolvant aſſez actif, quel qu'il puiſſe être, pour fondre une pierre hors de la veſſie; à plus forte raiſon eſt-il impoſſible d'en trouver, qui le faſſent dans la veſſie même, aprés avoir paſſé par tous les differens chemins, qu'il doit tenir pour y parvenir, étant pris par la bouche. S'il étoit aſſez puiſſant pour un tel effet, que ne feroit-il point ſur l'eſtomach, ſur les inteſtins, ſur les venes lactées, ſur le canal thorachique, dans le cœur, dans les poumons, dans les arteres, dans les reins & dans les ureteres; toutes parties qu'il faut qu'il touche avant que de venir à la veſſie, ou eſt la pierre, qu'ils pretendent diſſoudre: & s'ils veulent le ſeringuer par l'uretre, l'urine n'emperchea-t-elle pas, qu'il n'agiſſe, ou ne bleſſera-t-il pas plûtôt la veſſie, qu'il ne rongera la pierre. C'eſt donc une foible reſource que d'eſperer la gueriſon par des remedes, quand la pierre eſt une fois formée, il n'y a que l'operation, qui la puiſſe tirer de la veſſie &c. Calculus veſicæ ingenioſiſſimorum quoque medicorum conſenſu in quibusvis etiam perſonis inſanabilis pronuntiatur, nec immerito, ubi jam calculi nomen meruit, & major, quam ut integer excerni valeat, evaſit, morbus iſte ſanari neſcius dicitur, juxta verba Roberti Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experim. Exercit. III. §. 17. pag. 158.* Poſtquam Matthias Unzerus *de Nephritid. Lib. I. cap. 18. ſeq. p. 78. ſeq.* quæſtionem, an nimirum dentur medicamenta calculum concretum diſſolventia? prolixe tractans utriusque ſententiæ, tam affirmativæ, quam negativæ rationes adduxerat, tandem *cap. 21. p. 93.* hanc ſuam opinionem annectit: In controverſia hacce varie a nobis hactenus agitata parique rationum ac autoritatum pondere utrinque firmata ac ſtabilita noſtra ſententia hæc eſt, nimirum, calculum inveteratum ac firmiter compactum,

ſeu in ſiliceam duritiem concretum, impoſſibile eſſe, ullis medicamentis comminui, liquari ac reſolvi; Econtra vero mollem, rarum, ſpongioſum, leviterque inſtar coaguli cujusdam condenſatum nulla cum difficultate ſolvi, conteri, disrumpi ac e corpore expelli poſſe.

§. 5.

Alii diſtinguunt. Hanc inter calculos molles vel ſabuloſos, & duros ſeu ſiliceos, item inter calculos renum & veſicæ differentiam plerique etiam ampleċtuntur Autores, unde inquit Daniel Sennertus *Pract. Medicin. Lib. III. Part. 8. Sect. 1. cap. 2. p. 847.* etſi Mercatus ſcribat, ſe multis annis experimento fidiſſimo obſervaſſe, & a veteribus & probatiſſimis ſui temporis medicis obſervatum accepiſſe, nullum eorum auxiliorum, quæ ad calculum frangendum commendantur, adminiculo ſanitati fuiſſe reſtitutum, & certum ſit, calculum veſicæ longe difficilius comminui & frangi, quam calculum renum, & eos, qui in magnam duritiem concreverunt, vix ullo modo comminui poſſe: tamen qui ita duri non ſunt, medicamentis quandoque reſolvi, ut luti vel arenularum forma excernantur, experientia teſtatur. Inquit etiam Caſpar a Reies *Elyſ. jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. 87. pag. m. 1134. ſq.* ſunt, qui non quemcunque calculum atteri & frangi poſſe ſtatuunt, ſed illum tantum, qui ex renibus initium ſumſerit, & inde in veſicam prolapſus eſt. Quod confirmat etiam Johannes Rudolphus Camerarius *Memorabil. Medicin. Cent. VIII. n. 77. pag. m. 610.* inquiens, illum lapidem, qui primum rudimentum in renibus, augmentum vero in veſica accepit, per aliam atque aliam cruſtarum & veluti laminarum accretionem ſubinde factam, medicamentis atteri & confringi poſſe vidimus in collega olim noſtro D. Wilhelmo Laurenbergio, Medico & Mathematico incomparabili &c. Verum, pergit Reieſius *l. a.* in probabiliore opinione, quæ calculorum generationem in

veſica

veſica citra renum aliquod rudimentum concedit, videtur aliquam dari poſſe diverſitatem in calculorum & lapidum duritie, qui in renibus & in veſica generantur; major enim eſt durities illorum, qui in veſica efformari incipiunt, quam illorum, qui a renibus deſcendunt. Ita etiam ſcribit Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. med. phyſic. Lib. I. Obſ. 13. pag. 28.* frequens eſt in medicorum ſchola de univerſalibus & ſpecificis, deque lithontripticis declamatio, ſed quando ad Praxin venitur, illæ tam magnæ deſtinationes in fumum abeunt. In lithontripticis plurimum ſe vidiſſe, omnes fere ſectæ opinantur, & quod ob afflictionis moleſtiam quæſtuoſa ſoleat eſſe hæc curatio, nihil puri oſtentatione venditatur. Et vero, ſi absque partium ſtudio de iis decernendum eſt, accurate velim diſtingui, quæ renum, quæ veſicæ calculo deſtinata ſunt; cum enim illa viribus utcunque integris ad renes appellant, magis idonea eſſe probabile eſt, quam altera iſta: accedit, quod in renibus rudimenta utplurimum calculi, in veſica calculus isque multis partibus durior & compactior, generentur. Exiſtimem ſane lapillorum renalium moles, cum ſæpe ex pluribus aliis minoribus, iisque per exilem contactum conglutinatis factæ ſint, molliculorum medicaminum & aquarum copioſis diluviis ex facili diſſolvi poſſe, imo quotidie thermalibus diſſolvi ſubinde renum ille & veſicæ ſolet. Quis vero duratum bene calculum inque cruſtulatas ſuperficies ordine compactum, qualis eſſe veſicæ ille ſolet, alio quam corroſivo medicamine eoque acido aut mechanica ratione ſolvi poſſe credat? Præter acida quidem nullus hactenus repertus eſt liquor, qui texturam alcalini concreti diruere ex æquo poſſit. Vetat tamen ille per tot ambages tranſitus humorumque alienorum textura, ut quid ſimile in corpore noſtro, tum maxime veſica fieri poſſe credamus. De ſolutione calculi humani in ſpiritu

acido tanquam ſpecifico, multa quidem ab aliis, multa a Poloniæ Regis Medico D. a Berniz promitti video; ſed cum acrimoniam efferveſcentia ponere acidum ſoleat, tuto quidem eum exhiberi poſſe credo, ſed utilem fore non credo, quod jam ante ad ſatietatem imbibitus fractusque ſpiritus novæ efferveſcentiæ aut ſolutioni operam locare nequeat. Secundum verba Nicolai Tulpii *Obſerv. Medic. Lib. IV. cap. 36. p. 351.* nihil medicis frequentius in ore, quam medicamentum calculos frangens, at vide ſis! arenoſos, ac molles duntaxat intelligas: ſilices quippe ut vix comminuunt mallei, ſic profecto multo minus acris aliquis humor, qui fortaſſis aptior foret exedendis tenuibus veſicæ tunicis, quam prædúris lapidibus. At excogitavit forte aliquis remedium, quod ſine aliarum partium jactura, ingenita proprietate, ſolos calculos diſſolutum ibit. Cujusmodi memini aliquando a locuplete mercatore, multis florenorum millibus obnixe quidem quæſitum, at hactenus a nullo mortalium inventum. Poſtquam etiam Baldaſſar Timæus a Güldenklee *Caſ. medicin. Lib. III. Caſ. 39. p. 175. ſeq.* in pueri decem circiter annorum veſica calculum raræ magnitudinis & ovi pavonii quantitatem fere adæquantem, aſperum & undique acuminatum, adeoque durum invenit, ut cultello vel lima vix radi potuerit, quique nullo medicaminum uſu comminui potuit, exinde duriores & grandiores calculos non facile medicamentis tolli, ſed exciſione opus eſſe liquido conſtare dixit. De molliorum quoque calculorum per medicamenta lithontriptica diſſolutione dubitare videtur Johannes Conradus Barchuſen *Pyroſoph. Lib. V. p. 361.* inquiens: cum non admodum durum calculum offenderim, animum ſubire cogitationes cœperunt, ſi'n ullo negotio diſſolvendus eſſet. Periclitatus itaque multifariam, invenire tamen alium ejus deſtructorem non potui, niſi violentum acidum, & ejus, ſi ex toto diſſolvendus, notabilem

bilem quantitatem requiri, quam autem nec per os, nec per injectionem in veſicam ſine ſummo vitæ periculo cuipiam porrigere fas eſt. Calculus igitur, per meatum urinarium egredi neſcius, deridet cuncta ſpecioſe adinventa lithontriptica. Potius accretionem ejus ſibi ipſis promovent affatim utentes terreis, ſalinis, oleoſisque remediis, ſint ex oculis cancrorum vel ex ipſo Ludo Paracelſico confecta. Nec Thee, Coffe vel ſimilis potus calidus quidquam juris in illum habet; ad ſummum flocci habet omnia, præter chirurgicam exemptionem &c.

§. 6.

Econtra vero alii autores calculum medicamentis frangi poſſe ſtatuunt e. g. Michael Ettmüllerus *Oper. Med. Tom. II. fol. m. 708. ſeq.* hanc ſententiam defendit, tribusque difficultatibus, quæ ab aliis pro ſolutionis calculi impoſſibilitate adduci ſolent, prolixe reſpondet, inquiens: de lithontripticorum ſeu calculos confringentium remediorum, exiſtentia multi dubitant, ſpeciatim Sylvaticus & Panarolus, aliique magni nominis medici, ſed ordinario chymiæ ignari, ſane rident eos, qui dicunt, calculum in corpore humano, ſimul compactum iterum poſſe diſſolvi, vel in minores particulas diffringi. Et ſane res non caret ſcrupulo, utut ſimpliciter non neganda, licet rara ſint ſublimiora talia remedia, quæ revera calculum confringunt. Difficultatis ratio prima, ob quam impoſſibilis videtur calculi ſolutio, eſt: quia eſt concretum terreo-ſalſum, ex duobus ſalibus, alcali & acido volatilibus, firmiſſimo tamen nexu junctis, oriundum, intercedente ſubſtantia quadam terrea firmiter coagulante: adeoque nec acida nec alcalia eum diſſolvere poſſunt, quia calculus ex utrisque eſt ſaturatus, & tanquam ex ambobus compoſitus; unde difficile videtur reperiri tale menſtruum, quod concretum tale ſalſum adeo firmum, æqualiter de acido & urinoſo participans, *Alii Affirmant.*

in

in corpore comminuat & diſſolvat, utpote cum talia concreta ſe æqualiter miſceant menſtruis acidis & urinoſis, neque tamen ab ullo poſſint perfecte diſſolvi. Neceſſe ergo eſt, ut remedium calculum frangens ita ſit conſtitutum, ut fere de utroque, acido nempe & alcali participet, ut ita concretum tale ſalſum penetrare, & iſtud amica ſua vi denuo blande, & ita quaſi liquefaciendo, reſolvere poſſit. Secunda difficultas eſt, quod poſito, talia remedia & menſtrua reperiri, quæ extra corpus ſolvunt calculum; hæc ipſa tamen longo iſto tranſitu, donec ad calculum perveniant, in vi ſua lithontriptica non parum infringantur. Unde errant, qui calculos humanos excretos certis & variis liquoribus injiciunt, expectaturi, quis liquor citius & felicius calculum diſſolvat, ut poſtmodum eodem liquore & intus propinato eundem effectum in renibus & veſica obtineant. Hæc enim præconcepta hypotheſis eſt removenda, quia eſt falſiſſima. Nam longe aliud eſt diſſolvere calculum extra corpus, quam in corpore. Et utut talia extra corpus in calculum operentur, in corpore tamen fiunt languida, quia talia lithontriptica in primis viis, in ſtomacho & inteſtinis, bilis & ſucci pancreatici ſubſalſi vel acidi attactu, ut & intermediis locis, ac denique in renibus ab urina inſigniter alterantur, neceſſario alteram novam acquirunt naturam ſeu texturam, indeque alterata & imbecillia vim diffringendi calculum omnino exuunt, quod ipſum interdum veriſſimum eſt, experientia comprobante. Ut taceam, non ejusdem duritiei & compaginis in omnibus nephriticis videri calculos, quin ſubinde multum variant duritie, firmitate, ac ſimilibus plus minus proprietatibus. Ceterum expertum eſt ex omnibus vulgaribus menſtruis hactenus tentatis, ſpiritum nitri maximam habere vim in calculo, vel comminuendo, vel friabilem reddendo & quaſi mollificando. Ergo remedium illud

lithon-

lithontripticum neceſſe ſit tale, quod iſta inſigni alteratione in primis viis intactum adhuc maximam partem integrum tranſeat ad vias urinarias ibidemque calculum concretum imminuat. Tertia difficultas eſt, quod remedium lithontripticum, quod calculum, utpote concretum durum diſſolvere valet, non debeat eſſe corroſivum, ſed quod citra ſtomachi, inteſtinorum & aliorum locorum noxam poſſit propinari; cum hæ ipſæ partes ſint longe molliores, & facilius diſſolvantur, quam concretum calculi, parteſque attritu calculi antea plus minus læſæ ab acrioribus remediis admodum lædantur indeque dolores aliaque pathemata exaſperentur. Verum hoc ingenii phantaſma eſt nullius momenti, cum nitatur falſa hypotheſi, quaſi calculus non eſſet diſſolubilis, niſi per corroſionem, adeoque unum ex menſtruorum requiſitis ſit, ut corroſivitate gaudeant. Male autem ad corroſivitatem in calculum frangentibus reſpicitur, ſed in menſtruis diſſolventibus conſideranda proportio formalis, quæ eſt inter particulas menſtrui ſolventis, & particulas ac poros corporis ſolvendi, ut hinc utriusque corporis particulæ mutuo nexu ſe invicem jungere valeant; ſi enim particulæ iſtæ menſtrui ita ſunt figuratæ ſeu conformatæ, ut exacte reſpondeant porulis corporis, prompta & cita fit ſolutio; ſin vero hæc duo nullo modo conveniunt, aut nullam habent convenientiam aut proportionem requiſitam, fruſtra eſt ſpes ſolutionis &c. Ex his patet, omnino dari menſtrua, quæ intactis ſtomacho & inteſtinis calculum in renibus attingunt & eundem diſſolvunt &c. vid. etiam Theophil. Bonet. *Polyalth. Tom. II. Lib. 4. cap. 59. fol. m. 1052. ſeq.* quo loco Ettmülleri verba contraxit tandemque ex ejusdem mente concludit, non eſſe impoſſibile frangere calculum in corpore humano per remedia oretenus aſſumpta, nec opus eſſe corroſivis, modo appropriata ſint ad

coaguli calculoſi texturam ſubtiliter penetrandam: cujus etiam aliquot obſervata fuerunt experimenta, adeo ut obſervatum fuerit, etiam ſal fimi columbini bene præparatum aliquando diſſolviſſe calculum & fruſtillatim eumdem ejeciſſe. Sed talia revera lithontriptica ſunt perquam rara & pauciſſimis cognita. vid. etiam Robert Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. III. §. 20. ſeq. pag. 161. ſeq.*

§. 7.

Hanc calculorum cyſticorum per medicamenta poſſibilem comminutionem defendit etiam Roſinus Lentilius *Miſcellan. medic. pract. Tom. I. pag. 181. ſeq.* ubi dicit, medicamenta nephritica eſſe differentia, & quidem alia lubricantia, alia pellentia diuretica, alia calculum comminuentia & frangentia, quæ inter ſe non ſint confundenda; deinde in magnis doloribus nephriticis & ubi in renibus calculi coagulati judicantur, minime medicamenta lithontriptica & calculum comminuentia eſſe adhibenda, cum in tali caſu magnus calculus e renibus in ureterum anguſtias impulſus ibique incarceratus per eorum vaſorum membranaceorum extenſionem dolores augeat atque urinæ excretionem impediat. Hinc in ejusmodi caſu potius lubricantia & vias dilatantia cum lenientibus eſſe adhibenda. Unde apparet non omnia medicamenta nephritica eſſe pellentia. Deinde Lentilius materiam peccantem calculosque cauſantem per medicamenta diuretica ad renes, ureteres atque veſicam appelli, ſicque, ſecundum quorundam opinionem, novam calculi materiam iisdem partibus adduci negat. Porro etiam Blancardo & aliis, qui ad calculi veſicæ comminutionem medicamenta acria & corroſiva requiri præſupponunt, idem Autor reſpondet, dari etiam menſtrua inſipida, chymicis non incognita, quæ ad res admodum duras reſolvendas ſint idonea;

nea; quibus etiam fermentum ſeu menſtruum ventriculi canini, oſſa comminuens & conſumens annumerat. Qualia menſtrua inſipida minimeque corroſiva etiam ad veras tincturas coralliorum, auri, ſeu aura potabilia cum veris chymicis requirit; quippe quæ menſtrua ſine ſtrepitu metalla ſolvunt. Idem Lentilius etiam *in Paralelism. ad An. 6. & 7. Dec. I. M. N. C. collect. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 135.* ita ſcribit: Vanum eſſe, quod medicamenta calculum veſicæ comminuentia oporteat eſſe corroſiva, evincunt pennatorum ventriculi, ſilices deglutitos, ovorum teſtis materiam præbituros, comminuentium. Licet enim in his liquorem gaſtricum, quam in quadrupedibus aut hominibus, acriorem fore conceſſerim, tam acris tamen non eſt, ut corroſivus, & virtute aquæ chryſulcæ lapides comminuere, dici mereatur. Obſervavimus aliquando puellulos in infantia calculoſos, ſucceſſu temporis ſua ſponte liberos evaſiſſe absque medicamentorum ulla adhibitione, ſine dubio, quod correctis in corpore humoribus compages calculoſa per ſe reſoluta fuerit. Ad quæſtionem, an negandum ſit, aliquid in rerum natura exiſtere, quod lapidem in veſica frangere poſſit? Nicolaus Chesneau *Obſervat: Lib. III. cap. 10. p. 346.* reſpondet: Minime, cuilibet enim affectui non denegavit Deus omnipotens ſuam antidotum; licet interdum diu maneat incognita, quæ vel caſu, vel ſtudio & labore inventa prodit in lucem. Inter doctiſſimos autores, qui ſine ulla diſtinctione loci calculorum, veſicæ calculum medicamentis atteri & expelli poſſe affirmare non dubitant, fuit etiam Monardes, qui licet primum perſvaſum ſemper habuerit, veſicæ calculum per ſolam extractionem curari poſſe, poſtea certa quadam planta indica, Cacho, non ſolum renum ſed veſicæ etiam calculum comminui ſcribit: vid. Caſp. a Reies *Elyſ. Jucund. Quæſt. Camp. Quæſt. 87. n. 12. p. m. 1135.* ubi ita pergit: quod

de vi hujus plantæ adverſus calculos refert Monardes, videtur confirmari poſſe ex alia, cujus mentionem facit Petrus Texera in Relat. Regum Perſiæ, qui ſcribit, apud Malecenſes in plateis & præcipue in oris Choromandel, herbam quandam naſci, cujus radices ore manſæ, ita ut illius ſucco dentes proluantur & madeſcant, talem vim obtineant, ut quodvis ſaxum, etſi duriſſimum, intra os ſumptum, in pulverem diſſolvat, tanta facilitate, ut nullo modo dentes aut dolore afficiantur, aut ullam moleſtiam ſentiant. Quæ ſi vera ſunt, pergit Reieſius, negare haud poſſumus, in rerum natura remedia extare, quæ lapides frangere & atterere valeant; licet nobis facile non ſit, illa pro neceſſitate obtinere, cum ex exoticis ſint & peregrinis, non enim omnia omnibus in locis produxit natura, ſed certa certis dicavit, & pulrima alia ſinu ſuo adhuc reſervata habere nulli dubium eſſe poterit, quæ ſi nobis nota fuiſſent, inſignem illius majeſtatem ex pulcherrimis rerum viribus utique admirandi novas aſſidue occaſiones haberemus.

§. 8.

Stiſſerus. Prolixe etiam de lithontripticis ſeu calculum frangentibus medicamentis agit Johannes Andreas Stiſſerus *Actor. Laborator. Chemic. Specim. II. cap. 6. E. 2. b. ſeq.* e quo ſequentia adducere liceat. Calculum frangentia remedia inquit Stiſſerus, an reperiantur, valde inter medicos controvertitur, cum alii calculos a medicamentis per os aſſumptis diſſolvi poſſe utique credant, alii vero obſtinate contradicant. Ab utraque autem parte error committitur; dum illi remediis ſuis nimium fidunt, hi vero ea, quæ non viderunt hactenus, abſurde ſatis negant. Neuter tamen horum de textura calculorum ſollicitus eſt, quæ cum calculi cauſa varia ſit, valde quoque differt. Sic alii calculi arenoſi & ſcabri ſunt, alii politi ac terſi, alii gypſei & friabiles, alii, cum eminguntur, molles obſervantur, paulo

poſt

poſt vero, aëris imprimis ambitu, mox indurantur. Novi quondam doctiſſimum virum, calculo perſæpe laborantem, cujus calculos haud infrequenter per urinam excretos adeo molles ſub principio deprehendi, ut argillæ inſtar mollioris tractari poſſent & figura illorum pro lubitu immutari: poſt unum autem alterumve diem lapidis duritie perfecta gaudebant. Mirari autem hæc deſinent, qui in lapidicinis ſimile quid fieri toto die cum magno Philoſopho Bacone de Verulamio obſervant, qui cæmenta quædam tellurem edere aſſerit admodum mollia, quæ ſol radiis ſuis obvia, marmoris inſtar obduret. Et de tractu Sommerſettenſi refert, quod lapidicinas vulgares haberet, ubi ſaxa mollia in quamlibet craſſitiem efformari poſſent, quæ ſtructuræ ædificiorum adhibita indureſcerent (vid. Bac. de Verul. *Hiſtor. natur. Cent. IX.*) Haud abſimile quid in quibusdam Ducatus Brunſvicenſis lapidicinis ſpectare mihi licuit. Quæ cum in terræ interioribus ita fieri obſerventur, ecquis contendet, lapides in veſica aut renibus adhuc hoſpitantes, cum medicamine eductis illis, vel naturæ adminiculo rejectis, & aëris contactum aliquandiu expertis, eadem gaudere duritie? Cum tamen quævis in corpore microcoſmico hoſpitantia fluidiora & molliora ſpectentur, educta vero aerisque contactum paſſa, craſſa ac viſcida minusque fluida & dura interdum reperiri, quotidiana loquatur experientia. Hinc ad diſſolutionem & comminutionem calculi nondum educti & mollioris adhuc, iis opus eſſe remediis, quibus jam eductus & magis induratus diſſolvitur, vix concipere poſſum. Quamvis tamen unum præ altero in corpore duriorem exiſtere & difficillimæ diſſolutionis reperiri non negem, firmiter tamen credam, dari medicamenta lithontriptica, ſeu calculum frangentia, cum mechanica non ſemel docuerit, ſilices & lapides, veſicæ calculis longe duriores diſſolutos fuiſſe.

Quod binis exemplis de ſilicibus, mediante menſtruo quodam ſolutis & emollitis dictus Autor probat, atque a ſilicum duriorum ſolutione poſſibili ad renum & veſicæ calculorum per medicamenta inſtitutam comminutionem concludit, cum, inquiens, duriſſimum ſilicis corpus, quod mineralium liquoribus cauſticis & maxime corroſivis neutiquam cedit, ſed ab illis intactum permanet, cum a liquore minus forſan corroſivo reſolvi queat, ecquis in dubium vocabit, renum & veſicæ calculos, textura ſua ſilicibus neutiquam ſimiles, a medicamentis comminui poſſe? Quæ cur corroſiva debeant eſſe, hactenus non video, cum corpora etiam duriſſima a liquoribus non corroſivis mirum in modum patiantur. Ita ferrum a ſuccis vegetabilium minus corroſivis non modo diſſolvitur, verum etiam ab athmoſphæra ambiente, humidiore præprimis, in rubiginem abit. Imo raſura ejus repetitis aquæ pluviæ vel nivis affuſionibus & exhalationibus in pulverem friabilem ſeu crocum redigi poteſt. Plumbum a vapore aceti levi acore ſaltem imbuto calcinatur & in ceruſſam vergit. Aurum perfectiſſimum naturæ opus & compactiſſimum metallum, aquæ forti, oleo cauſtico vitrioli, aliisque corroſivis neutiquam cedens, a vapore plumbi calcinatur, ut in pulverem friabilem abeat; quem autem vaporem ſi corroſivum aliquis judicare velit, quæſo conſideret, & ſine corroſivo aurum quoque pati poſſe, docente hoc calcinatione ejus ſeu potius cæmentatione auri cum fruſtulis cornu cervi adornata, qua auri laminæ ita calcinantur, ut in pulverem redigi queant. Animalium partes duriſſimæ, oſſa & cornua, ſola ſaltem coctione cum aqua, quid patiantur, opifices toto die vident & probe norunt. Neque pharmacopolarum famulis ignotum eſt, quod cornu cervi ſatis durum ſolo ſaltem vapore ita emolliri & calcinari queat, ut in pulverem ſine labore redigi poſſit. Vanum

proinde

proinde exiſtimo, calculorum reſolvendi & comminuendi ſpem in corroſivis unice collocare, cum ſine his tamen res non ſemel feliciter ſucceſſerit, clariſſimorum virorum teſtimonio. Poſtea allegatus Autor non modo millepedes, (in quo toto inſecto nihil cauſtici deprehendi, ſed lympha quadam nitroſa illud ſaltem turgere examine probat) verum etiam alia inſecta, v. g. ſcarabæos, lumbricos, formicas, &c. commendat. Quid autem cochiniliis tinctorum ſimpliciori modo ſaltem paratis in calculo renum & veſicæ haud ſemel effecerit, fuſius ibidem recitare ſuperſedet, ne bilem illis moveat, qui omnia, quæ ignorarunt hactenus & non viderunt, ſtatim pertinaciter negant, iisque contradicunt: Quaſi vero boni illi viri omnem ſapientiam & mixtorum naturalium reſolvendi peritiam abſorpſiſſent, quam tamen vix delibarunt. Credant autem, pergit Stiſſerus, ſe in arte hac plane hoſpites eſſe, quam ex lectione unius alteriusve libelli obiter ſaltem intelligunt, neutiquam tamen ex manuali operatione didicerunt, ſine qua tamen ars nulla plane, ſed mutila ac manca. Multa profecto hactenus inventa extant, Myſochymicis tamen incognita, & nemo adeo ſtolidus erit, & negantium ridiculæ autoritati ſic parebit, ut ſtatim ea, quæ labore & ſumptibus invenit, otioſis ad nutum patefaciat, qui chymicos vituperando eo cogere volunt, ut ſelectiores mixtorum naturalium reſolvendi & præparandi modos doceant, cum alias precibus, ſtudiis, laboribus & ſumptibus multis id explorari debeat. Sed nihil refert ac perinde eſt, ſive affirment, ſive negent, quæ in naturæ & artis poteſtate ſunt, modo divina benedictione habeatur, quibus miſere afflictus proximus ſublevari poterit. Denique poſt recenſitam obſervationem de puero a calculo liberato, ſequentia annectit Stiſſerus: Hoc dum recito, nemo velim exiſtimet, me jam memoratis lithontripticis, quibusvis calculoſis ſa-

nitatem

nitatem promittere velle, quod abſurdum plane, cum calculos textura ſua differre ante monuerim. Credo calculos veſicæ dari noſtris medicamentis haud obedientes, quorum tamen reſolutionem alia, oppido paucis licet nota remedia, abſolvere valeant. Mihi ſufficit, quod calculum a medicamine non ſemel fractum viderim. Firmiter autem credo, non ſolum regno animali, verum etiam vegetabili & minerali ineſſe remedia, quibus calculus comminui queat. Præprimis autem nitro & calci vivæ multum fido, ſi peritorum artificum manus incurrant ambo hæc. Quodſi autem optatus ſucceſſus non ſemper ſubſequatur lithontripticorum aſſumptionem, & calculus textura ſua valde differens non ſemper ab iis comminuatur, aut frangatur, num idcirco omnis vis lithontriptica medicamento deroganda veniet? &c.

§. 9.

Exempla Talia calculorum veſicæ per varia medicamenta diffractorum exempla tam veteres, quam recentiores medici annotarunt. Calculi enim pæne ſilicei in veſica pueri, medicamentis fracti & expulſi meminit Olaus Borrichius. Puellus ſcilicet ſex annorum, Senatoris Helſingburgenſis filius calculo veſicæ tentatus alia atque alia ſuaſu amicorum & parentum deglutierat; quibus nihil proficientibus ab agyrta, qui intra triduum promiſerat liquefactum iri calculum, recipit potionem medicatam acerrimi ſaporis fœtorisque ingrati, & poſtridie reddit non calculum, ſed urinam oppido cruentam, variis hinc inde filamentis ex interiori veſicæ tunica abraſis diſtinctam. Perſeverante ad plures dies urina ſanguinolenta, nullo autem calculo in conſpectum veniente, proripit ſe circumforaneus, & ægrum miſerabili ejulatu omnia replentem deſerit. Puellus deinde inter dolores hos Hafniam delatus meæ fidei committitur. Adverto inter mejendum intolerabiles crucia-

cruciatus, video ſtrigmenta innatantia urinæ filamentorum & tunicarum minutarum ſpecie, agnoſco craſſius ſubinde in lotio ſabulum. Igitur nullum ab acribus præſidium mutuandum ratus balſamum ſulphuris terebinthinatum & oculis cancrorum crudis in alkohol redactis cumque ſaccharo remiſtis, in pulveris forma temperatum offero ad plures dies, eo conſilio, ut læſæ partes veſicæ, & calculus nihilominus attereretur. Quo effectum id quidem, ut glarea & minutiora quædam calculorum fruſtilla alternis fere diebus excernerentur, & urina non cruentaretur amplius, dolor tamen in mejendo vix tantillum interquieſcebat. Ventum igitur ad terebinthinam ipſam aqua virgæ aureæ & plantaginis elotam, ut glutinando aptiorem, quam & aliquandiu cum pulveriſatis oculis cancrorum in morſellos (quos vocant) coactam uſurpavit, ſucceſſu nondum ſatis exoptato. Tandem diu propinatus ex lapide judaico, lapide lyncis, cryſtallo montana & oculis cancri pulviſculus magnitudine juglandis minoris & ſiliceæ duritiei in fruſta fabis æqua confractus exierit, certas fracturæ notas ſecum afferens. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 77. p. 147. ſeq.* Sic Illuſtris quidam Princeps ſæpiſſime queſtus eſt de dyſuria pergravi, verum ſvadente medico, cum ingruentem affectum ſentiret, præmiſſo mox clyſmate conveniente, aſſumſit aliquoties in brodio vel juſculo quodam guttulas aliquot ſpiritus terebinthinæ, vel ſpiritus putaminum ovi Struthiocameli, urina exinde non duntaxat facilior fluebat, ſed & interdum fruſta magna ovorum putaminis inſtar una reddebantur, acri cum dolore. v. Joh. Helwig. *Obſ. phyſ. med. Obſ. 122. p. 333.*

10.

De calculo prægrandi ureteri impacto, admota vero cucurbita ſicca in renem retracto, & ſponte fruſtulatim

excreto ſequentem obſervationem recenſet Johannes Nicolaus Binningerus *Obſervat. Cent. III. Obſerv.. 85. pag. 358.* inquiens; Nicolaus Dargent, ſexaginta aliquot annorum, chirurgus, a calculo in uretere contumaciſſime impacto, ſupra humanas vires plures cruciabatur. Variis forte diureticis calculus in caput ureteris deturbatus, fixus ita conſiſtebat, ut nullo vel progredi, vel retrogredi modo animadverteretur. Ægrum in caput & genua abſurde decumbentem fere exanimem certa die viſito: magnam ſine ſcarificatione cucurbitam renis regioni applicare conſulo, quo minime proditurus ita lapis in renem retraheretur, ſicubi autem id fieret, amota cucurbita emplaſtrum contra rupturam admoveretur, ut vel omnino maneret in rene calculus, vel commodius incerto tempore a natura pelleretur. Executus eſt conſilium Jacobus filius, quod feliciſſimum eventum ſortitum eſt. Cucurbita enim attractus eſt in renem, non admodum difficulter, calculus, adſtringente emplaſtro ibidem detentus, præſentaneo levamine: Quid fit? paucis elapſis diebus calculus ſponte in magnas portiones diviſus fruſtulatim excretus eſt.

§. II.

Planta Cachos Naſcitur in Peru planta Cachos appellata, cujus ſemen apud incolas magnæ eſt æſtimationis ob inſignes ejus facultates: nam urinam ciet, arenulas & calculum e renibus pellit; quodque præſtantius eſt, illius uſu calculum in veſica comminui ferunt, ſi mollis adhuc ſit, ullisque medicamentis comminui queat: ejusque rei tam multa proferunt exempla, ut admirationem mihi pariat: nam mea hæc eſt opinio, veſicæ calculum expelli non poſſe, ſolamque exemptionem illius eſſe remedium; nullum autem medicamentum adeo efficax reperiri, quod eum confringere valeat; ajunt tamen illius ſemen tritum ex

aqua

aqua aliqua ad eam rem idonea ſumptum, calculum in lutum diſſolvere, quod excretum denuo concreſcat, & in lapideam duritiem convertatur. Hæc ſunt verba Nicolai Monardi *ſimplic. medic. Hiſtor. cap. 30. in Carol. Cluſii Exotic. fol. 325.* ubi ita pergit: Adoleſcentem vidi, cui hoc obtigiſſe ſcio. Is cum veſicæ calculo torqueretur, idque a lithotomis, qui calculum deprehenderant, intellexiſſem, & ex ſymptomatis, quæ patiebatur agnoſcerem, hominem veris initio ad fontem, qui a Petra nomen habet, ablegavi: ubi cum duos menſes hæſiſſet, a calculo liberatus rediit, & omne lutum, quod paulatim ejecerat, denuo in lapidea fragmenta concretum in charta ſecum retulit.

§. 12.

Inquit etiam Andreas Libavius *Syntagm. Arcanor. Chym. Lib. II. cap. 29. fol. m. 101.* ſunt autores, qui lapidem veſicæ, qui nondum ad ſiliceam duritiem pervenit, in mucum reſolvi poſſe ſcribunt, idque teſtantur ſe procuraſſe feliciter, non vana perſvaſione, ſed opere ipſo, quandoquidem prius tum indiciis, tum inſtrumentis deprehenſi calculi, poſtea medicamentis diffluxerunt, & ſpecie muci craſſi fœtentisque puris cum lotio exierunt, id quod non legimus audivimusque tantum ab aliis narratum, ſed & nos Dei benignitate aſſecuti ſumus. Collegimus autem mucum iſtum iterumque coagulando in verum lapidem reduximus &c. Et Nicolaus Chesneau *Obſ. Lib. III. cap. 10. pag. 346.* ait: Anno 1658 civis quidam Maſſilienſis rediens Pariſiis, quo diſceſſerat curandus ab ulcere gutturis, a quo uvulam amiſerat, retulit mihi, hoc tempore hominem veniſſe Pariſios, arcano frangendi lapidem in veſica inſtructum, qui per invidiam a quodam medico vocatus ad cœnam, glande catapultaria ictus in fronte, e feneſtra domus e regione ædificatæ; perierat cum ſuo arcano, ſequentibus ſeculis deplorando. Sequentem obſervatio-

Alia Lithontriptica

nem recenſet Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſervat. 220. pag. 321.* Vixit Pharmacopæus Saarponti, nomine Henricus Khunis ab ineunte pueritia ultra vigeſimum ætatis annum calculi veſicæ doloribus cum multo vomitu, quando urgerent, infeſtatus fuit, ita ut etiam cathetere immiſſo inventus calculus exſecandus, ipſeque æger jam ad ſcamnum ligatus hæreret. Dilata tamen propter aliam ſpem iſta Operatio, & oblatus ipſi a peregrino quodam pulvis ſeminis cujusdam, quod fœnugreci ſemini ſimile fuit viſum. Poſt ejus uſum multos excrevit lapillos, piſi magnitudine, arenulasque frequentes, & vixit a doloribus immunis per decem plures annos. Refert etiam Gothofr. Chriſt. Wincklerus ſe aliquando Menſæ Principis aſſidentem ab Illuſtriſſimo Comite quodam audiviſſe, parentem ipſius a calculo renum, aliis incaſſum exhibitis, pulvere ſeminis Bardanæ liberatum eſſe, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 102. p. 140. ſeq.* ubi pergit: ipſe puero duodecim annorum calculum veſicæ comminui & fruſtulatim expuli unico hoc medicamento. Recipe Semin. Violar. purpur. ℥ß aqua Fragar. Ononid. Alkekeng. ana q. ſ. f. l. a. Emulſ. add. Aſell. præparat. ʒj ſangvin. hirc. præparat. ʒß ſp. lithontrip. ℈j ſpirit. terebinth. ℈ß M. Dentur. ſæpius cochlearia duo. Fruſtula excrevit ſatis magna & ad nigredinem vergentia, ita ut cortex unus alteri ſuperductus videretur. Ejusmodi pulverem in calculis veſicæ feliciter exhibitum communicat Georgius Hebenſtreit cum ſequenti obſervatione. In valetudinario Eslingenſi virgo erat nomine Urſula Büntzin, annorum fere triginta laborabat calculo veſicæ, cum tantis doloribus & cruciatibus, ut ſingulis fere horis in animi deliquium incideret. Noluit ſe committere lithotomo, ſed totum negotium Deo & mihi permittens, opem meam cum lacrymis & ſuſpiriis unice implorabat. Poſt varia fruſtra exhibita tandem beneficio

Dei

Dei & ope cujusdam pulveris excrevit lapillos quadraginta & plures, & ab eo tempore mediocriter habuit. Inquit etiam Julius Cæſar Scaliger *de Subtilitat. Exercit. 353. n. 8. p. m. 1030.* ſanguinem hircinum frangere in renibus & in veſica lapidem, tam verum eſt, quam meridie lucere. Quamplurimos enim ejus vi comminuimus. Sed & leporino fit hoc idem.

§. 13.

Wilhelmus Laurenbergius, medicus calculoſus, in lecto jacens ſupinus, cathetere per urinarium meatum in veſicam immiſſo, lapidem animadvertebat, loco mobilem & huc illuc volubilem. Deinde digito in inteſtinum rectum indito, & pollice ad perinæum defixo lapidis magnitudinem explorabat, quem ovum columbinum quantitate ſuperare deprehendebat. Dehinc aliquandiu medicamento ſequenti uſus lapidem confringente & atterente, a fragmentis orificio veſicæ identidem vulnerato, & accedentibus ſimul doloribus arthriticis, vitæ diu ſupereſſe non potuit, ſed doloribus confectam animam exhalavit. Accipiebat aſellos ſeu millepedas murarias, easque in aceto vini macerabat, lavabatque, lotas ſiccabat & in pulverem conterebat. Præterea accipiebat illud, quod in cynorrhodo inſtar fungi excreſcit, vocaturque a nonnullis Bedegar, ut refert Dodonæus; Hanc materiam ſiccatam in pulverem redigebat, tandem addebat ſanguinem hirci præparatum; & tria hæc pari quantitate commiſcebat. Hujus pulveris ſcrupulos duos, plus minus quotidie ex aquis diureticis bibebat, admixto ſyrupo de Althea. vid. Joh. Rudolph. Camerar. *Memorabil. Medicin. Cent. VIII. n. 77. pag. 610.* De Nobili quodam, qui quotannis per aquam plantæ perſicariæ, ſimplici deſtillatione ad morem aquæ roſarum vulgaris elicitam, multos homines a calculo, etiam veſicæ, liberabat, ideoque talem liquorem magna copia

ſolenni reiteratione præparare ægrotorum precibus jubebatur, vid. Robert. Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. III. §. 18. p. 159.* Et *pag. ſeq.* ita pergit: Aliquot abhinc annis in Hybernia familiaris mihi fuit ſer ex quidam empiricus, ob lapidum in veſica ac ophthalmiæ curas ibi locorum famigeratiſſimus. Cum Vir iſte artis ſuæ egregia ediderit ſpecimina, ipſum ob ſuſpicionem calculi, quo me laborare diu arbitrabar, accerſi ad me, qui me a calculo (quod ipſe poſtea, Dei gratia, verum reperi) liberum eſſe, facto examine, pronunciavit. Circumforaneus magis, quam theoreticus erat, ſobrius tamen ac modeſtiſſimus; ad inquiſitionem, utrum remedio quodam calculum in veſica diſſolvere ſciat, atque propoſitum pro tali cura pretium, quod lithotomia communi demereri neſciat, calculum confirmatum, non niſi inciſionis ſubſidio tolli poſſe affirmavit: Calculum tamen conſiſtentem in maſſa ſabuli nondum firmiter coagulati, remedio interno, dextre adhibito digitorum adminiculo, partim per ejusdem comminutionem, partim per cæmenti diſſolutionem, diſruptum per urinam rite ſe deducere aſſeruit. Speciminis loco civis Corkenſis mentionem fecit, quem haud ita pridem a calculo veſicæ magno ſanaverit: dumque ibi degebam, magnitudinem & figuram calculi eximendi, ante operationem deſignando, artis ſuæ ſpecimen exhibuit. Ibidem etiam dictus Boyle refert, quod Cardani temporibus Lombardiam vir quidam pervagatus ſit, qui paucis diebus liquore certo ægrotis exhibito calculum veſicæ ſecure cito & certo profligaverit, addita ſententia, quod de viri hujus, tantam mortalibus artem invidentis, condemnatione æterna nullus dubitet.

§. 14.

Lepus De lithontriptico ex lepore ſequentem obſervationem recenſet Ambroſius Stegmannus *M. N. C. Dec. III. An. 4.*

Obſ.

Obſ. 110. pag. 229. Illuſtris juvenis a Streithorſt a quinto ad decimum quintum ætatis annum atrociſſimis doloribus nephriticis, & ob conſenſum colicis ſtuporeque crurum, ſtranguria, dyſuria & iſchuria ſæpe vexatus, a certiſſimis hinc inde quæſitis remediis nullum ſenſit levamen, & quod mirandum, arenæ, vel ſabuloſi quid cum urina excrevit nunquam. Propinabam ægro, non longe ante beatum obitum, expertiſſimum, (quod in certo liquore ſolutum ipſos etiam ſilices intra paucas horas in ſubtiliſſimum redigit pulverem) lithontripticon, ſal nimirum fixum ex lepore, menſe Martio a canibus capto, & ex toto cum pelle pilisque, viſceribus, inteſtinis & ſanguine in fictili novo optime lutato, lente incinerato paratum, a quo quidem evporiſto copioſum mucum, effluenti e naribus non abſimilem, & poſt hunc multum excrevit urinæ, ita ut per aliquot dies liber fuerit a prædictis affectibus. Rediit tamen malum tanta cum vehementia, & obſtructione urinæ totali, ut tandem miſerrimum ex graviſſimis ſuis doloribus tolleret in beatam vitam &c. Pulveris virgæ aureæ *Virga Aurea* vim mirabilem a ſe primo divulgatam felici ſucceſſu Nobilem matronam in innumeris nephriticis comprobaſſe refert Carolus Piſo *Obſerv. de Morb. ſeroſ. Sect. IV. cap. 2. p. 385.* Inter medicamenta lithontriptica effectum omni laude majorem ſibi præſtitiſſe Pareiram bravam, *Pareira* cumprimis in ſubſtantia exhibitam, ſancte teſtatur Godofredus David Mayerus *Ephemerid. Academ. Nat. Curioſ. Cent. III. & IV. Obſ. 139. p. 317.* Raphanum ruſticanum ſeu *Armoracia* armoraciam urinam, arenas & calculum pellere, atque in curatione calculi renum efficacius fere nullum remedium ſucco expreſſo cochlearium duorum triumve menſura cum vino hiſpanico mixto ſe inveniſſe, ait Baldaſſar Timæus a Güldenklee *Conſil. Diætet. Oper. med. pag. 1107.* Idem Autor etiam *Lib. III. Ep. 32. p. 696.* Arcanum ſuum contra

calculum

Anſerina calculum Fratri ſuo, Chriſtiano Timæo, his verbis communicat: Kalendis Maji ante exortum ſolis collige Nenaſiræ viridis manipulos octo, lecaſe viridis manipulos quatuor. Exprime ſuccum, adde vini rubri ad pondus omnium, miſce & filtra. Exhibe quotannis primo, ſecundo & tertio die Maji in aurora uncias ſeptem, purgato prius corpore. Sed hæc tibi, mi Frater, τα ἱερὰ ἱεροῖς.

Obſervatio Hoc Timæi Arcanum ante triginta fere annos, Secretario cuidam, amico meo ſingulari, cujus uxor vehementiſſimis ſæpius calculi vexabatur doloribus, communicabam; hinc inſtante menſe Majo, tam anſerinæ, quam ſecalis viridis, ſub nenaſire & lecaſe, vocabulis latitantium; ſufficientem quantitatem pro utriusque ſucci ponderis expreſſione colligi curabat dicta fœmina, dictosque expreſſos liquores cum vino rubro commixtos, non ſolum primo ſed etiam ſecundo & tertio ſubſequentibus annis, circa idem tempus, pro calculi præſervatione optimo cum effectu aſſumebat, ita ut poſtero tempore ultra quindecim annos ſupervivens, nunquam vel rariſſime aliqualem ſentiret dolorem nephriticum.

§. 15.

Chamomilla De florum chamomillæ vulgaris virtute diuretica hanc obſervationem recenſet Simon Pauli *Quadripart. Botan. Claſſ. III. pag. 255.* Civis quidam primarius Helſingenorenſis ſubinde corripiebatur colicæ paſſioni cum nephritide communibus ac enormibus ſymptomatibus cum mihi faſſus eſſet dyſuria inſigni præcedente, calculos lenticulari magnitudine ſe excreviſſe, cum aliquandiu antidhac tortus eſſet ſimilibus doloribus, cui propinavi quidem oleum chamomillæ & juniperinum deſtillata & alia adhuc δραστικοτέρα; ſed ille vix ac ne vix quidem, ullum levamen ex iis percipere; imo exaſperari magis dolores ab illorum uſu, & vomitus frequentes laceſcere illum videbantur.

Quare

Quare illi externa infuſione florum chamomillæ ex vino rhenano decoctum parabam. Recipiebam nempe florum chamomillæ vulgaris, manipulos duos, quibus affundebam vini rhenani libras duas, ponderis civilis, ſinebam illa digeri in cineribus calidis per duas horas, poſtea fortiter exprimebam infuſum colandum, & novis aliis manipulis florum chamomillæ affundebam, & una iterum per duas horas digerendum; imo tertia vice eandem enchireſin eſſe iterandam adſtantibus, ac infuſum non diutius tandem eſſe coquendum præcipiebam, quam aſparicus aut piſces. Obſervandum, hoc ipſum decoctum adeo reddi ſalſum, a ſale ſuo volatili, ut jurare quis auſit, pugillos aliquot ſalis culinarii in eo eſſe liquefactos. Hujus ergo decocti chamomillæ duo triave cochlearia remiſcebam hauſtulo vini calido, & illi propinabam; a cujus medicamenti ſimpliciſſimi uſu non ſolum graviſſima recenſita ſymptomata mitigabantur, ſed quoque laxatis ſenſim eo ureteribus, citra inſignem moleſtiam, aliquot calculi ex renibus in veſicam detruſi excernebantur &c. Quo ipſo medicamento poſt dein in aliquam multis ægris, magno cum levamine uſus ſum. De aqua chamomillæ hanc obſervationem refert Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. Obſ. med.phyſ. Cent. II. Hiſt.38. pag. 206.* Fœmina quædam lumborum cruciatibus ferme continuis afflictam, tandem doloribus indies augmenta capeſſentibus, ſvaſu amicæ bibit aquam chamomillæ, rata paſſionibus hyſtericis ſe affligi. Nec infelici ſucceſſu. Nam, cum per aliquot dies uſum aquæ prædictæ continuaſſet, ex improviſo dolores, modo ad dorſum, modo ad pubem vergentes lapillum unum alterumque expulerunt. Gaviſa ſic ægrota, certiorque hinc de morbi ſpecie facta repetit aquæ chamomillæ uſum, unde fit, ut in ſingulos fere dies cum urina lapillos redderet tantæ multitudinis, ut ſanitati reddita

ultra centum eorum numeraret; & quidem omnes unius magnitudinis, piſum majuſculum æquantes &c.

§. 16.

Semen Violariæ

Semen violariæ purpureæ in dolore nephritico mire convenire, inquit Fredericus Deckers *Annotat. in Paul. Barbett. Prax. med. Lib. IV. cap. 8. p. 175.* quia ſimul purgat, ſimulque calculum expellit, ac imprimis ſub forma emulſionis ſi uſurpetur. Quæ emulſio nephrocatharctica ſecundum Joh. Schrœder. *Pharmacop. med. chym. Lib. II. c. 54. p. m. 199.* ex ſeminis violar. purpur. ℥ß vel ℥vj cum ▽ Veronic. paratur. Hæc emulſio in conjuge Joachimi Panwitz in ſuppreſſione urinæ ultra ſeptimum diem ad miraculum usque exercuit ſuas vires, & fuit Secretum Divi Maximiliani. Excrevit calculos mille & quingentos & aliquot menſuras urinæ, uti Paulus Cloſius ad Laurentium Scholtzium ſcripſit, vid. hujus *Epiſtol. med. 192. fol. m. 310.* Inquit etiam Simon Pauli *Quadripart. Botan. Claſſ. II. pag. 166. ſeq.* certe calculum frangendi vis in ſemine violarum purpurearum latens inſignis eſt. Hoc ergo ſemen in urina cienda & calculis deturbandis inſignem facultatem obtinere teſtatum facit. Imo Guilielmus Laurenbergius medicinæ quodam in Academia Roſtochienſi Profeſſor inſigniter calculum, una cum aliis lithonthripticis, & quidem veſicæ, comminuere in ſeipſo comperit.

§. 17.

Dauci

Huc pertinet etiam ſemen dauci, quod cereviſiæ incoctum odore ſuo antiſaxatili domat impetum coagulatoris & ita ſaburræ coagulandæ conciliabulum adimit & experimentum exhibet ſatis certum, uti ex Charletonio refert Johannes Helfricus Juncken *Chym. experiment. Curioſ. cap. 18.*

pag.

pag.600.ſeq. Et Gualterus Charleton *de Lithiaſ. Sect. II. cap.3. pag.179.* ſemen dauci incomparabile antinephriticum appellat. Sic Robertus Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. IV. §. 20. pag. m. 181.* ſcribit: Cum aliquando cum erudito & experimentiſſimo medico de virtute ſeminis noſtri communis dauci, in cereviſia tenui fermentati antinephritica ſermonem fecerim, efficaciam ejus ſe juſto præſtantiorem reperiſſe, ſubridens affirmavit; addita ſcilicet ratione, quod, ex quo proſperioris fortunæ ægrotos, in morbis nephriticis opem ſuam exorantes, dauci præſcriptionibus & potu exinde compoſito, nimium veloci cura, beaverit, a longo ſatis tempore, nihil unquam de ipſis audiverit. Ut autem, pergit Boyle ad Pyrophilum, te ad naturam dauci examinandam incitem, quod, licet ſemen ipſum haud accepti ſit ſaporis, juſta tamen proportione fermentatum, & liquori huic commixtum (congiario cereviſiæ ſesquiunciam ſeminis addo) potum gratiſſimi guſtum, cereviſiæ Limmoniæ haud diſſimilem ſuppeditet, nunc tibi revelare libuit. Porro, inquit Joh. Baptiſt. van Helmont *de Lithiaſ. cap. I. §. 19. fol. m. 14.* Monachi queruntur, ſe ſtrophos ſive tormina pati, niſi ſemine Dauci cereviſiis incocto, utuntur quotidie. Quatenus odor ſeminis dauci odorem ſaxatilem domat & comprimit. Et *cap. 7. §. 14. fol. 39.* Conſiliarii cujusdam meminit, qui cum per quindenas ſingulas ſoleret miſere decumbere, uſus deinceps cereviſia, cui ſemen dauci incoctum erat, liber a lithiaſi vixit per aliquot annos. Item *cap. 8. §. 23. fol. 48.* pergit: Jam ante tradidi modum præſervandi a lithiaſi, per aroph, itemque per cereviſiam cum ſemine dauci vel flavæ paſtinacæ ſilveſtris coctam. De his duobus præſervativis a calculo inquit. Andreas Cnœffelius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſervat. 110. pag. 117. ſeq.* Aroph adjungendum cenſeo ſemen dauci ex commendatione Helmontii, quia

præſervatorium a lithiaſi laudatur. Ut itaque unum alteri ſubveniat, poteſt practicus ipſe perlegere loca citata Helmontii & pro requiſitione morbi, facultate patientis & circumſtantia temporis, quomodo ægro ſubveniendum ſit, cum judicio diſponere. Porro ſemen hypericonis, vulgo perforatæ dictæ menſe Septembri vel Octobri collectum & primum in umbra, deinde ad ſolem vel focum exſiccatum, ut probe comminui poſſit, pro ſecreto mirabili & remedio excellentiſſimo, ad dolorem nephriticum ſeu renum calculum, multorum hominum uſu, qui eo laborarunt, comprobato commendat Johannes Baptiſta Zapata *Mirabil. ſecret. medico-chirurg. cap. 10. p. 194. 196.*

Hyperici

§. 18.

Veronica

De veronicæ uſu in nephritide calculoſa ſequentem obſervationem recenſet Joachimus Georgius Elsnerus *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſervat. 107. p. 245.* Ut gutta cavat lapidem non vi, ſed ſæpe cadendo, ita non raro medicamenta ſimplicia & viliora ſubinde aſſumta effectum relinquunt plane mirandum; cujus ſchema oculis meis exhibuit ante aliquot ſeptimanas Urſula, ſutoris cujusdam vidua, quæ calculum per ſedecim annos in rene aluit ſiniſtro, qui tot cruciatibus illam afflixit, ut viribus omnibus abſumtis, nil niſi ſceleton vivum repræſentaret, & ob ſummum cuivis ſtuporem & renis dolorem in iſto latere, per totum illud tempus nunquam dormire potuerit. Tandem conſulenti aſſentiens quotidie decoctum veronicæ & quidem in ſatis magna doſi per tractum aliquem temporis aſſumſit, quo effecit, ut calculus priorem relinquendo nidum alium quærens ad ureteres protruſus fuerit, ubi nimias anxietates excitans ipſam inter mortis & vitæ diſcrimen conſtituit, tandem tamen aſſumto

largiori

largiori decocto veronicæ, veſica receptaculo fuit, ubi miſeram ſtillicidio & difficultate urinæ diu vexavit, donec ab aſſumto ſuperiori nominato decocto, & ejus fomentatione, natura, hactenus dormiens, expergefacta, maximis & iis conatibus, quibus alias a fœtu ſe liberare conatur, excitatis, hoſpitem peregrinum cuſpide expulit, qui tandem vi ab ipſa ægra per collum veſicæ extractus fuit. Simplex veronicæ decoctum, juxta Simon. Paul. *Quadrip. Botan. Claſſ. III. p. 512.* Johannes Crato a Krafftheim longe præfert omnibus aliis generoſioribus internis medicamentis contra calculum. Ipſe autem Crato in Laurent. Scholz. *Conſil. medicin. 136. fol. 394.* uſum clyſteris ex ſolo decocto veronicæ cum ſaccharo magis quam ulla medicamenta per os ſumpta, prodeſſe ait. De ericæ virtute diuretica ita ſcribit Petrus Andreas Matthiolus *Comment. in Dioſcorid. Lib. I. cap. 100. fol. m. 142.* Aqua, in qua vulgaris Ericæ folia & flores decocta ſunt, ſumpta tepida, tam mane, quam veſperi triginta dies, quinque unciarum pondere tribus horis ante cibum valet ad veſicæ calculos comminuendos & expellendos. Verum felicius ſuccedit, ſi poſt id tempus male affecti in balneum decoctionis ejusdem plantæ ingredi, atque inibi dum morantur, ſuper decoctam ericam ſedere debent, idque pluries repetendum eſt. Equidem novi aliquos, qui ſervata recta victus ratione, hoc tantum potu veſicæ calculum in minimas partes comminutum ejecerunt. Hederæ terreſtris pulvis ſimplex cum tantillo ſacchari, cum aqua hederæ terreſtris cum vino deſtillata ad calculum renum adhibere ſolet, juxta Frider. Hoffmann. *Clav. Schrœder. Lib. IV. p. 484.* Et ſecundum verba Simonis Pauli *Quatrip. Botan. Claſſ. II. p. 66.* in calculo renum ſimplex hederæ pulvis cum ſacchari dimidio præparatus & cum aqua hederæ, cui ſpiritus vini quarta vel ſexta pars eſt affuſa, propinatus, omnem fere

Erica

Hedera Terreſtris.

Obſervatio. fidem ſuperat, quam præclare eum atterit. Memini etiam cantoris cujusdam plus quam ſexagenarii, qui poſt diuturnos calculi cruciatus tandem per hederæ terreſtris in cerevifia facti decocti largum atque per longum temporis ſpatium continuatum hauſtum ab iſto hoſte ſe penitus liberatum fuiſſe referebat. *Ononis* Ononidis radici, aut potius radicis cortici, vix ſuppar remedium reperiri, quod cum eo componi queat, tam in veſicæ, quam renum calculo atterendo, inquit Simon Pauli *l. a. Claſſ. III. pag. 204.* Et juxta Frid. Hoffmann. *l. a. pag. 517.* aqua ex integra planta cum radicibus novellis contra calculum deſtillatur. Inſuper apud autores ſexcenta ejusmodi ſimplicia reperiuntur vegetabilia & animalia, a nobis hoc loco non recenſenda.

§. 19.

Cochinilia Interim tamen adhuc Johannis Andreæ Stiſſeri Obſervationem de cochiniliis tinctorum recenſere volui, quippe qui *Laborator. chemic. Specimin. II. cap. 6. F. a.* ita ſcribit: Annus nunc agitur octavus, cum Hamburgi calculo veſicæ laborans puer novem annorum meæ curæ committeretur, lithotomus paulo ante in hoc exploraverat calculum ejusque magnitudinem ſatis notabilem pronunciaverat, quod & variæ circumſtantiæ arguebant. Puer autem ſub tutorum manibus vivens per Deum rogavit, ut ſectioni non committeretur, promittens, ſe quævis medicamina libenter aſſumturum. Hinc ad me delatus eſt. Monui quidem, arduum & minus certum eſſe negotium calculum diſſolvere & in oppido paucis rem ſuccedere, fletibus tamen pueri & amicorum precibus motus curam aggreſſus ſum. Primo autem magiſterium e cochiniliis tinctorum ter ſingulis diebus aſſumendum, nec non liquorem quen-

quendam ex calce viva & nitro paratum, magnæ conſequentiæ in potu ordinario propinandum præſcripſi. Quibus cum per quindecim dies indeſinenter uſus eſſet, interea temporis magnam viſcidæ & mucilaginoſæ materiæ copiam ſpermati ranarum fere ſimilem per urinas excrevit, ſubſequentibus poſt aliquot dies cum urina ſquamulis ſeu corticibus arenoſis friabilibus. Continuavit adhuc utrumque medicamentum per quatuor hebdomadas, inſimul quotidie oleum ſcarabeorum per infuſionem cum oleo nucleorum perſicorum paratum, aſſumſit: & lamellæ craſſiores cum fragmentis grandioribus notabili in quantitate illo temporis ſpatio per vices profluxerunt. Deinde a cognatis ad ædes meas iterum adductus eſt puer, poſtquam per biduum nihil urinæ emiſiſſet, & de obſtaculo quodam in virga conqueſtus eſſet, quod & brevi apparuit, cum in urethra calculum hærere animadverterem, quem facta compreſſione eductum (urina jam libere ſatis fluente) piſi majoris magnitudinem excedere, & nucleum quaſi calculi conſtituiſſe obſervari, erat autem coloris obſcure gryſei, & politus quaſi apparebat. Et ita divino auxilio a calculo penitus liberatus puer optima ſanitate gaviſus eſt. Aliud exemplum calculi pæne ſilicei in veſica pueri medicamentis fracti & expulſi annotavit Olaus Borrichius in Thomæ Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. 1. Obſ. 77. p. 147. ſeq.* ſcilicet in puero ſex annorum per medicamenta ibidem deſcripta calculum magnitudine juglandis minoris & ſiliceæ duritiei in fruſta fabis æqua confractum exiiſſe certasque fracturæ notas ſecum attuliſſe.

§. 20.

De Wilhelmo Laurembergio Profeſſore Roſtochienſi cujus jam ſupra mentionem fecimus, refert Daniel Sennertus *Aſelli*

tus *Prax. Lib. III. Part. 8. Sect. 1. cap. 2. pag. 847.* eundem provecta jam ætate calculo veſicæ obnoxium factum, eo tamen, Jehovæ auxilio, vi medicamentorum admirabili liberatum eſſe. Cum enim acerbiſſimum dolorem nephriticum paſſus eſſet, animadvertit, calculum per ureterem ſiniſtrum in veſicam deſcendiſſe, &, cum grandiuſculus eſſet, in veſica integrum ſubſtitiſſe, ibique affluentium ſordium copia paulatim adauctum fuiſſe, ſpatio triginta ſex ſeptimanarum. Qui cum varias moleſtias exhiberet & nucem ponticam æquare deprehenderetur, ac extra ſectionem exire non poſſe putaretur; ipſe vero periculoſiſſimo huic auxilio ſeſe ſubjicere nollet, de aliis remediis cogitare cœpit, tandemque poſt variorum medicamentorum, imprimis aſellorum, uſum, ſub pubis oſſe ad regionem oſtii veſicæ magnos ſentire cœpit dolores. Paulo poſt parum urinæ profluebat & cum eâ lamellæ exiguæ inſtar ſquamæ piſcis ſubrubræ, quæ licet aliquam viſciditatem habere viderentur, ad tactum tamen in ſabulum reſolvebantur, ita ut manifeſto appareret, tunicam vel cruſtam eſſe a majore calculo ſolutam, atque ita Laurembergius ſeptendecim ſeptimanarum ſpatio, poſtquam ſæpius hujusmodi lamellæ craſſiores & fragmenta grandiuſcula profluxerant, a calculo iſto liberatus eſt: Dictus Laurembergius, Medicus & Mathematicus incomparabilis in lecto jacens ſupinus cathetere per meatum urinarium in veſicam immiſſo lapidem loco mobilem & huc iſtuc volubilem animadvertit, deinde digito in inteſtinum rectum immiſſo & pollice ad perinæum defixo lapidis magnitudinem exploravit, quem ovum columbinum quantitate ſuperare deprehendit. vid. Joh. Rudolph. Camerar. *Memorabil. Medic. Cent. VIII. No. 77. pag. 610.* Et Johannes Dolæus *Tract. de Podagr. Fur. lact. vict. pag. 40.* refert, ſe intra unius anni ſpatium, quo lacte uſus fuit, ſuum calculum

Lac.

lum veſicæ ad unciam unam & plus imminutum fuiſſe; tot enim fruſtula calculi collegiſſe & in muſæo reſervare.

§. 21.

Sequentia lithontripticis a Gvaltero Charleton *de Lithiaſ. Sect. II. cap. 3. pag. 203. ſeq.* et aliis autoribus annumerantur, ſcilicet terebinthina, diverſimode exhibita, cujus uſu etiam monachus nephritide & morbo articulari laborans multisque remediis fruſtra uſus, ſanitati fuit reſtitutus, poſtquam aſſiduum terebinthinæ uſum per ſex menſes ſingulis diebus, jejuno ſtomacho continuaverat. vid. Amat. Luſitan. *Curat. medic. Cent. I. Cur. 63. f. 94.* Balſamus Peruvianus, drachmæ unius aut alterius pondere in ſeri lactis caprini deſtillati poculo, epotus ſingulis auroris per menſem. Quem balſamum peruvianum nigrum uxor mea ſæpiſſime poſt magnam ſpermatis ceti quantitatem aſſumtam ſatis efficacem ad pellendum calculum uſurpavit. *Terebinthina. Balſam. Peruvianus Obſervatio*

§. 22.

Liquor ſtillatitius e fructu quodam ananas, idiomate Braſilienſi, vocato, vi ignis extractus, & modica quantitate exhibitus. Secundum Guil. Piſonis *Medicin. Braſil. Lib. IV. cap. 46. fol. 88.* hic fructus, quia ſucco corroſivo immodice ſumto, lingvam vellicat ac gutturis ardores infert, deſciſſo cortice, in taleolas ſecatur inque vino hiſpanico maceratur tantisper, donec qualitatem noxiam deponat, qui gratum ſaporem & odorem vino quidem communicat, lingvæ tamen morſus & gutturis inflammationem, ſi potetur vinum inducit. Ipſe autem ſuccus, quo turget fructus, mirifice animum langvidum recreat *Ananas*

& ſpiritus ſopitos ſuſcitat, & imprimis ſtomachum nauſeabundum reſtituit. Addit eam Piſo, quod recens ejus liquor, tum vinum inde expreſſum, urinæ ſuppreſſioni & doloribus nephriticis ſuccurrat. De hoc Carduo Braſiliano Johannes Commelinus *in Hort. Medic. Amſtelod. Cap. 57. fol. 109.* inquit: Fructus ananas maturitatem perfectam adeptus in taleolas ſecundum longitudinem ſecatur (cortice exteriore adempto) quæ vino Hiſpanico immaceratæ, ut vis erodens adimatur, comeduntur, quod ſæpius fecimus non ſine delectamento. Et Andreas Cleyerus de fructu ananas *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſerv. 5. p. 8.* hæc refert: Fidem adhibere cogor incolarum noſtrorum relationi de hoc fructu, qui a Piſone, Garzia, aliisque deſcribitur, calculum nempe ab eo expelli; quamvis caute cum eo ſit procedendum, ne vis ulla inferatur, hominesque periculum vitæ incurrant, ſi calculus mole exceſſerit, & in medicamenti uſu modus non obſervetur: Fructum hunc poſtquam maturuit, decorticant, & teſſelatim incidunt, vitreæque lagenæ anglicæ probe occluſæ inditum in aheno, aquam continente & ſupra ignem poſito, inſtar gelatinæ caponis coquunt, ut ſuccus ejus hac ratione exſudet, atque coctura corrigatur, cum crudior ille vim corroſivam contineat. De hoc liquore pro libitu & exigentia aliquid bibitur, qui ſapore grato palato placet; prout maturus etiam fructus decorticatus & in oblongas partes diſſectus, ſaleque confricatus, vino hiſpanico ſuperinfuſo, ſvavi ſapore, non ſecus ac optima fraga, ſe commendat.

§. 23.

Cynosbatus Fructus cynosbati, quos nedum medici, eorumque mancipia, medicaminum confectioni officialia, aſt & matronæ plereque ſuarum familiarum ſaluti proſpicientes, magnifaciunt, celebrantque veluti ſtrenuiſſimum

interno

interno & nativo calculorum architecto antagoniſtam, tam rob, ex eis ſaturate maturis expreſſum, & ſaccharo accinamomo, ut guſtui concilietur voluptas, eleganter conditum, quam fructus ipſos, ſeminibus ſuis exutos, radiis ſolaribus exſiccatos & demum in generoſo vino coctos ad cydonitis ſpiſſitudinem, conſervantes, menſæque ſecundæ ornamentum ac oblectamentum habentes. Hujus præſidii poteſtates ad eradicanda lithiaſis ſemina, reſolvendumque Duelech noviter embryonatum in prima entia analyſi retrograda merito admittantur. De cynosbati in calculo renum & veſicæ uſu prolixe agit Ehrenfridus Hagendornius *Cynosbatolog. Lib. IV. cap.* 2. *Art. I. p.* 158. *ſeq.* quo loco quæſtionem movet, an pharmaca ex cynosbato ſpecifice, an vero per accidens proſint? dum quidam autores ſpecifice & ex proprietate quadam tum fructus cum arillis, tum ſpongias calculo mederi affirmant; alii vero ex accidente, quatenus inſtar aliorum adſtringentium renum debilitatem confortent, ſeu archeum roborent ſedentque, medicamenta ex cynosbato in calculo conferre putant. Ipſe autem Hagendornius, rem diſtinctione quadam expediri poſſe ſtatuit, ſcilicet fructus cynosbati, quatenus exemptis arillis ſeorſim exhibeantur, plus roborando, plus calorem præternaturalem temperando, quam calculum pellendo agere: Quatenus vero arillos adhuc poſſideant & rite præparentur, utrumque præſtare poſſe, tum archeum roborando, tum calculum una expellendo. Porro de arillorum cynosbati vi lithontriptica nemo, ut ſperat Hagendornius, dubitabit, modo attendat oleoſam eorundem ſubſtantiam, qua copioſe pollent, cum ſale quodam volatili conjunctam, quæ omnia praxis vulcanica palam facit. Hinc putat, arillos, tum in ſubſtantia, tum in forma oleoſa in lithiaſi conferre non ſolum acorem ventriculi exceſſivum obtundendo, ſed

ultra ejuſdem pomœria poſitos viribus integris quoque ad renes pertingendo, ibique acidum temperando, dolores ex ſalium angularium figuris oriundos ſapiendo, calculi poros penetrando eumque ad excretionem ita diſponendo. De ſpongiarum vero vi calculifraga ita ſentit dictus autor, eandem exſerere hanc tum ratione facultatis abſterſivæ, ſive in ſal cryſtallinum fuerint converſæ; ſive in vino, in quo ſal deponunt prompte, & cum acido in ens tertium, abſterſivum ſcilicet mutantur, ſint decoctæ: tum ratione ſulphuris ſui anodyni, quod in ſinu gerunt, & cujus ope dolores demulcent & archeum roborant. Denique varia medicamenta ex cynosbato præparata, per experientiam nobilitata ſub varia forma loco allegato *p.160.ſeq.* communicat. vid. inſuper Sim. Pauli *Quadripart. Botan. Claſſ. II. p.57.ſeq.* Thom. Pancov. *Herbar. p.148.* Vinum ex fructibus cynosbati paratum calculoſis utile eſſe ſcribit Daniel Sennertus *Pract. Lib. III. Part. 7. Sect. 1. cap. 6. p.m. 810.* Joh. Schrœd. *Pharmac. Lib. IV. Cl. 1. p.578.* Matth. Unzer. *de Nephrit. Lib. I. cap. 26. p.128.*

§. 24.

Lignum Nephriticum.

Lignum nephriticum, Europæis littoribus ex Nova Hiſpania importatum, & Indis endemicum remedium ad tartari arenularumque incommoda. De hoc ligno ita ſcribit Nicolaus Monardus *Hiſt. ſimpl. medic. cap. 27. in Carol. Cluſ. Exot. fol. m. 324.* lignum aſſulatim & minutim conciſum in optima & limpidiſſima aqua fontana maceratur, atque in ea relinquitur, donec aqua a bibentibus aſſumpta ſit. Dimidia hora poſt injectum lignum, aqua cœruleum dilutiorem colorem contrahit, qui ſenſim intenditur pro temporis diuturnitate, tametſi lignum candidum ſit: cœruleum ideo dico, quoniam adulteratur alio ligno ſimili, quod aquam croceo colore inficit, ne quis fallatur. vid. etiam Chr. Marggrav. *Mater. med. Sect. 1. cap. 31. p. m. 53.*

Ratione uſus hujus ligni admonet Charleton *l. a. p. 206.* quod hodie noſtræ tempeſtatis medici illud craſſe pulveratum vino dilutiori incoquere ſoleant, & prudenti ſane conſilio. Sic enim renes promptius invadat, ab involucro corporeitatis, vini ſubtilitate, liberata vis antigorgonica. Conſervam ex ligno nephritico pro præſervatione & curatione calculi præſentiſſimam deſcribit Zacutus Luſitanus *Prax. Hiſtor. Lib. II. cap. 16. Op. Tom. II. fol. m. 442.* Quæ tamen mixtura Charletoni *l. a.* ridicula videtur.

§. 25.

Aqua vitæ juniperina, a Gregorio Horſtio maximopere celebrata, quod uſu ejusdem matutino per aliquot ſeptimanas, doſi ſemicochleari, tutelam ſibi conciliaſſet a nephritici doloris, ex collecto ſimul ac conglobato ſabulo oriundi, incurſu, cui antea ſubinde graviter eſſet obnoxius. Facile autem absque omni laboris tarditate ac ſumptu hac ratione componitur. Fit primum cum ſelectis baccis juniperi per affuſionem aquæ ferventis fermentatio, quo commode poſtea ſpiritus deſtillatione poſſit ſeparari: Spiritus rectificatur cum rob juniperino, in loco calido per dies aliquot digeritur, donec tincturam inſtar rubini ſaturate tinctam imbibat, adeoque jucundam aquam vitæ matutino tempore cochleari dimidio ſumendam, conſtituat. Fit etiam ſecundum Joh. Michael *Oper. pag. m. 746.* Malvaticum juniperinum ex rob juniperi cum ſpiritu juniperi, vel cum ſpiritu ſambuci, ana imo etiam cum ſpiritu vini, quale Francofurti ad Mœnum ſub titulo Aqua vitæ juniperinæ D. Horſtii proſtat. Mihi vero malvaticum juniperinum ex rob juniperi libra demidia, ſpiritus juniperi menſura una & vini malvatici, vel Sect dicti menſura una ſemis conſtans ſæpiſſime optimo cum effectu in uſu fuit. De juniperi uſu contra calculum vide etiam Michael Bapſts Juniperet. hinc inde. De gelatina ſive glutine juniperino, tanquam arcano ad membra pa- *Juniperus*

Ooo oo 3 ralytica,

ralytica, vid. *M.N.C. Dec. I. An.6. & 7. App. p.184.* Plurima lithontriptica ex regno tam vegetabili, quam minerali & animali congeſſit Matthias Unzerus Tr. *de Nephritid. ſeu Renum Calcul. Lib. II. pag. 148. ſeqq.* it. Gualt. Charlet. *l. a. pag.160. ſeq.* De ſucco ſeu ſynovia Betulæ. vid. Joh. Baptiſt. van Helmont *de Lithiaſ. Cap. VII. §. 24. fol. m. 48.* Charlet. *l. a. p.179. M.N.C. Dec. I. An.3. Obſ. 155. pag. 177.* Robert Boyle *de Utilitat. Philoſ. experim. Exercit. IV. p. 179.*

§. 26.

Amygdalatum. De ſingulari remedio contra calculum hanc Obſervationem communicat Daniel Crugerus *M. N. C. Dec. III. An.7. & 8. Obſ.109. p.176.* Vir ſexagenarius varia remediorum genera a medicis præſcripta adhibebat fruſtraneo ſucceſſu, erat enim prægrandis calculus, ita ut ſanguis quotidie affatim flueret per anum, tandem remediorum pertæſus, tantum propter acrimoniam uſus eſt veſperi ſequenti amygdalato; ℞ Decoct. Hord. ℔ij Amygdalar. dulc. ℥iß. f. l. a. Emulſio, adde panis triticei, quantum placet. Hac cœna contentus veſperi effecit, ut calculus ſenſim diſſolutus intra menſem prodierit; nam ſemper ex illius eſu arenas emolliri animadvertit, & certe flavedo ex corticibus hordei cum amygdalarum oleo in decocto diſſoluta & urinam egregie pellit, & ſal calculum coagulum coagulans diſſolvit. Sed & decoctum foreſti mane continuavit. Et *Obſervat. 116. pag. 186.* idem Autor alia medicamenta pro calculi comminutione adducit.

§. 27.

Autoris Dubium. Cum autem, an in allegatis calculi in veſica diſſoluti exemplis tales reſoluti lapides ſiliceæ duritiei fuerint, nec ne? nemo pro certo affirmare poſſit, liceat mihi ſtatuere, in ejusmodi caſu, ubi veſicæ calculus adhuc mollis, friabilis & tophaceus eſt, talem ſolutionem per idonea medicamenta lithontriptica poſſibilem equidem eſſe poſſe; quodſi vero, calculi veſicæ nimis magni adeoque duri ſunt,

ut

ut nec malleo nec cultro cedant, vel etiam ferro ex iisdem ignis elici queat, tunc ſane eorum diſſolutionem aut comminutionem adeo facilem perſuadere mihi non poſſum; ſiquidem a calculis magnis veſica utplurimum ad crebriorem urinæ excretionem ſtimulatur, ideoque utplurimum urinæ vacua permanet, niſi ipſius orificium a calculo totaliter obſtruatur, ſicque urina penitus ſupprimatur. Quodſi proinde in veſica pauca aut nulla fere urina continetur, quo quæſo modo medicamenta lithontriptica in calculum adeo durum atque interdum nimis magnum, in vacuo veſicæ hærentem, operari eumque diſſolvere poterunt, niſi quis talem operationem a vaporibus aut alio effectu derivare velit; quale exemplum calculi veſicæ ſponte diſſoluti refert Lucas Schrœckius, Lucæ filius, *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 92. p. 239. ſeq.* de vidua quæ poſt perpeſſos aliquot annorum decurſu ingentes a lithiaſi dolores, eorum tandem ſævitia delaſſata nullo remediorum proficiente, gangræna etiam partes obſcænas occupante, anno ætatis ſeptuageſimo ſuccubuit. In hujus demortuo corpore chirurgus veſicæ fundum lividum & anteriorem ejus, partem putridam ac levi manus adpulſu diſruptam, deprehendit, magno fœtore ex ea prodeunte, immiſſamque dextram firmiter adeo obſidente, ut nulla arte elui potuerit, ſed per integrum quatriduum, antequam penitus evaneſceret, adhæſerit. Calculum tamen, quem adeſſe debere, ſigna prægreſſa edocuerant, dictus Schrœckius nullibi invenire potuit, fragmentis ſaltem aliquibus minoribus manui occurrentibus; quæ quidem & ipſa primo ſtatim contactu mox in limum, partim & arenulas ſoluta fuerunt; hinc auram illam ex putreſcente veſicæ ſubſtantia ortam, calculi compagem penetraſſe & diſſolviſſe, ſuſpicatus eſt &c.

§. 28.

§. 28.

Calculi ſeipſos atterunt.

Quandoque etiam nonnulli medici ſeipſos & alios decipiunt, quando nimirum multi, diverſæ ſubſtantiæ, duriores ſcilicet & molliores, diverſæque magnitudinis, calculi veſicæ urinariæ incluſi ſe ipſos inter ſe atterunt, atque vel inſtar magni ſabuli, vel cruſtarum fruſtillatim e veſica excernuntur, quem tamen effectum medicus fortaſſe paucis a ſe exhibitis medicamentis ſic dictis lithontripticis adſcribit; Qualem caſum de mictu calculorum fractorum ſequenti Obſervatione, refert inquiens Nicolaus Tulpius *Obſerv. medic. Lib. IV. Obſ. 36. pag. 351. ſeq.* Thomas Fontanus, ſenex ſumme humanus, exantlatis aliquandiu acerbiſſimis urgentis urinæ cruciatibus, eminxit tandem plurimos calculos, colore varios, & forma moleque diſpares, quorum alii in conſpectum prodiere glabri, ac politi, alii viciſſim angulares vel ſphærici. Imo nonnulli, quaſi ſerrula a ſe invicem præciſi. Quod inuſitatum ſpectaculum eo majorem movit admirationem, quo deinceps excreverit plures, effractorum calculorum cortices; qui æquantes unguem humanum, ſeni ſeptenive ſingulis interdum prodiere diebus. Attonitis interim, & haud parum ſuſpenſis medicis, quo referrent hanc calculos effringendi ac poliendi vim, donec ægro, ob urinæ omnimodam ſuppreſſionem, ad meliorem vitam translato, anatome veritatem, quaſi ex umbra, in claram lucem produxerit. Fluctuabant enim in veſicæ fundo undecim calculi, quorum maximus fragili cortice tectus, quaſi alter Actæon, a continuo inæqualium calculorum occurſu, adeo fuit detritus, ut plurima deinde diſſilierint fragmenta, quæ deinde cum urina emingerentur; præter quem multijugum lapidum fragmentorumque acervum, familiæ ibidem oſtendimus, tres calculos, ſatis inſignes, qui veſicæ tunicis adeo fuere involuti, ut ne lynceis quidem oculis illos perſpexiſſes, niſi ſcal-

ſcalpellum involucra abſtuliſſet, cujus beneficio duos etiam calculos animadvertimus in renibus latentes. Ecquid egiſſes lithotome in hiſce ſyrtibus? obvios forte calculos facile eduxiſſes, at qui eruiſſes tunicis incluſos? Verum enim vero, quam latus hic patuit campus illis, qui nihil non remediis ſuis acceptum ferunt, ſive vere ſive falſo, prædicaſſent quidem ſpecioſe commentitiam ſuam gloriam, ſed quam turpiter deinde aliis ludibrio fuiſſent, veritate ab anatome, e latebris eruta, næ illi in ſpeciem quidem apparuiſſent medici, at revera nugivendi, ac ſycophantæ.

§. 29.

Injectiones in veſicam.

Interdum etiam loco medicamentorum lithontripticorum per os aſſumendorum nonnulli medici per liquoris alicujus in calculoſi veſicam injectionem calculum in eadem comminuere atque elicere tentant. Inquit enim Baldaſſar Timæus a Güldenklee. *Caſ. medicin. Lib. III. caſ. 39. pag. 177.* cum certum ſit liquoribus lithontripticis in veſicam immiſſis, calculum, præſertim ſi non ſit adeo durus, comminui & frangi poſſe, cum nihil virium, ut medicamenta per os aſſumpta, amittant, ſed recta via calculum impetant, commendavi ſequentem mixturam per catheterem veſicæ injiciendam: ℞ Rad. Rubiæ Tinctor. Onon. cum toto, Liquirit. ana ʒvj Herb. Saxifrag. Parietar. Malv. cum toto ana Mj. ſem. Aſparag. Milii ſolis, Urtic. ana ʒiij. Inciſ. coqu. ex ſ. q. aqu. ſimplic ℞ Colatur. ℔jß- add. Succ. Limon. Raphan. ana ℥ij. Ol. ſcorpion. Amygd. amar. ana ℥iß M. Meminit etiam Nic. Chesneau *Obſ. Lib. III. c. 10. p. 346.* ſe legiſſe apud Evonimum, frangendo calculo in veſica arcanum a quodam Germano eſſe inventum, quod per catheterem immiſſum in veſicam id præſtabat, ſed nuper, ut ipſe ait, morte illius amiſſum. Huc pertinet etiam quod refert Anonymus quidam curioſus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 158. p. m. 249. ſeq.* ſcilicet: Petrus Gaſſendus refert, Illuſtr. Peireſcium, Parlamenti Præſidem,

ſed in phyſicis atque medicina inſignem, ſibi calculoſo expetiiſſe a medicis, ſed non obtinuiſſe liquorem, qui veſicæ injectus comminueret calculum. Miror, quod curioſi tam ſalubre remedium nondum indagarint, cum ea, quæ per os aſſumuntur, ad hunc ſcopum, per digeſtiones corporis valde alterari opus ſit, antequam ad veſicam veniant, & ita vires facile perdant. Exiſtimo autem, poſſe parari talem clyſterem calculum comminuentem, ſed ſalvo meliore judicio, puto per experimenta in vitro, cum his conditionibus quærendum liquorem, 1) qui calidæ urinæ in vitro mixtus eam non coagulet, neque efficiat ſedimentum craſſum. 2) Qui calculos injectos absque acri fermentatione diſſolvat. 3) Qui humidæ veſicæ porcinæ injectus eam non corrodat in mucilaginem, quod faciunt acida. 4) Neq; adurat eam, quod alkalia fortia efficiunt. 5) Neq; corrugat vel adſtringat ſphincterem. Non profero tentamina mea, ne politicus interſtrepam medicis. Attamen ſi id perfecte nequeat inveniri facilius exiſtimo parare liquorem, qui canalem & ſphincterem laxet, ut absque noxa per inflatum aërem ita diſtendi absque ruptura queat, ut calculo exitum paret. Et Philippus Sachſius *Schol. in eand. Obſ. p. 250.* inquit, conſentiunt equidem omnes fere medici rationales, calculum veſicæ medicamentis internis diſſolvi non poſſe; pro certo tamen relatum, paucis abhinc annis Pariſiis empiricum liquorem quendam non corroſivum, ſed benignum inveniſſe, in quem qualescunque lapides projecti ſoluti fuerint, & quem ad ſolvendum calculum veſicæ pro injectione feliciter adhibuerit: Nulli vero hoc ſecretum revelaſſe, niſi medico cuidam, qui ipſum gravi morbo detentum ab orci faucibus eripuerit. Forte tam felices erunt poſteri, ut per crebra experimenta tandem certa & tuta hujusmodi inveniri poſſit injectio, quæ ſine veſicæ noxa calculum diſſolutum educeret, & periculoſam non raro lithotomiam, imo feralem, impediret.

INDEX

INDEX AUTORUM.

A.

Acta Anglicana philoſophica Oldenburgii, 4 Lipſiæ 1674.
Acta Eruditorum Lipſienſium, 4 Lipſiæ 1682. ſeq.
Acta Hafnienſia Thomæ Bartholini, 4 Hafn.
- - medica Berolinenſia, 8 Berol. 1707.
Agricola, Georg. de Rebus metallicis, 8 Tiguri 1565.
Albini, Bernh. Siegfr. Suppellex anatom. Academiæ Leydenſis.
Alberti, di Fra Leandro, Deſcrittione di tutta l'Italia, 4 in Venetia 1581.
Ammanni Pauli, Manuductio ad Materiam medicam, 8 Lipſ. 1678.
Amati, Luſitani Curationes medicæ. fol.
Arculani Johannis, Practica. fol.
Ariſtotelis Problemata, in Operib. fol. Baſil. 1542.

B.

Baco de Verulamio. vid. infra Verulamius.
Baglivus, Georg. de Fibra motrice, 8 Londin. 1703.
- - - de Bilis natura. v. de Fibra motrice.
- - - Praxis medica 8 Lugdun. 1700.
Baieri, Joh. Jac. Oryctographia Norica, ſive de Foſſilibus, 4 Norib. 1708.
Baldæi, Phil. Beſchreibung von Malabar und Coromandel, fol. Amſtel. 1697.
Barbette, Pauli, Anatomia practica. vid. ejusdem Opera, 4. Genev. 1682.
- - - de Peſte.
Barckhuſen, Joh. Conr. Pyroſophia, 4 Lugd. 1698.
Bartholini, Thom. Acta Haffnienſia, 4 Hafn. 1663.

Bartholini, Thom. Epiſtolæ medicæ, 8 Hafn. 1663.
- - - Ciſta medica, 8 Hafn. 1662.
- - - Hiſtoriæ anatomicæ, 8 Hafn. 1659.
- - - de inſolitis partus viis, 8 Hafn. 1664.
- - - de Unicornu, 12 Amſterd. 1678.
- - - Anatomia renovata, 8 Lugd. 1673.
- - - Domus anatomica, 8 Hafn. 1662.
Bauhini, Caſp. Theatrum anatomicum, 4 Baſil. 1621.
- - - de Lapide Bezoar. 8 Argent. 1613.
Bauſchius, Joh. Laur. de Hæmatite & Ætite, 8 Lipſ. 1665.
Beckerus, Joh. Conr. de Submerſorum morte ſine pota aqua 4 Jenæ 1720.
Beckheri, Dan. Medicus microcoſmicus, 4 Lugd. 1633.
Becmanni, Chriſtian. Manuductio ad latinam Linguam, 8 Fr. & Lipſ. 1672.
Beguini, Joh. Tyrocinium chymicum, 8 Witteb. 1638.
Behrens, Conr. Barth. Selecta diætetica, 4 Fr. & Lipſ. 1710.
Behrens, Georg. Henr. Beſchreibung des Harzvvalds, 4 Nordh. 1703.
Bellinus, Laur. de Urinis, 4 Franc. 1685.
Bellonii Petri Obſervationes. vid. Cluſii Opera.
Benedictus, Alexander, de Re medica, fol. Baſil. 1549.
Benivenius, Ant. de abditis morborum cauſis. v. Remb. Dodon. Obſerv.
Bergeri, Joh. Gothof. Phyſiologia medica, 4 Witteb. 1702.
Beſchreibung Grönlands, 4 Norimb. 1679.
- - - des Harzvvaldes, 4 Nordhauſen 1679.
Beverovicii, Joh. Spicilegium de Calculo, 12 Lugd. 1641.
- - - Exercitatio de Calculo.
- - - Quæſtiones epiſtolicæ, 8 Roterod. 1665.
- - - Arzney-Schaz der Ungeſundheit, fol. Franckf. 1674.
Bibliotheca anatomica Mangetti & Clerc. fol. Genev. 1688.
Bibliothecæ Noribergicæ memorabilia, 4 Norimb.
Bierlingii, Caſp. Theop. Theſaurus Theoretico-practicus, 4 Jen. 1690.
- - - Adverſaria curioſa, 4 Jenæ 1679.

Binnin-

Binningeri, Joh. Nic. Obſervationes & Curationes medicinales, 8 Montbelg. 1673.
Blancardi, Steph. Anatomia reformata, 8 Lugd. 1687.
- - - Opera medico-theoretico-practica, 4 Lugd. 1702.
- - - Collectanea medico-phyſica, 8 Lipſ. 1690.
- - - Chirurgia. vid. Opera.
- - - Kunſt Cammer der Chirurgie, 8 Hanov. 1700.
- - - Manuductio ad Chymiam, v. Opera.
- - - Anatomia practica, 8 Hanov. 1690.
- - - Praxis der Medicin, 8 Fr. und Leipz. 1690.
Blaſii, Gerard. Obſervationes medicæ, 8 Amſterd. 1674.
- - - Obſervata anatomica, 8 Lugd. 1674.
- - - Annotationes in Veslingii Syntagma anatomicum, 4 Patav. 1677.
Blegny, Nicol. Zodiacus Medico-Gallicus, 4 Genev. 1680.
Blondel, Franc. Deſcriptio Thermarum Aquisgranenſium, 12 Lugd. 1685.
Bockenhoferi. Joh. Joach. Muſæum Brackenhoferianum, 4 Argent. 1677.
Bocconis, Sylv. Curioſe Anmerkungen, 12 Fr. Leipz. u. 1597.
Bodini, Joh. Univerſæ naturæ Theatrum, 8 Hannov. 1605.
Bohnius, Joh. de Officio medici duplici, 4 Lipſiæ 1704.
Boneti Theoph. Medicina ſeptentrionalis, fol. Genev. 1686.
- - - Sepulchretum ſeu Anatomia practica, fol. Genev. 1679.
- - - Polyalthes, fol. Genev. 1691.
- - - Mercurius compitalitius, fol. Genev. 1683.
Borelli, Petri, Hiſtoriæ & Obſervationes medico-phyſicæ, 8 Fr. & Lipſ. 1676.
Borrichius, Olaus, de Uſu Plantarum, 4 Hafniæ 1690.
- - - Conſpectus ſcriptorum chemicorum, 4 Hafn. 1697.
Bourgeois, Louyſe Hebammenbuch, 4 Oppenheim 1619.
Boyle, Robert, de Utilitate Philoſophiæ, 4 Lindav. 1692.
- - - de Athmoſpheris Corporum, Cœl. 4 Genev. 1680.

Brackenhoferi Muſæum, 4 Argentor. 1677.
Bravo de Sobremonte, Caſp. Conſultationes 4 Colon. 1671.
Brendelii, Adam. Obſervationes anatomicæ, 4 Witteb. 1716.
Brunonis, Jac. Pancr. Diſputatio de Medicamentis ex homine deſumptis.
Bruynerius, Joh. de Re cibaria, 8 Lugd. 1560.
Burnetii Theſaurus medico-practicus, 4 Genev. 1698.
Busbequii, Gisleni Epiſtolæ & omnia, 24 Amſtelodami 1660.

C.

Cælii, Ludov. Rhodig. Lectiones antiquæ, fol. Baſil. 1550.
Cæſalpinus, Andr. de Metallicis, 4 Norimb. 1602.
Calceolarii, Franciſc. Muſæum, fol. Veron. 1622.
Camerarii, Eliæ, Medicina conciliatrix, 4 Francof. 1714.
Syſtema Cautelarum medicarum, 4 Fr. 1715.
- - Joh. Rud. Memorabilia Medicinæ, 8 Tubing. 1683.
Capivaccii, Hier. Practica medicinæ, 4 Francof. 1594.
Cardanus, Hier. de Varietate rerum, 8 Baſil. 1581.
Carl, Joh. Sam. Lapis Lydius ad Oſſium foſſilium docimaſiam, 8 Francof. 1703.
Caſatis, Paulus, Diſſertationes de Igne, 4 Francof. & Lipſ. 1688.
Cattieri, Iſ. Obſervationes, vid. Borelli Obſervat.
Celſus, A. Corn. de Medicina, 12 Lugd. 1665.
Charleton de Spiritu Gorgonio, ſ. de Lithiaſi, 8 Lugd. 1650.
Charriere, Joſeph de la, Nouvelles Operations de Chirurgie, 12 a Paris 1692.
Chemia rationalis, 4 Lugd. 1687.
Cheſneau, Nicol. Obſervationes medicinales, 8 Pariſ. 1673.
Chiocci, Andr. Muſæum Calceolarianum, fol. Veron.
Chriſtini, Bernh. Prattica medicinale, 4 in Vineg. 1680.
Clauderi, Gabr. Methodus balſamandi Corpora, 4 Altenb. 1679.
de Clerc, la Chirurgie complete, 12 a Paris 1695.
Cluſii, Caroli, Exotica, fol. Antvverp. 1605.
Cneuffelius, Andr. de Podagra curata, 12 Gorlic. 1640.
Coiteri, Volcheri, Obſervationes, fol. Norimb. 1573.
Collectanea chymica Leydenſia, 8 Lugd. 1693.
- - - de diuturna graviditate, 24 Amſtel. 1662.

Colum-

Columbus, Realdus, de Re anatomica, 8 Francof. 1593.
Commelini, Joh. Hortus medicus Amſtelodamenſis, fol. Amſtel. 1697.
Conringii, Herm. Diſputatio de Calculo, 4 Helmſt. 1656.
Cordæus in Hippocratem, v. Spacchii Gynæc.
Cornari, Diomedis, Conſilia medicinalia & Obſervationes, 4 Lipſ. 1599.
a Coſta de Aromaticis, v. Cluſii Exotica.
Craan, Theodori, Diſſertatio de Homine, 4 Lugd. 1689.
- - - Oeconomia animalis, 8 Amſterd. 1703.
Crameri, Caſp. Collegium Chymicum cum Juſti Veſti Obſervationibus, 4 Franc. & Lipſ. 1688.
Crollii, Osvvaldi, Baſilica chymica, 8 Colon. 1661.

D.

Daelmann, Ægid. Praxis medica, Heilkunſt, 8 Franckf. 1695.
Dale Salomon Pharmacologia, 8 Bremæ 1690.
Dekkers, Fred. Exercitationes practicæ, 4 Lugd. 1694.
Deodati, Claudii, Pantheum hygiaſticum, 4 Brunruti, 1628.
Deuſingius, Ant. de Fœtu Muſſipontano, vid. Sinibaldi Geneanthrop.
de Diemerbroc, Isbrandi, Anatomia Corporis humani, fol. Ultraj. 1685.
Dionis Petri, Cours d'Operations de Chirurgie, 8 a Brûxelles 1707.
Diverſi, Petri Salii Annotationes &c. 8 Herderov. 1656.
Dodonæi, Remberti Obſervationes medicinales, 8 Colon. 1581.
- - Annotationes in Benivenii, 8 Colon. 1581.
Dolæi, Joh. Encyclopædia medicin. 8 Francof. 1684.
- - - de Furia Podagræ lacte victa, 12 Amſtelod. 1705.
- - - Epiſtolæ ad Waldſchmidium, 4 Francof. 1689.
Donatus, Marcellus, de Hiſtoria medica mirabili, 8 Francof. 1613.
Drelincurtius Carolus de Lienoſis, 8 Lugd. 1711.
- - Præludium anatomicum, 12. 1672
Dureti, Ludov. Scholia in Jac. Hollerium de morbis internis.

E.

E.

Ephemerides Academiæ Naturæ Curioſorum, 4.
- - - Eruditorum Frider. Nitzſchii, 8 Lipſ. & Fr. 1671.
Erndelii, Chr. Henr. Itinerarium Anglicum &c. 8 1710.
Erzeugung der Menſchen, 8.
Eſtanoe Obſervationes vid. Laz. Riverii Obſervation. commun.
Ettmülleri, Mich. Opera fol. Francof. 1695.
Euſtachii, Barthol. Opuſcula anatomica, 8 Lugd. 1697.

F.

Fabri, Petri Joh. Opera, 4 Francof. 1656.
Fabricii, Guilh. Hild. Lithotomia veſicæ, 4 Baſil. 1628.
- - - Opera omnia fol. Francof. 1646.
Fabricii, Hier. ab Aquapendente Opera chirurgica fol. Patav. 1666.
Fallopius Gabr. de Metallis vid. Opera omnia fol. Francof. 1600.
- - - de Thermalibus aquis vid. Opera
Faventini, Leonelli, Practica medicinalis, 12 Helioſ. 1593.
Febure chymiſcher Handleiter 8 Nürnberg, 1685.
Fehrii, Joh. Mich. Anchora ſacra de Scorzonera, 8 Jenæ 1666.
- - - Hiera piera de Abſinthio, 8 Lipſ. 1667.
Fernelii, Joh. Univerſa medicina cum notis Heurnii, 4 Traject. 1656.
Fieni Thomæ Libri XII. Chirurgici, 4 Francof. 1669.
Fiſcheri, Lævini, Corpus medicinæ imperiale, 3 Hermipol. 1687.
Fontanus, Nicol. de morbis mulierum, 12 Amſterd. 1644.
Foreſtus, Petrus, de incertitudine judicii urinæ, vid. Opera fol. Francof. 1602.
Fragoſi, Joh. Hiſtoria aromatum, fructuum &c. 8 Argent. 1601.
Franci, de Franckenau, Georgi, Satyræ medicæ XX. 8 Lipſiæ 1722.
- - - Oratio de ſtudiorum noxa. ibidem
Freind, Joh. Hiſtoria medicinæ.
Friccii, Melchioris, Icon Podagræ, 12. 1693.

G.

G.

Gaſſarelli, Jacobi, Curioſitates inauditæ 8 Hamburg. 1678.
Garmannus, Chriſt. Frid. de miraculis mortuorum, 4 Dreſd. & Lipſ. 1709.
- - - Epiſtolæ 8 Roſtoch. & Lipſ. 1715.
Garzias ab Horto de Hiſtoria Aromatum in Cluſio.
Gaſſendi, Petri, Deſcriptio vitæ Nicolai Claud. Fabricii de Peireſc. 12 Hagæ 1651.
Gerbezii, Marci, Chronologia medico practica, 4 Francof. 1713.
Gesneri, Conradi, Hiſtoria animalium, de Quadrupedibus, fol. Tiguri, 1651.
Geyeri, Joh. Dan. Triga medica, 4 Francof. 1687.
Gresvvein, Joh. Phil. de Materia medica, 8 Francof. 1676.
Il Giornale de' Letterati per l'Anno 1686 & 1687. 4.
Gladbach, Joh. Bernh. Praxis medicæ Idea noviſſima, 8 Herborn. 1694.
Gliſſonus, Franc. Anatomia Hepatis, 12 Amſteld. 1655.
Gockelius, Eberh. von Beſchreyen und Verzauberung, 8 Frf. u. Leipz. 1699.
Gockelii, Eb. Gallicinium ſeu Conſilia & Obſervationes, 4 Ulmæ 1700.
Goelicke, Andr. Ottom. Hiſtoria Anatomiæ nova & antiqua, 8 Halæ 1713.
- - - Chirurgiæ antiqua rec. 8.
Gorræi, Joh. Definitiones medicæ, fol. Lutet. 1569.
Graaf, Regnerus, de Mulierum organis vid. Opera, 8. Lugd. 1677
- - - de ſucco pancreatico.
Grabæ, Joh. And. Elaphographia ſive Cervi deſcriptio, 8 Jen. 1668
Græbneri, David, Medicina vetus reſtituta, 4 Lipſ. 1678.
Grembs, Franc. Oſvv. Arbor integra & morboſa hominis, 4 1671
Grimberg, Nic. von Nieren- und Blaſenſtein, 8. Hafn. 1695.
Grœnlands Beſchreibung, 4 Nürnberg, 1679.
Grube, Herm. de Medicamentis ſimplicibus, 8 Hafn. & Franc. 1669
- - - de Malo citreo, 8 Hafn. 1668.
Guiberti, Philip. Medicus officioſus, 8 Pariſ. 1649.
a Güldenklee, Bald. Timæi, Opera medico practica, 4 Lipſ. 1677.

H.

Hagendornii, Ehrenfr. Hiſtoriæ medico-phyſicæ, 8 Rudolphſt. 1690.
- - - Cynosbatologia 8 Jenæ 1681.
Hannæi Diſputatio de Herniis.
Harderi, Joh. Jac. Apiarium ſeu Obſervationes, 4 Baſil. 1687.
- - - Epiſtola de Rupicapris M. N. C. Dec. II. An. 1, Append.
Hartnaccii, Dan. Admiranda Phyſica, 8 Fr. & Lipſ. 1684.
Harvæi. Gedeon. Ars curandi morbos expectatione, 8 Amſtelod. 1695.
Havers, Clopton Oſteologia nova, 8 Franc. & Lipſ. 1692.
Hayne, Joh. de Morbis tartareis, 8 Fr. 1681.
Heer, Henr. ab, Obſervationes medicæ, 12 Lugd. 1685.
- - - Spadacrene, 12 Lugd. 1685.
Heiſters, Laurentii, Chirurgie, 4 Nürnb. 1719.
Hellvvigii, Joh. Obſervationes Phyſico Medicæ, 4 Auguſt. 1680.
Helmont, Joh. Bapt. van, Opera, fol. Lugdun. 1667.
Helvetii, J. Frid. Diribitorium medicum, 8 Amſtelod. 1670.
Hennini, Henr. Chriſt. Annotationes in Jac. Tollii Epiſtolas itinerarias, 4 Amſtel. 1700,
Hertodt, Joh. Frid. Tartaro-Maſtix. Moraviæ, 8 Viennæ 1669.
Heurnii, Ottonis, Obſervationes v. Joh. Fernel. Opera in 4.
Hippocratis Opera in folio, Baſil. 1536. Editio Foeſii.
Hiſtoria Academiæ regiæ ſcientiarum Pariſienſis Anno 1699. 1700. 8. Lipſiæ 1715.
- - - Morborum Vratislavienſium An. 1700. ſeq. 4 Vratisl. 1706.
- - - - - An. 1702. - - - 1710.
Hœchſtetteri, Philip. Obſervationes medicinales, 8 Frf. & Lipſ. 1674.
Hœferi, Wolfg. Hercules medicus, 4 Norimb. 1675.
Hoffmanni, Frid. Clavis Schrœderiana, 4 Halæ 1681.
- - - - Cardianaſtrophe, ſeu Cordis inverſio, 4 Lipſ. 1671
- - - - Annotationes in Petri Poterii Opera medico chymica, 4 Francof. 1698.
- - - - Methodus medendi, 4 Lipſ. 1678.

Hoffmanni, Frid. Medicina rationalis ſyſtematica, 4 Halæ 1718. ſq.
- - - Obſervationes chymico-phyſicæ, 4 Halæ 1722.
- - - Joh. Mauritii Diſquiſitio Corporis humani anatomico pathologica, 4 Altdorf. 1713.
Hofmanni, Caſpari, Paralipomena officinalia, in Operib. med. 4 Francof. 1667.
Hollerius, Jacob. de morborum internorum curatione, 8 Pariſ. 1567.
- - - Commentarius in Aphoriſmos Hippocratis, 8 Lipſ. 1597.
Horne, Joh. van, Opuſcula anatomico-chirurgica, ſive Macrocoſmus & Microtechne, cum Annotat. J. Guil. Pauli, 8 Lipſ. 1707.
Hornii, Georgii, Hiſtoria naturalis, 12 Lipſ. 1671.
Hornungi, Joh. Ciſta medica, 4 Norimb. 1625.
Horſtii, Gregor. Opera medica omnia, fol. Norimb. 1660.
- - Joh. Danielis, Manuductio ad Medicinam, 12 Ulmæ 1660.
- - - - Phyſica Hippocratica, 8 Franc. 1682.

I.

Joelis, Franc. Opera medica, 4 Roſtoch. 1630.
Jonſtoni, Joh. Syntagma univerſæ medicinæ, 8 Vratisl. 1673.
- - - Noticia Regni mineralis, 12 Lipſ. 1661.
Journal des Savans, 12 a Amſterd.
Juncken, Joh. Helfr. Chymia curioſa experimentalis, 8 Franc. 1681
- - - - Lexicon Pharmacevticum, 8 Norimb. 1691

K.

Kæmpfferi, Engelberti, Amœnitates exoticæ, 4 Lemgo 1712.
Kentmannus, Joh. de Calculis in Corpore humano, 8 Tig. 1651.
Kerckringii, Theod. Spicilegium anatomicum, 4 Amſtelod. 1670.
Khunrathi, Conr. Medulla deſtillatoria curioſa, Frf. & Lipſ. 1703.
Klaunigii, Godofr. Noſocomium Charitatis ſive Hiſtoriæ medicæ, 4 Vratislav. 1718.
Kœnig, Emanuel, Regnum animale, 4 Colon. 1682.
- - Selectus remediorum, 4.

Kozack, Joh. Sophronii, Tractatus de Sale, 4 Francof. 1663.
Kruger, Berthold. Anatomicus curioſus Θεοδίδακτος, 4.

L.

Lamzvverde, Joh. Bapt. Hiſtoria molarum uteri, 8 Lugd. 1686.
Lancilotto, di Carolo, Nuova Guida alla Chimica, 12 in Venetia 1682.
Langii, Chriſtiani, Pathologia animata. v. Opera omnia, 4 Frf. 1688.
- - - Diſſertatio de Acidulis.
- - - Miſcellanea curioſa medica, 4 Francof. 1666.
- - Chriſtiani Johannis, Opera medica, fol. Lipſ. 1704.
- - Johannis, Epiſtolæ medicinales, 8 Hanov. 1605.
Lanzon, Joſeph. Scholia in Moinichen Obſervationes, 12.
Largi, Scribonii, Compoſitiones medicæ, 4 Patav. 1655.
Laurembergii, Guiliel. Deſcriptio Ætites, 12 Roſtoch. 1627.
Laurentii, Georg. Frid. Exercitationes in Aphoriſmos Hippocratis, 8 Hamb. 1647.
Leauſon, Frid. de, Methode des Operations de Chirurgie, 8 Genev. 1674.
Leibnizii, Joh. Jac. Memorabilia Bibliothecæ Norimbergenſis, 4 Norimb. 1674.
Lemnius, Levinus, de occultis Naturæ miraculis, 12 Francof. 1600.
Lentilii, Roſini, Miſcellanea medico-practica, 4 Ulmæ 1698.
- - - Jatromnemata theoretico-practica, 8 Stutgard. 1712.
Libavii, And. Syntagma Arcanorum chymicorum, fol. Frf. 1603.
Liſter. Mart. Deſcriptio Thermarum & fontium Angliæ, 12 Lond. 1686.
Lommii, Jodoci, Obſervationes medicinales, 12 Frf. & Lipſ. 1688.
Loſſii, Frid. Conſilia ſeu de Morborum curatione, 8 Lipſ. 1685.
Lovveri, Richard. Engliſches Arzney-Büchlein, 8 Leipz. 1702.

M.

Maets, Carol. Prodromus Chymiæ rationalis, 8 Lugd. 1684.
Majoli, Simonis, Dies caniculares. fol. Francof. 1642.

Major,

Major, Joh. Dan. de Cancris & ſerpentibus petrefactis, 8 Jenæ 1669.
- - - Memoria Sachſiana.
Malpighius, Marcellus, de Structura Viſcerum, 12 Francof. 1678.
Mandelslovv, Joh. Albr. Perſianiſche Reiſe. v. Olearii Reiſen, fol.
Mangette. S. Annotationes in Pauli Barbette Praxin.
Marggravii, Georg. Hiſtoria Rerum naturalium Braſiliæ, fol. Lugd. 1648.
- - Chriſtian. de Materia medica contracta, 4 Amſt. 1687.
Martini, Henr. Anatomia Urinæ, 12 Francof. 1658.
Marxens, Joh. Jac. Material-Cammer, 4.
Matthæi, Joh. Quæſtiones medicæ & jucundæ, 8 Francof. 1603.
Matthiæ, Dan. Benon. Obſervationes, 12.
Matthioli, Petr. And. Epiſtolæ in Operib. Dioſcord. fol. Baſil. 1674.
Meekren, Job. a, Obſervationes Medico-Chirurgicæ, 8 Amſtel. 1682.
Memoires concernans les Arts & les ſciences, 12 a Bruxelles 1684.
Memorabilia Bibliothecæ Norimbergenſis, 4 Norimb. 1674.
Mercklini, Georg. Abrah. Sylloge Caſuum de Incantatione, 4 Norimb. 1698.
Mercurialis, Hier. de Excrementis, 4 Venet. 1625.
Mercy, Jean, Obſervations de Tailler de Frere Jacque.
Mermanni, Thomæ, Conſultationes. fol. Ingolſt. 1675.
Metzger, Diſputatio de Lithotomia, 4 Tubing. 1680.
Minderetus, Raymund, de Peſtilentia, 8 Auguſta.
Miſcellanea Naturæ Curioſorum, 4.
Mizaldus redivivus, 12 Norib. 1681.
Mœbii, Gothofr. Epitome Inſtitutionum medic. 4 Jenæ 1690.
- - - Fundamenta phyſiologica, 4 Jenæ 1661.
Mœllenbroc, Valent. Andr. de Varis & Arthritide, 8 Lipſ. 1672.
a Moinichen, Henr. Obſervationes medico-chirurgicæ, 12 Dreſdæ 1691.
Monardi, Nicol. Hiſtoria ſimplicium Medicamentorum. v. Cluſ.
Montui, Hier. Anaſceve morborum, 8 Lugd. 1560.
Morton, Rich. de Phthiſi, vid. ejusdem Opera medica, 8 Amſt. 1696.
Mundius, Henr. de Aere vitali, 8 Fr. & Lipſ. 1685.

Reies, Caſp. a Campus Elyſius jucundarum Quæſtionum, 4 Francof. 1670.
Renodæi, Joan. Diſpenſatorium de materia medica, 4 Frf. 1615.
Reverhorſt, Maur. Dan. de Motu bilis circulari, 8 Lugd. 1696.
Rhodii, Joh. Obſervationes. vid. Petri Borelli Obſervat.
Rhyne, Wilh. de Promontorio bonæ ſpei ſeu de Hottentottis, 8 Scafuſi 1686.
Riccio, Archangelo, Il Teſoro delle Gioie, 8 in Venet. 1662.
Riedlini, Viti, Lineæ medicæ, 8 Auguſt. 1705. ſq.
- - - Millenarius curarum medicarum, 4 Ulmæ 1709.
- - - Obſervationum medicarum Centuria, 12 Auguſt. 1682.
- - - Parentis, Obſervationum Centuriæ tres, 12 Auguſt. 1691.
Riolani, Joan. Anthropographia, ſ. Opera Anatomica, fol. Luter. 1649.
- - - Enchiridion anatomicum pathologicum, 8 Lipſiæ 1674.
- - - Animadverſiones in Veslingii Syntagma.
Riverii, Lazari, Praxis medica, 8 Lugdun. 1660.
- - - Obſervationes medicæ, 8 Hag. 1659.
Riverius reformatus, 8 Genev. 1691.
Rivini Cenſura Medicamentorum, 4 Lipſiæ 1701.
Rochefort, de, Beſchreibung der Antillen-Inſeln, 12 Frf. 1668.
Rolfincius, Guernerus, de Vegetabilibus, 4 Jenæ 1670.
- - - Epitome Methodi cognoſcendi Corpori affectus, 4 Jenæ 1675.
Roonhuyſen, Heinrich von, Hiſtoriſche Heilcuren, 8 Nürnb. 1674.
Roſſetus, Franc. de Partu cæſareo, 8 Francof. 1601.
Rufi, Henrici, Obſervatio Riverio communicatæ.
Ruyſchii, Frid. Obſervationes anatomico-chirurgicæ, 4 Amſt. 1691.
- - - Theſaurus anatomicus, 4 Amſtel. 1701. ſq.

S.

Sacchi, Pompeji, Iris febrilis, 8 Genev. 1685.
Sachſii, Phil. Jac. Gammarologia ſeu de Cancris, 8 Fr. & Lipſ. 1663.

Sachſii,

Sachſii, Phil. Jac. Oceanus macro microcoſmicus, 8. Vratisl. 1664.
- - - Diſſertatio de miranda Lapidum natura. v. Major de Cancris.
Salmuth, Henr. Annotationes in Pancirollum de Rebus memorabilibus, 4.
- - Philippi, Obſervationes medicæ, 4 Brunſvig. 1648.
Salzmanni, Joh. Rud. Obſervatio anatomica, 12 Amſtelod. 1669.
Sandris, Jacob de, de Sanguinis ſtatu, item de Ventriculo, 8 Franc. 1712.
Scaliger, Jul. Cæſ. de ſubtilitate, 8 Hanoviæ 1634.
Scharffius, Benjamin, de Junipero, 8 Jenæ 1679.
Schenckii, Joh. Obſervationes medicæ, fol. Francof. 1665.
- - - Joh. Georg. Hiſtoria monſtrorum, 4 Francof. 1609.
Schenfelderi, Phil. Jac. Hiſtoriæ, Enarrationes & Curationes, 8 Ratisb. 1681.
Schirlæus, Thom. de Petrificatione & Lapidibus, 8 Hamb. 1675.
Schneider, Conr. Victor. de Catarrhis, 4 Witteb. 1660. ſq.
Scholzii, Laurent. Conſilia medicinalia, fol. Hanov. 1610.
Schotti, Caſp. Anatomia Fontium ac Fluminum, 8. Herbipol. 1663.
Schraderi, Juſti, Obſervationes & Hiſtoriæ, 12 Amſtelod. 1674.
Schrœderi, Joh. Pharmacopæa medico-chymica, 4 Ulmæ 1685.
Schrœckii, Lucæ, Scholia in Helvvigii Obſervationes. v. Helvvig.
Schurigii, Mart. Urologia.
Schuyl, Florent. pro veteri Medicina, 12 Lugd. 1670.
Schvvenckfeld, Caſp. Theriotrophæum Sileſiæ, 4 Lignicii 1603.
Scriptura Sacra.
Sculteti, Joh. Armamentarium chirurgicum, 4 Francof. 1666.
Semmedi, Joh. Curvi Hiſtoria Simplicium ex America, 4 Viteb. 1722.
Sennerti, Dan. de Chymicorum & Ariſtot. Conſenſu, 4 Frf. & Witteb. 1655.
- - - Practica Medicinæ, 4 Witteberg. 1658.
- - - Inſtitutiones medicæ, 4 Witteb. 1667.
Septalii, Ludov. Animadverſiones & Cautiones medicinæ, 8 Dordrecht. 1650.

Senguerdius, Arnoldus, de Oſtento Doletano, 24 Amſtelod.
Severinus, Marcus Aurel. de recondita Abſceſſuum natura, 4 Franc. 1643.
- - - - de efficaci Medicina, fol. Francof. 1671.
Sinibaldi, Joh. Bened. Geneanthropœia ſeu de Generatione, 4 Francof. 1669.
Solenandri, Reineri Conſilia medica, fol. Hanov. 1605.
Solingen, Cornelis, Operatien der Chirurgie, 4 t'Amſterd. 1684.
- - - item Wundarzney, Frf. an der Oder 1693.
Solini, Jul. Polyhiſtor ſ. Collectanea Rerum memorabilium, 8 Gothæ 1665.
Spachii, Iſrael, Gynæciarum Libri fol. Argent. 1597.
Spindleri, Pauli, Obſervationes medicinales, 4 Frf. 1691.
Stahl, Ge. Ern. Diſputatio de nova Pathologia Calculi, 4.
Stalpart, Cornel. Obſervationes medicæ, 8 Lugdun. 1687.
Steinii, Gothofr. Lithographia curioſa, 8 Baruthi 1703.
Stiſſeri, Joh. And. Laboratorium Chymicum, 4 Helmſt. 1693.
Strauſſii, Laurentii, Palæſtra medica, 8 Giſſæ 1686.
Sylvii, Franc. Opera medica, 4 Amſtelod. 1680. & fol. Avenione 1680.

T.

Tachenii, Otton. Hippocrates Chymicus, 12 Lugd. 1671.
Tackii, Joh. Triplex Phaſis Sophicus, 4 Francof. 1673.
Tavernier, Joh. Bapt. Reiſebeſchreibung, fol. Nürnb. 1680.
Thevenot, Reiſen in Europa, Aſia und Africa, 4 Franckf. 1693.
Thomſon, Georg. Chymiatrorum Acus magnetica, 12 Franc. 1686.
Thoneri, Auguſtin. Obſervationes medicinales, 4 Ulmæ 1651.
Tidicæi, Franc. Microcoſmus, 4 Lipſ. 1615.
Tilingius, Matthias, de Febribus petechialibus, 8 Fr. 1686.
Timæi, Bald. a Güldenklee, Opera medico practica, 4 Lipſ. 1677.
Tolet, de la Lithotomie, 12. Editio Germanica.
Tollii Epiſtolæ itinerariæ, 4 Amſterd. 1700.
Tulpii, Nic. Obſervationes medicæ, 8 Amſterd. 1652.

U. V.

U. V.

Unzerus, Matthias, de Nephritide ſeu Calculo Renum, 4 Halæ 1614.
Valentini, Mich. Bernh. Praxis Medicinæ infallibilis, 4 Franc. 1711.
- - - Chirurgia, 4 Francof. 1715.
- - - Polychreſta, 4.
- - - Noſocomium academicum.
Vallisneri, Antonio de' Corpi marini. 4 in Venezia, 1721.
a Veiga, Theod. Rod. Opera omnia in Galenum, fol. Lugd.
Velſchius, Georg. Hier. de Ægagropilis, 4 Auguſt. 1660.
- - - - Sylloge Curationum, Epiſagmata, 4 Auguſt. 1667.
- - - - Curationes propriæ & Conſilia, 4 Auguſt. 1668.
- - - - Conſilia Medicinalia, 4 Auguſt. 1698.
- - - - Hecatoſteæ duæ Obſervationum phyſico-medicarum, 4 Aug. 1675.
Venette, Pier. des Pieres.
Verduc, Jean Baptiſte, des Operations de Chirurgie, 8 a Paris 1694.
- - - - Suite de la Pathologie.
Verduin, Petr. Hadriani, Operationes Chirurgicæ, 8 Lugd. 1693.
Verulamii, Bacon. Sylva ſylvarum ſ. Hiſtoria naturalis, 12 Amſterd. 1661.
Verzaſchæ, Bernh. Obſervationes medicæ, 8 Amſterd. 1677.
Veſalii, Andr. Anatomia ſ. de Fabrica Corporis humani, fol. Venet.
Veſlingii, Joh. Syntagma anatomicum, 4 Patavi 1647.
Veſti, Juſti, Obſervationes in Crameri Collegium Chymicum.
- - - Diſputatio de Magnetiſmo.
Vieuſſens, Raym. de novis Vaſis Corporis, 8 Amſterd. 1705.
Viridetus, Joh. de prima Coctione, 8 Genev. 1681.
Voglerus, Valent. Henr. Commentaria Diætetica, 4 Helmſt. 1667.

W.

Waldſchmidii, Joh. Jac. Inſtitutiones Medicinæ, 8 Lugd. 1689.
- - - - Praxis Medicinæ, 8 Francof. 1691.
- - - Huldericus, de Superfoetatione, 4.
Warlizii, Chriſt. Muſæum curioſum Gottf. Nicolai, 4 Witteb. 1702.
Wedelii, G. Wolffg Pathologia medico-dogmatica, 4 Jen. 1692.
- - - Exercitationes medico philologicæ, 4 Jen. 1686.
- - - - - ſemiotico pathologicæ, 4 Jen. 1700.
Weickardi, Arnold. Theſaurus pharmacevticus, fol. Frf. 1626.
Weickmanns, Joach. Bericht von Joh. Schuders Tode, 4.
Wepfferi, Joh. Jac. Obſervationes anatomicæ de Apoplexia, 8 Scafh. 1658.
Wiel, Stalpart van der, Obſervationes, 8.
Williſii, Th. Opera omnia, 4 Lugd. 1681.
Wolffii, Ido, Obſervationes Chirurgico-medicæ, Quedlinb. 1704.
Wolffs, Jacob. Scrutinium amuletorum medicum, 4 Lipſ. & Jenæ 1690.
Wormii, Olai, Muſæum, ſ. Hiſtoria rerum naturalium, 4 Hafn. 1655.

Z.

Zacuti, Luſitani, Opera, fol. Lugd. 1649.
Zapatæ, Joh. Bapt. Mirabilia ſive Secreta medico chirurgica, 8 Ulmæ 1696.
Zimaræ, Marc. Anton. Antrum magico medicum, 8 Frf. 1628.
Zobelii, Frid. Mediciniſche Chymiſche Perl, 8 Dresden 1701.
Zvvelfferi, Joh. Pharmacopœa Auguſtana, fol. Norimb. 1675.

LITHO-

LITHOLOGIÆ
INDEX RERUM.

A.

Abdominis tumor a calculis 441
ex abdomine Calculi 204 ſqq.
Abies in lapides converſa 55
Abſceſſus in corde 126
- in epate 128 ſq.
- in inguine 446
- ſub lingua 110 ſq.
- in lumbis 447
- in meſenterio 448
- in pede 448
- in renibus 753. 757
- in umbilico 448
Abortus frequens 88. 364 ſq.
Acicula in calculo reperta 399 ſq.
Acum circa calculus 401
Acus crinalis deglutita per veſicam extracta 401
Acus ſutoria in calculo 403. ſq.
Adamas in ſmaragdo 399
in Adamantem converſum cranium humanum, panis & lignum 65
Ægagropilæ in rupicapris 488
Ætites prægnans 488
in Agno lapides 502
Alimenta in lapides mutata 85. ſq.
Alvi obſtructio a calculo 441
Amethyſtus in cryſtallo 399
in Amnio calculi 212
Amygdalatum ad calculum 846
Analyſis chymica calculi 764 ſq.
Ananas contra calculum 841
Anhelitus difficilis a calculo 424
per ani fiſtulas calculi 225. ſq.
per anum calculi excreti 153. ſqq.
Anſerina contra calculum 832
Anxietas cordis a calculo 423. ſq.
in Aorta calculi 218. ſq.
Apoplexia a calculo 421
Apparatus major pro ſectione calculi 630
- ejusdem methodus 647. ſq.
- minor 630. 637. methodus 637. ſuſpectus 644
- ſummus 633. ſqq.
Aqua ſola an cauſa calculi 34
- - cauſa tophorum 51
- - fontis pota in ventriculo coagulata 47
Aquæ incruſtantes 50. ſq.
lapidificæ 44. 53. 60
petrefactæ 44. ſq. 46
Arbores in lapides mutatæ 55. 57. 59
in Ariete Islandico calculi 488
Arteria magna nimium extenſa 241
in arteria aſpera calculi 115
in arteriis calculi 228
Arundelii, comitis, calculi magni 459. ſq.
Aſelli contra calculum 829. ſq 839
in Aſino calculus 479
Aſparagus cauſa calculi 42
Aſthma a calculo 117. 119. 121. 424
Atrophia a calculo pulmonum 118. 147
Aves cum nido in lapides converſæ 57
in Aure calculus 102
Aurum in lapidem converſum 60
Avtolithotomia 621. ſq.

B.

Baccæ juniperi in calculo 410
Bacillus in calculo 404
Baſis calculorum 394
Bardanæ ſemen contra calculum 828
Baumanni crypta 49
Bedegar quid ſit? 829
Betulæ folia in lapides converſa 54

Bezoar lapis, vid. Lapis bezoar.
ex oculis cervi 483. ſq.
ex elephanto 501
Bilis nulla reperta 138. 240
in bobus calculi 466
Borrichius, Olaus, poſt Lithotomiam mortuus 454
Bovis cerebrum petrefactum 66. 468
Brachium petrefactum 69
in brachio calculus 222
Bruta an calculo laborent 463
in brutis calculi 462. 479 ſq.
Bryoniæ radix lapidefacta 57
in bufonibus lapis 514. an detur? 516
Bulithi 466. 469 ſq.

C.

Cachos planta in Peru contra calculum 826
Cadavera petrefacta 78 ſq.
Calculus an dicendus lapis 2
in calculo 396 ſq.
magnus profiliens 581
Calculi etymologia 1
generatio 2
Calculi cauſa an pituita 3
- - an particulæ terreſtres 6. 18
- - an panis 41 ſq.
- - an tartraus 6. ſq
- - an ſalia 9. 19
- - an acidum & alcali 2
- - an ſpiritus lapidificus? 22
- - an ſpiritus urinæ 31
- - an aqua ſola 34
- - an renuni conſtitutio 30
- - an conſtellatio certa 33
- - an calor 34
- - an defectus particularum oleoſarum 29
- - an vina acida 43
- - an caſeus 39
- - an calx viva 40
- - an hæreditarii 86. 460. ſq.
Calculi in variis partibus 90. ſq.
in brachio 222
- - Calculi per alvum excreti 153. ſqq. 161. 165. ſq.
- - ex abdomine 214
- - in arteria aſpera 115
- - in arteriis 228
- - per ani fiſtulas 225
- - in aure 102 250
- - in cerebro 90. ſq. 250
- - in collo 220
- - in corde 123. ſq. 125. 332
- - in corde cervi 127. 480
- - in corde tauri 470
- - in corpore glandoſo 208
- - in cubito 222
- - in dentibus 113. ſq.
- - in digitis 222
- - in ductibus ſalivalibus 111
- - in ductu cholidocho 142
- - in epate 128. ſq.
- - in femore 223
- - in fronte 97
- - in genu 224
- - in glandulis 233
- - in glandula lacrymali 110
- - in glandula pineali 92 ſq. 250
- - in gutture 105
- - in hepate 332. 379
- - in humero 222
- - ex inguine 217. ſq.
- - in inteſtinis 153. ſqq.
- - in labio 104
- - in liene 144
- - ſub lingua 107. 112. ſq.
- - in linguæ ſubſtantia 110. ſq.
- - per lumbos 225
- - circa malleolum 224
- - in mammis 222
- - in maxilla 105
- - in meningibus 95
- - in meſenterio 147. ſq.
- - in naribus 101
- - in nervis opticis 100. 250
- - in oculo 97. ſq.

Calculi in oculi angulo 250
- - in omento 149. ſq.
- - in palato 104
- - in palpebra 101
- - in pancreate 145. ſq 459
- - in parotide 103. ſq.
- - in patella 224
- - in pectoris cavitate 127
- - in pene 190. 194. ſq.
- - in pericardio 123
- - per perinæum 204
- - in peritonæo 149
- - inter peritonæi duplicaturam 291. 441
- - in pulmonibus 116. ſq.
- - in renum ſubſtantia 169
- - in ſanguine 217.
- - in ſanguine menſtruo 232
- - in ſcroto 199. ſq.
- - in ſecundinis 211. ſq.
- - in ſudore 234
- - in ſuperciliis 101
- - in temporibus 219
- - in teſticulo 203
- - in tonſillis 106
- - in tumoribus inſaccatis 227
- - in umbilico 213
- - per urachum 213
- - in ureteribus 87. 171. 218. ſq.
- - in urethra 87. 190
- - in utero 208
- - in ventriculo 150. 152 ſq.
- - veſicæ adnati & inter tunicas 87. 704. 137. 178. 181
- - in veſicula bilis 132. ſq.
- - in veſiculis ſeminalibus 206
Calculi veſicæ an in renibus an veſica oriantur? 182. ſqq 188. ſq.
Calculi in brutis & aliis animalibus
- - in agno 502
- - in ariete Islandico 488
- - in aſino 479
Calculi in bobus 331. 341. 466
- - in bufonibus 514
- - in cane 504 293. 396
- - in capreolis 488
- - in caſtore 502
- - in catello 293
- - in cervo 480
- - in ciconia 520
- - in corvo 519
- - in crocodilo 506
- - in elephanto 501
- - in equis 473
- - in gallina 381. 518
- - in hiſtrice 493
- - in iguana 508
- - in leone 500. ſq.
- - in lupo 505
- - in mulo 479. ſq.
- - in mure 505. ſq.
- - in ovibus 502
- - in porcis 493
- - in ſerpentibus 508. ſqq.
- - in ſimiis 503
- - in tauris 470. ſq.
- - in vaccis 321. 376. 467
- - in vermis ore 241
- - in urſo 502
Calculo veſicæ extincti infantes 87. 459
- - non laborare Sinenſes 462
in calculo foramen per quod urina profluxit 170. 371. ſq.
Calculorum baſis 394
- - inteſtinalium generationis locus 243. ſq.
Calculorum inteſtinalium & veſiculæ bilis ſigna 243
- - ſigna, in renibus 558. ſq.
- - ſine dolore 555
- - in veſicula fellis 558. ſq.
- - exploratio in veſica 558. 615. 623
- - ſymptomata 413 ſq.
- - e. g. abſceſſus 447. ſq.
- - anhelitus difficilis 424
- - anxietas cordis 420

- - apoplexia 421
- - aſthma 117. 119. 424
- - atrophia 118. 427
- - cancer 449
- - cardialgia 428. ſq.
- - cephalalgia 95 102. 413
- - cœcitas 198 418
- - colica 155. 431
- - convulſiones 415. ſq.
- - delirium 415
- - diarrhœa 432
- - epilepſia 86
- - febris 434
- - fiſtulæ 453
- - fluor albus 435
- - gangræna 196. 448
- - hæmoptyſis 118. 426
- - icterus 432
- - iſchuria 436
- - loquela impedita 109. 416
- - menſium ſuppreſſio 440
- - mors a calculo cerebri &c. 91
- - narium fœtor 418
- - obſtructio alvi 441
- - odoratus amiſſio 419
- - palpebrarum conglutinatio 417
- - palpitatio cordis 332. 420
- - phthiſis 117. 119. 122. 426
- - raucedo 116. 416. ſq.
- - ſalivatio 435
- - ſcirrhus veſicæ 443
- - ſcroti ſuppuratio 454
- - ſomnolentia 414
- - ſterilitas 440
- - ſtranguria 171. 202
- - ſyncope 419
- - tumor abdominis 441
- - tuſſis 425
- - urinæ ſuppreſſio 86. 130. 171. 436
- - urinæ ſtillicidium 582
- - uteri motus & tumor 452
- - uteri propendentia 452
- - vertigo 415
- - veſicæ conſumptio 443. ſq.
- - veſicæ perforatio 444. ſq.

Calculorum magnitudo admodum variat, v. g.

- - caryophyllorum 250
- - piſorum 97. 101. 193
- - fabarum 97. 107. 134
- - avellanæ 101. 111. 133. 152. 135. 172. 191. 197. 282
- - dactylorum 101. 107. 256. 578. 590
- - amygdalarum 110. 108. 133. 197. 210. 224. 256
- - amygdali ſaccharo incruſtati 107
- - juglandis 79. 100. 107. 118. 134 ſq. 191. 156. 195
- - nucis moſchatæ 101. 132. 135. ſq. 255. 167. 172
- - caſtaneæ 105. 108. 132. ſq. 253
- - olivæ 108. 109. 111. 129. 135. 172. 258
- - ovi columbini 86. 106. 118. 128. 130. 209. 253 156. 173 181
- - ovi anatini 210. 263
- - ovi gallinacei 118. 128. 155. 171. 223. 200. 263. 281. 395. 254. 562
- - gallinæ Indicæ 88
- - ovi anſerini 129. 211. 266. 280. 562
- - ovi pavonii 267. 460
- - ovi ſtruthii 267
- - dimidii pollicis 152
- - articuli pollicis 118
- - pollicis 199. 290
- - digiti 461
- - pilæ palmariæ 159
- - pineæ nucis 198
- - pugni 192. 230. 269.
- - piperis grani 194

- - lapidis perſici 268
- - phaſeoli 193. 196
- - pomi magni 261
- - pomi punici 261
- - malorum aurantiorum 467
- - capitis pueri annui 269
- - radicis Zingiberis 198
Calculorum pondus pariter differt, obſervantur ſcilicet
- - grana tredecim in cerebro 91
- - ſcrupuli quinque 222
- - drachma una in folliculo fellis 135
- - - in uretere 174. ſeq.
- - drachmæ duæ 216
- - drachmæ tres 197
- - drachmæ quatuor 135
- - & ſemis 134
- - quinque 195. 272
- - ſex 222. 271. 272
- - ſeptem 272
- - octo 292
- - quatuordecim 134. 268
- - uncia ſemis 136. 137. 141. 159 271
- - et gr. xx. 159. 129. ſq. 157
- - una 159. 271
- - - & duæ drachmæ 159
- - - ſemis 157. ſq. 273
- - unciæ duæ 89. 126. 134. 158 179. 275. 276 ſq. 369 ſq.
- - - & drachma una 201 268. 277
- - - & drachmæ duæ 277 278
- - unciæ duæ ſemis 277
- - unciæ tres 217. 277. 279
- - unciæ tres cum dimidia 89. 279
- - unciæ quatuor 280 ſeq. 179
- - - cum dimidia 179. 281 284
- - unciæ quinque ſemis 282
- - unciæ ſex 283 ſq.
- - ſex cum dimidia 379. 381
- - ſeptem 212. 283
- - - cum dimidia 284
- - octo 284
- - novem 285 ſq. 374
- - decem 88. 286
- - undecim 287
- - duodecim 181. 287. 395
- - tredecim ſemis 288
- - - & dimidia 468
- - quatuordecim 288
- - quindecim 288
- - octodecim 289
- - novendecim 289
- - viginti duæ 289
- - viginti tres & drachmæ ſeptem 289
- - viginti quinque 289
- - - & dimidia 290
- - triginta duæ 291. 303
- - - quatuor 291
- - libra ſemis 291
- - una 291 ſeq. & unciæ quatuor 441
- - - ſemis 396
- - libræ duæ 292
- - tres 292
- - quatuor 209. 292
- - duodecim 130
- - ſedecim 130
- - viginti ſemis inter tibias bovis 469
Calculorum multitudo vel copia 293
Calculi duo 135. 294. 392
- - tres 200. 295
- - quatuor 296
- - quinque 136. 297
- - ſex 297
- - ſeptem 297
- - octo 137. 298
- - novem 135. 158 298
- - decem 133. 298
- - duodecim 299
- - quatuordecim 299
- - ſedecim 193. 299
- - ſeptemdecim 133. 300
- - octodecim 300
- - viginti &c. 134. ſq. 137. 179 300. 305

- -

- - triginta &c. 303 ſeq 133 ſeq. 140 ſq. 153
- - quadraginta &c. 305
- - quinquaginta &c. 305
- - ſexaginta &c. 133. 305. 216
- - ſeptuaginta &c. 136. 200 170. 306
- - octoginta &c. 170. 308
- - nonaginta &c. 135. 308
- - centum 132. 309
- - centum & ſeptem 137. 309
- - - & viginti quatuor 139 309
- - - & quadraginta 142. 309
- - - & quinquaginta 137 153. 309
- - - & ſexaginta 134. 310
- - ducenti &c. 134. 155. 156 311. 212
- - trecenti 312. 393
- - quadringenti 312
- - quingenti 137. 313
- - ſeptingenti 137. 313
- - mille &c. 156. 313
- - bis mille 313
- - plurimi 129. 137. 167 ſq. 314. 200

Calculorum color quandoque eſt albus 101. 318 ſeq. in veſicula bilis 141
albicans inſtar cryſtalli 320. 141. 158
candidus cretæ inſtar 199
candidiſſimus 318. 320. 218. 204. 275
lacteus plane in vacca 321
cineritius 101. 140. 157. 321. 335 492
cinereo-flaveſcens 321
gryſeus 130. 322. 329. 461
ſubgryſeus 129. 335. 337
lividus 128
flavus 133. 218. 138. 157. 323
flavo-ſubniger 137. 139. 327
cæruleus 139. 140. 326 ſeq. 151 335. 397
ſubviridis 123. 135. 327
viridis 134. 327
ex viridi nigricans 135
ex flavo virideſcens 139
praſinus 133. 327
ſpadiceus, ſive caſtaneus 107. 131 478
hæmatiti ſimilis 133
ſubpuniceus 129
fuſcus 204. 208
ſerpentinus 332
lapidi bezoar ſimilis 216. 389. 460
ærugineus 327
ochreus 342
ex ruffo flaveſcens 184. 217
rubicundus 189. 195 ſeq. 328
purpureus 328
rubini inſtar pellucidus 212. 329
aureus 341. 469
niger 128. 132. 139. 331. 379
marmoreus ſtriatus 118. 320
- - variegatus 128. 218. 326
diverſicolor 128. 136. 141. 333
cum variis punctulis & maculis 335 ſq.
nigricans durus 128
luciduſſimus 308
pellucidus 133. 140. 149. 211. 320 135. 397
ſplendens 137. 478
unctuoſus 129

Calculorum ſubſtantia differt, alii ſint duri atque ſilicei 87. 91. 108. 145 161. 318. 377. 275. 283. 291
molles 381. 389. 376
gypſei 106. 318
tophacei 106. 331. 376. 470
ſpongioſi 117. 132. 134. 217
inſtar ceparum per lamellas 189 184. 384. 386
aſperi 132
ſcabroſi 307
glabri vel læves 387
lanugine vel muſco obvoluti 391 ſq.
unctuoſi 129

Calculorum figura differt, ſunt enim alii ovales, vide Calculorum magnitudinem

tudinem in Indice, alii
acuminati 87
rotundi 128. 197. 342
angulares 128. 343
triangulares 129. 203
quadrangulares 129
ſexangulares 129
tricuſpides 197. 345
quadrati 139. 133. 128. 346
incurvati 348. bicornes 175. 361 ſq.
pineiformes 353. piſiformes 204. 348
fungiformes 356
unguiformes 96. 367
dactyliformes 107. 131
glandiformes 350 ſq.
pyriformes 142. 402. 284. 286. 357
fragiformes 355. moriformes 355
caſtaneiformes 354
inſtar carbonum 332. 361. coni 347
teſſerarum 347. 143. crucis 171
cubi 94. 140. 136. 346
ricini 352. glandis faginæ 171. 350
fabæ 349. oculorum cancri 161
baccarum lauri 350 ſq.
avellanæ 351
amygdalæ 151. 351 ſq.
dactyli oſſis 116 189
hordei 354. grani tritici 354
caryophylli 356. ſtrobili 357 ſq.
radicis Z ngiberis 332. 357
pomi punici 359. pomi perſici 359
ſeminum cnici 139
ſuccini 359. coralliorum 359
ſacchari candiſati 359
verrucarum 360. tribuli 361
manubrii ſcipionis 360
ſceptri turcici 305. 359
digitalis 133. 360
ſpicæ grani turcici 132
ſeminis tritici turcici 131. 361
caſei 142. 361. 396. veſicæ 361
cochleæ 379. 128. 364
Solis 363. Lunæ 363
faciei cacodæmonis 361 ſq. 155
membri virilis 366 ſq. 730
vertebræ dorſi 368
inſtar capitis cervini 364
capitis felini 365
capitis pipionis 370
cordis humani 179. 365
infantis 368. catuli 144. 369
pulli anſerini 369. paſſerculi 370
muris 370. elephanti 374 ſq.
uberum vaccinorum 468. 376
coronæ 371
conchilii marini 371. ocreæ 470
rupis 222. 374. 376
variæ figuræ 374 ſq.
perforatio 170. 371 ſq.
Calculorum baſis varia eſt, v. g.
alii calculi vel lapilli 394 ſqq.
acicula 399 ſq.
acus crinalis 400
ſutoria 403 ſq.
bacillus 404. candela cerea 410
clavicula 407
fiſtulæ tabaci particula 408
globuli plumbei 405. ligula 407 ſq.
nuclei 395. oſſiculum ceraſi 404
ſagitta 408. graviditas 396 ſqq.
Calculorum excretio 575. in pueris 587
ſine dolore 575
cum dolore 579
per abſceſſum renum 753
excifio ex urethra 87
extractio ex urethra 587
ejectio ex veſica 609
extractio ex veſica 611
per manum a femina 581
in perinæo 87
Sectio, vide Lithotomia,
a ſectione tertia mors 89
analyſis chymia 764 ſq.
deſtillatio 768 ſq.
ſolutio per liquorem 777
origo 765. ſal fixum 774
Calculorum uſus medicus 783
ad Calculum 784. 786
ad Diureſin 783
contra febres 794 796
ad fœtum pellendum 209 ſq.
ad icterum 790
ad orthopnæam 802

contra philtrum 792
pro ſigillo 801
ad tartarum 789
contra venena 799
virtus bezoartica 217. 388. 389. 798
uſus lithontripticus 784
an Calculi frangi poſſint? 827
Calculum ſibi ipſi exſcindens faber ferrarius 281
Calx viva cauſa calculi 119
Cancer a calculo 449
Candela cerea in calculo 410
in Cane calculi 361. 369. 504
in Capreolo calculi 488
Caput humanum petrefactum 66
Cardialgia a Calculo 428 ſq.
Cardiolithus 470
Caſaubonus Calculo obiit 457
veſicam quaſi duplicem habuit 179
Caſeus an cauſa calculi? 39
in Caſtore calculi 502
Catheter ad explorationem calculi 626
an ſufficiat? 564
quomodo applicandus 626
Cephalalgia a calculo 102. 413
continua a glandula pineali 95
Cerebrum bovis petrefactum 66
in cerebro calculus 91
Cervi lacrymæ 482 ſq.
in Cervi corde calculi 434
in Cervo calculi 480
Chamomilla vulgaris ad calculum 832
Chelonites eſt lapis prægnans 397
Chirotheca in lapidem converſa 58
in Chorio calculi 212
Cibi cauſa calculi 38
in Ciconia calculi 520
Clavicula in calculo 407
in Clementis VIII. Papæ veſicula fellis lapides reperti 126
Cochinilia ad calculum 838
Cœcitas a calculo 418
Colica a calculo 155. 431
in Collo calculi 220
Conchites eſt lapis prægnans 398
Conſtellatio certa an cauſa calculi 33
Convulſiones a calculo 415 ſq.
Cor magnum 126
tauri in lapidem converſum 470
Cordis palpitatio a calculo 420
in Corde calculi 85. 123 ſqq.
cervi calculi 480 ſq.
tauri calculi 469 ſq.
polypi 241. 249
in Corvi ventriculo calculus 519
Cucurbitæ uſus ad calculum 826
Crypta Baumanni 49
in cryptis aquæ petrefactæ 48 ſq.
Cynosbatus ad calculum 842 ſq.
Cyſtis bilis nulla 142

D.

in Damis calculi 318. 488
Dauci ſemen ad calculum 834
Delirium a calculo 415
Dentes lapidei 82
draconum ſunt lapides 83
in dentibus calculus 238
Deſtillatio calculi 768 ſq.
Diarrhœa a calculo 432
Difficultas urinæ a calculo 445
in digitis calculi 222 ſq.
Dilaceratio veſicæ in lithotomia 622
Dilatatio ſphincteris veſicæ 611
Dolor nullus in calculo renum 555
Dolores nephritici 748
Dolores varii a calculo 450
in Ductibus ſalivalibus calculi 112
Dyſuria a calculo 265

E.

Ejectio calculi ex urethra 588 ſeq.
in Elephanto calculi 501
Elixir calculi humani 776
Epar viginti tres libras pendens 130
ſcirrhoſum 130
in Epate calculus 128
per Epigaſtrium excreti calculi 216 ſeq.
Epilepſia a calculo 88
Equi teſticulus petrefactus 65
in equis calculi 473
Erica ad calculum 837

Excretio calculi ſine dolore 575
cum dolore 579
Exploratio calculi in veſica 615 ſq. 623
per anum 623 ſq.
per catheterem 626. 628. 630
Exſectio calculi ex urethra 600
ejusdem modus 602 ſq.
Extractio calculi ex urethra 589
cum inciſione 627
calculi e veſica varia 630 ſq.
per perinæum 630
per hypogaſtrium 634

F.

Faber ferrarius ſibi ipſi calculum exſcindens 281
Fagi truncus totus lapideus factus 55 57. 59
in fatui cerebro calculus 318
Febris lenta a calculo 434
in femore calculi 223
Fiſtula poſt calculi ſectionem remanens 395
Fiſtulæ a calculo 453
Fiſtulæ tabacinæ partes in calculo 408
per fiſtulas ani calculi egreſſi 225
Fluor uterinus a calculo 435
Fœtor narium a calculo 418
Fœtus humanus in utero petrefactus 73 ſqq.
muſſipontanus 74
Fons rupes producens 50
Fontes varia inſecta lapidem mutantes 51 ſq 56. 58
Fridericus Dux Saxoniæ & Elector tres lapides in veſica fellea habuit 133
in Friderici III. Electoris Saxoniæ calculo foramen fuit, per quod urina profluxit 170
in fronte calculi 97
Funiculus in calculo 410

G.

in Gallinæ cerebro calculus 518
Gangræna a calculo 448
in Genu calculi 224
Glandula pinealis metropolis animæ dicitur 90
Glandula Thymi calculis repleta 233 ſq.
in Glandula lacrymali calculi 100
pineali calculi 90. 233
in glandulis calculi 233 ſqq.
Globi magnitudine malorum aurantiorum in ventriculo vaccarum 467
Globuli aureoli in veſica boum 467
plumbei in calculis 405
in Gutture calculi 105

H.

Hædera terreſtris ad calculum 837
Hæmoptyſis a calculo in pulmonibus 117. 118. 426
Henrici Julii Halberſtadienſium Epiſcopi veſica fellea lapidibus fuit repleta 132
ex Henrici Ducis Brunſuicenſis veſica fellea ad centum calculi ſunt extracti 132
Hepar in lapidem converſum 65
anſerinum lapideum 65
Hippocratis juramentum 617
Hippolithi 473
magni 474. 478
Hirci ſanguis contra calculum 829
Hiſtricis lapis ad febres malignas 796
ad pellendum fœtum 801
in hiſtrice lapis 493 ſq.
Homines adulti in ſaxum mutati 78 ſq.
in Humero calculi 222
ex Hypochondrio egrediens lapillus 24
in Hypogaſtrio interdum exercetur calculi ſectio 215. 633

I.

Icterus a calculo bilis 432
ad Icterum calculus ejus præparata 790
lapis e veſica bovis 472
in Igvana calculi 508
Inciſio penis in calculo urethræ 597 ſq.
Infantes calculo veſicæ extincti 87. 459
Inflammatio gutturis a calculo 449
Inflatio in urethram pro extrahendo calculo 591

ex Ingvine calculi excreti 217
Injectiones in veſicam contra calculum 849
Innocentii X. Papæ veſica fellis duo calculi fuere reperti 135
in Innocentii XI Papæ rene ſiniſtro calculus novem unciarum, in dextro ſex unciarum fuit repertus 283 374
Iſchuria a calculo 436. 585. 589
Iuniperus ad calculum 845
Iuramentum Hippocratis de ſectione calculi 617

L.

In labio calculus 104
Lac ad calculum 840. ſq.
Lacrymæ petrefactæ 70
- - Cervi 482. ſq.
Lapis durus in forma domunculæ 46
- - porcinus ſeu piedra del porco 245. 248. 493
- - hiſtricus 403. ſq. ad febres 79
malacenſis 495
Lapis lumbricis prægnans 154
Lapidis v. calculi.
Lapis bezoar 520. ſq.
duplex orientalis & occidentalis 520. ſq.
Lapides bezoar virtus ſuſpecta 547
- - nephritici uſus 98
ſerpentini, vel in capite ſerpentis reperti virtus 511
Lapide bezoar ſimiles calculi 216. 386. 424. 470. 476
Lapides prægnanes 396. ſq.
Lapidum materiam eſſe aquam 48
Lepuſculus in alvo matris petrefactus 71
Leporis ſal fixum ad calculum 830. ſq.
Lien petrefactus 64
in Liene calculus 144
Lignum in calculo 409
in calculum mutatum 55. 60
nephriticum ad calculum 844
Ligula in calculo 407
in Linguæ ſubſtantia calculi 110. ſeq.
ſub lingua calculi 107
Lithogeneſia 2
Liquor pro ſolutione calculi 778. ſq.
Lithontriptica varia 788
- - an dentur 836. ſq. 824
Lithotomia 611. 615. ſq.
Lithotomia frequens 619. 621. ſq.
periculoſa 619
in ſeipſo 621. ſq.
Lithotomiæ varii modi 639. ſq.
ex Lithotomia mortuus Olaus Borrichius 454
dilaceratio veſicæ 622
Lithotomi celebres 724
Thomas Alghiſi 730
Bude 734
Collo, Laur. 729
Cordier, David. 726
Cyprianus 412. 735
Eiſenbart 734
Eslinger 726
Faber Guil. 724
Francus Petrus 733
Gentnerus Georg. 620. 733
Haſs Joh. Heinr. 735
Holſt. Urb. Johann 727
Marianus Sanctus 630
Meier, Georg. Henr. 731
Merckius 619. 725. 285
Platnerus Georg. 728
Prodmannus Georg. 620
Riedlinus Georg. 728
de Romanis Joh. 631
Sanctus Barolitanus 630
Sasbutius, Cornel, 732
Schœn. 406. 732
Smalzius 731
Stromeier Hier. 725
Vitellius, Andr. 726
Widemann Bened. 733
Wred Frid. 367. 730
Lithotomorum fraus 735. ſq.
Loquela impedita a calculo 108. 109. ſq.
Lothi uxor an in ſtatuam ſalinam, an lapideam mutata fuerit? 81

Ludus Paracelſi 780
Ludi humani oleum contra calculum 788
per Lumbos calculi excreti 225
Lumbrici in calculo 154. 371
in Lupo calculus 505

M.

Magiſterium calculi humani 777
Malvaticum juniperinum ad calculum 845
circa Malleolum calculus 224
Mamma muliebris petrefacta 64
in Mammis calculi 222
Marianus Sanctus lithotomus 731
Meier, Georg. lithotomus 724
in Maxillis calculus 106
Membranis incluſi calculi 92. 118. 200. 225. 258. 320
in Meningibus calculi 95
Menſium ſuppreſſio a calculo 440
in menſtruo calculi 232
Merckius lithotomus 619. 725
in Meſenterio calculi 147. ſq. 448
Millepedes ad calculum 828. 840
Mitulus in lapidem converſus 58
Mola equæ petrefacta 71
Moles calculorum 249
Mors a calculo 454
in Muſculis abdominis calculi 347. 215
Muſcus in lapidem 52. 54

N.

Narium fœtor a calculo 418
ex Naribus calculi 101
Nephrotomia 746. ſq.
- - an exerceri queat? 747. 752
an ſuadenda 758
rejicitur 759
cur in caſu neceſſitatis exercenda 766
Nephrotomiæ denominatis 747
Methodus 763
exempla 754
per Nephrotomiam an calculi magni extrahi queant 752
in Nephriticis calculi per lumbos rejecti 749. ſq.
in Neris opticis calculi 100
Nucleus in calculis 395

O

Obeſitas ſtupenda 226
Obſtructio alvi a calculo 441
in Oculis calculi 97. ſq.
Oleum ludi humani contra calculum 90
Olfactus amiſſus a calculo in cerebro 419
Omentum ſphacelatum 240
in Omento calculi 184. ſq.
Ononis ad calculum 838
Ophilitos 481
Oppidum in Africa in ſaxeam duritiem fuit converſum 79
Oſſa foſſilia magnitudinis inſolitæ in terra producta 83
lapidea 83. ſq.
Ovarium lapillis turgidum 211
in Ovis ventriculo calculi 502
Ovum ligneum cruſtula lapidea obductum 211

P

In palato calculi 104
Palea in calculo 412
in palpebra calculi 101
Palpebrarum coalitus a calce 417
Palpitatio cordis a calculo in corde 125. 420
Pancreas lapidoſum 65. 146
totum ſcirrhoſum 146. 459
Panis cauſa calculi 41. ſq.
in adamantem converſus 65
in Parotide calculi 103. ſq.
Particulæ terreſtres an cauſa calculi 38
Pareira brava ad calculum 831. ſq.
ad partum difficilem calculus uteri in manu detentus 209
in Patella calculus 224
Pedro di porco 493
in Pene calculus 196
in pericardio calculi 123. 277

in perinæo calculi 204
perinæum pro extractione calculi inciſum 87. 213. 281
per perinæum calculi extractio 200. 630
urina 445
in peritonæo calculi 149
Perſicaria ad calculum 829
in Petermanni, Andreæ, Profeſſoris Lipſienſis folliculo fellis calculi reperti 136
Petra del porco ubi generetur 245. 248
Petrefactio ab aqua 55
Petrificatio, vid. calculi generatio.
Pfeilius, Johannes, Prof. Lipſienſis calculo mortuus 355 455
contra philtra calculus humanus 792
Phthiſis a calculo in pulmonibus 117. 119. 122
Piedra del Porco ubi generetur 493
Pinguedo nulla ſub cute 239
Pituita an cauſa calculi 14
in planta pedis calculus 225
Podagrici calculoſi 236
Polypus in corde 241. 249
lapideus 125
Pondus calculorum 249. ſq.
in porcis calculi 491
Potulenta cauſa calculi 43
Propendentia uteri 452
in pulmonibus calculi 116. ſq. 118
Pyrus in lapidem mutata 55

Q.

Quercus petrefacta 59

R.

Radix bryoniæ lapide facta 57
Raucedo a calculoſa materia 416
a calculis in aſpera arteria 116. 416
Ren conſumtus 554. 751
exeſus 748
incruſtatus 171
monſtroſus 169
Renes petrefacti 61. ſq.
a calculo penitus conſumti 88
pugni magnitudine 169
per Renes calculus extractus 747
Renum conſtitutio cauſa calculi 30
in Renum ſubſtantia calculi 169. ſq.
in Renibus abſceſſus 747
Roſaliæ S. corpus ſaxeum 79
Rivus ex ſeipſo pontes fabricans 47
in Rupicapris calculus 488

S.

Sagitta in calculo 408
Sal fixum calculi 774. 777
Salacitas a calculo 442
Salia an cauſa calculi 9. ſq.
in ſaliva calculi 237. ſq.
Salivatio a calculo 103
in ſanguine calculi 227. ſq.
menſtruo calculi 232
Saubertus, Joh. calculo obiit 456
in ſcapula calculi 221
Screatu calculus rejectus 121. 142
Scirrhus veſicæ 443
Scrotum ſuppuratum a calculo 454
per ſcrotum calculus 445
in ſcroto calculi 199
Sectio calculi, v. Lithotomia.
varia 630
Celſiſtica 630
Mariana 630
Sectio calculi in hypogaſtrio 631
in perinæo 631
ex urethra 613
Sectionis modis alii 674
Roux Chaſtres 764
Fratris Jacobi 675
Joh. Mery 680
Joh. Jac. Ravii 681
ante Sectionem quid obſervandum 630
in ſecundina calculus 211
Seligmannus calculo obiit 457
Semen petrefactum 69 ſq.
cum ſemine arenulæ excretæ 207
Semen Dauci ad calculum 483

Serpens in calculo 365. 412
in cervi ventriculo 481
Serpentis calculi uſus 511 ſq.
in ſerpentibus calculi 508
Signa calculi renum 553
veſicæ 558 ſq.
ſunt fallacia 561 ſq.
calculorum inteſtinalium & veſicæ felleæ 243
calculi veſicæ felleæ ſunt incerta 246
in Simiis calculi 503
Sinenſes calculo non laborant 462
Solingi, Cornel. modus ſecandi calculum 657
Somnolentia a calculo in cerebro 414
Sperlingius, Joh. calculo obiit 458
Sperma virile in vaſis in lapidem obduratum 207
Sphincteris veſicæ dilatatio 577
Spina ventoſa in indice 223. 381
Spiritus lapidificus an cauſa calculi 23
urinæ an cauſa calculi 32
calculi humani contra calculum 786 ſeq.
ex tophis 780
Statua uxoris Lothi 81
Sterilitas a calculo 440
Stillicidium urinæ a calculo 582
Stramen in calculo 171. 445
Suctio ad calculi ex urethra exſuctionem 592
Suctus quando locum habeat? 592

T.

Tabes a calculo 427 ſq.
in Tauri corde calculus 468
folliculo fellis calculi 468
Taurolithi 470
in Temporibus calculi 219
Terebinthina ad calculum 825. 841
Teſticulus cortice lapideo obſeſſus 203
equi petrefactus 65
in teſticulo calculus 203
Thymus glandulis refertus 233 ſq.
maxime ſcirrhoſus 233
in Tonſillis calculi 106
Tophi ab aqua 48 ſeq. 120
in boum ventriculo 466. 472
in articulis bovinis 469 ſq.
Tophorum variæ figuræ 48
ex Tophis ſpiritus 780
in Tubis Fallopianis calculi 211
Tumor abdominis a calculo 441
in Tumoribus inſaccatis calculi 227
Turunda in calculo 409
ad extractionem calculi ex urethra 590
Tuſſis a calculis pulmonum 116. ſq. 425

U.

Per Umbilicum calculus 213. ſq.
in umbilico abſceſſus a calculo 448
in umbilicis porcinis calculi 214
per urachum calculi 213
Urbs Africæ in petram converſa 79
Ureteres ampli ſeu admodum dilatati 171
obſtructi 88
in Ureteribus calculi 171
in urethra calculi 190. 592
ex urethra excisio calculi 596. ſqq.
extractio 588. ſq.
Urinæ ſpiritus cauſa calculi 31
ſuppreſſio cauſa mortis 436
in urſo lapis 502
Uterus petrefactus 63
Uteri tumor & motus a calculo 452
propendentia 452
in utero calculi 208. 451
Uva in calculo 411
Uxor Lothi an in ſtatuam ſalinam an lapidem transmutata fuerit 81. ſq.

V.

in Vaſis ſpermaticis calculi 207
ex Vena ſecta calculi 221

Ventriculus maxime diſtentus 240
parvus 146
Ventriculi dolor a calculo 428. ſq.
in ventriculo calculi 150. 152. 497
Veronica ad calculum 836
Veſica Caſauboni quaſi duplex fuit 179
a calculo conſumpta 444
perforata 444
ſcirrhoſa 444
ſimul cum calculo extracta 180
Veſicæ ſphincter quomodo dilatandus 577
dilaceratio in Lithotomia 622
adnati calculi 178 ſq.
inter Veſicæ tunicas calculus 178
in Veſica boum globuli aureati 467
Veſicula bilis monſtroſa 141
craſſitiem corii cervini habens 140
ſine bile 141. 142
Veſiculæ felleæ defectus 138. 240
in veſicula bilis calculi 132. ſqq.
in veſiculis ſeminalibus calculi 206 349
Violariæ ſemen ad calculum 834
Vir in lapideam ſubſtantiam converſus 79
Virga aurea ad calculum 831
Virgo lapidi-vel calculi-caca 159
in vitulis calculi 472
Vomitus a calculo 429
per vomitum calculi rejecti 150 ſq.

W.

in Wilhelmi Ludovici Ducis Wirtembergici cyſtide fellea, inſignis calculus fuit repertus 136

Z.

Zieglerus calculo obiit 456
in Ziegleri, Caſparis, cadavere calculi per laminas concreti fuere reperti 386 ſq.

RB
137
S39
1744